



ACTA ERUDITORUM,

ANNO
MDCCXXX
publicata.

Cum S. Cæsareæ Majestatis & Regis Pol. atque Electoris Saxoniæ Privilegiis.

LIPSIÆ,
Prostant apud JOHAN. GROSSII Hæredes,
JOH. FRID. GLEDITSCHII B. FIL.
ET
JO. CHRISTIANUM MARTINI.

Typis BERNHARDI CHRISTOPH. BREITKOPFII.
A. MDCCXXX.

[illegible]

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Januarii Anno MDCCXXX.

HOMERI ILIAS GRÆCE ET LATINE; Annotationes in usum Serenissimi Principis Guilielmi Augusti, Ducis de Cumberland, &c. regio jussu scripsit atque edidit SAMUEL CLARKE, S. T. P.

Volumen I.

Londini, apud Jac. & Joann. Knapton, 1729, 4 maj. Alphab. 2.

Optimus sane hucusque videri poterat Barnesii Homerus, nisi meliorem nunc nobis dedisset Celeberrimus *Clarkius*: sive enim chartæ characterisque nitorem, sive contextum Græcum quam emendatissime impressum, sive versionem Latinam maxima ex parte correctam, parte quoque aliqua denuo diligentissime compositam, sive denique eruditissimas & bonæ frugis plenissimas Annotationes textui subjectas respiciamus, sat ubique erit, quo nova hæc *Clarkiana* editio jure sese efferre possit præ altera illa Barnesiana, inprimis cum multos nimium Barnesii lapsus & hallucinationes per omnes fere paginas notatas lector conspiciat, qua de re ipsi quoque non nihil monuimus in his Actis Mens. Febr. & Jun. A. 1712, p. 4, 5, 118 & quod passim approbat & ingenti elogio ornat Cl. *Clarkius*. In 193 &c. ipsis igitur Annotationibus pondere, non mole, æstimandis, plurima affert Cl. Editor notatu digna, nova & paucis observata, quæ potissimum spectant vel ad artem poetæ aperiendam, vel ad orationis ornamenta particulatim commonstranda, vel ad

ſententiam denique illuſtrandam: Sic de particulis expletivis
p. 9, 22, 37, vulgo dictis ῥὰ, ἄρα, δὴ, κε, κεν, περ, γε, νυ &c. contra
47, 146, 147, Grammaticorum vulgus haud perfunctorie oſtendit, eas non
159, 170, tam ad metrum fulciendum; quam ad orationis vim magis at-
184, 247. tollendam eſſe adjectas & re ipſa aliquid ſignificare. Singularis vero iſta eſt commentatio de vera temporum ratione, quam in lingua Romana pauciſſimos, in græca vero vix quemquam ſatis accurate tradidiſſe exiſtimat: ſtatuit ſcilicet, omne tempus
6, 7, diviſum eſſe in partes tres, præteritum, præſens & futurum, quorum unumquodque porro dupliciter intelligi poſſit, pro eo, ut de re perfecta ſermo ſit, aut de imperfecta. Sex itaque in omni verbo tempora primaria & διωρισμένα conſtituit, quod adjecto ſchemate uberius illuſtrat; præter ſex vero iſta tempora primaria, alia quædam ex his diverſe compoſita eſſe aſſerit, quod videre ſit in Græcorum aoriſtis atque futuris duplicibus & recentiorum linguarum duplicibus, ut vocant, præteritis perfectis, quorum alterum græcorum aoriſto omnino reſpondeat. Eſt igitur ex ipſius quidem ſententia, exempli cauſa ἀμφιβέβηκας Il. ά. v. 37, non tempus præteritum perfectum, ut Grammatici tradunt, ſed præſens potius perfectum, quaſi ἀμφιβαίνεις, *qui tueris*, *qui circumſtas*, *qui circumdatus es*, & Il. δ'. v. 434, ἑστήκασιν, non per *ſteterunt*, ſed per *ſtant*, vertendum eſſe contra Grotium monet, qui præteritum pro præſenti, Hebræo more hic ſumtum eſſe, ad *Rom. V*, 2, notaverat; conf. quoque ad Il. έ, v. 587. Hæc quamvis paullo ſubtilius, quod fatendum, excogitata videantur; non tamen omni fundamento carent, & in explicandis veterum Autorum utriusque linguæ locis egregiam præſtant operam, ubi alias ad neſcio quam enallagen, vel ἀνακόλουθον, vel σολοικοφανὲς, vel metri denique quandam invincibilem neceſſitatem confugiendum fuerat. De
9 & 68. licentia ſic dicta poëtica longe aliter quoque ſentit, ac hactenus ab omnibus fere factum a ſcriptoribus proſodicis: putat nimirum, eam non in eo conſiſtere, ut ſyllabæ quantitates promiſcue & ſine ratione confundantur, ſed in hoc uno potius, ut ſyllabæ natura breves certa quadam poſitione fiant productæ, idque non in omni poſitu; ſed certa ac conſtanti ratione, quam plu-

pluribus exemplis & argumentis simul exponit; in syllabis vero natura longis nullam apud principes poetas unquam licentiam fuisse admissam; atque si variatio passim inveniatur, id non licentiæ cuidam poeticæ, sed alii potius linguæ aliique dialecto tribuendum esse pronunciat. Sic cum v. g. vox καλὸς p. 42.
apud Homerum amplius ducenties & septuagies priorem syllabam semper producat; apud Sophoclem contra, Euripidem & Aristophanem semper fere corripiat, & apud Theocritum & Hesiodum iterum promiscue vel producat vel corripiat; variationem hanc non licentiæ poeticæ, ut visum est Phil. Labbeo in Thesauro Prosod. Gr. sed peculiari potius idiotismo & dialecto adscribendam esse existimat. Dialecto igitur Jonico-poetica, qua Homerus scripsit, καλὸς semper producitur, Attica contra, qua Sophoclem, Euripidem & Aristophanem scripsisse constat, semper corripitur; Jonico-Dorica vero, qua Theocritus sæpius, Hesiodus parcius, usus, anceps est, ita ut uno eodemque in versu nunc producatur, nunc corripiatur. Unde ulterius concludit, Hymnum in Venerem & Epigrammata quædam Homero vulgo adscripta ideo ipsi esse abjudicanda, quod prima syllaba vocis καλὸς, contra morem consuetum & dialectum Jonico-poeticam aliquoties ibi corripiatur, quod pariter de voce Ξεινὸς mediam sui syllabam ibidem præter consuetudinem 104.
corripiente scite observat. Lectu vero inprimis digna sunt, quæ in genere affert ad accuratiorem rei metricæ Græcorum cognitionem apprime facientia, quorum sæpius rationes a Labbeo, contra quem ubivis fere disputat, vel nullæ allatæ sunt vel falsæ. 8, 10 & 68.
Ita accusativos Atticos Ἀχιλλέα, Θησέα, βασιλέα & similia ultimum α. semper producere ostendit, quod Grammatici haud 20.
adverterunt, quibus alia addit iisdem pariter inobservata, quæ secundam syllabam semper producunt, ut διακονεῖν, ἀναλίσκω, 21.
φλυαρεῖν &c. innumera quoque verba constanti quadam ratione in quibusdam temporibus vocalem penultimæ corripere, in 23.
aliis contra temporibus producere, & alia non minus multa esse, quæ in præsentibus & imperfectis omnibus & in aoristis 24.
primis activis & mediis constanter producantur, in futuris autem & aoristis secundis omnibus constanter ex adverso corripi-

antur, pluribus exemplis opportune allatis evincit. Sed hæc de re metrica e multis sane pauca. Agendum nunc potius cum ipso de usu elegantiori verborum quorundam Homericorum varius alibi obvio. Sic de phrasi ἀχρεῖον ἰδὼν, *inutile tueri*,
p. 53. notat, ἀχρεῖον Græcis de homine malo & maxime nequam non minus eleganter dici, ac Latinis *inutilem* de homine itidem pernicioso & nequissimo, apud Virgilium, Ciceronem, & Ovidium, Valde porro miratur, singularem dictionis Homericæ emphasin in
205. isto versu: θυμὸς ἐνὶ στήθεσσι πάτασσεν, non intellectam fuisse a Cicerone ac pessime proinde versam L. IV Tuscul. rectius e contrario poetæ mentem assequutis Plutarcho de aud. poet.
36, 55, 155 & Dionysio Hal. de Homeri poesi. De numero vero duali sin-
& 251. gularem prorsus & Grammaticis plane contrariam habet opinionem; nempe omni substantivo duali recte adjungi posse adjectivum plurale, quod omne duale necessario sit plurale; substantivo itidem plurali addi quoque non minus recte posse adjectivum duale, non omni quidem, sed ita saltim, si de duobus sermo sit, nam omne quidem duale esse plurale, non vice versa omne plurale duale, nisi de duobus sermo fuerit institutus, quod acutissime videtur dictum & ex singularibus aliquot Homeri locis contra Eustathium, hujusque sequaces Camerarium atque Barnesium uberius probatur, vid. ad Il. β', 113 & 288, & ad Il. ε,
98, 75, 189, 716 &c. Merito etiam explodit insulsam istam figuram Anti-
194, 282, 291 ptosin vulgo dictam, qua quemvis casum pro alio poni posse te-
& 233. mere contendunt Grammatici, solideque e contrario ostendit, constructionem potius esse ἀνακόλουθον ad singulare robur orationi addendum, optimis Autoribus frequentissime usurpatam. Quantus præterea artifex fit Homerus in versus numeris rem ipsam depingentibus & orationibus personam mire condecentibus apte concinnandis, exemplis aliquot productis liquido
102. probat Cl. Editor: ita fractum ensem istis fragorem quasi edentibus verbis, τριχθά τε καὶ τετραχθὰ διατρυφθὲν, graphice admodum describi observat, qua occasione multa quoque Virgilii loca in medium affert, in quibus simile artificium conspi-
194. cuum; motum etiam equi currentis celerrimum aptissime depingi numeris his dactylicis: ῥίμφα ἑ γοῦνα φέρει μετά τ' ἤθεα

θεῖν καὶ νομὸν ἵππων, ut alia multa taceamus. Parcus ceterum & perquam sobrius est in ipso contextu emendando, nihilque tentat, nisi summa urserit necessitas. Sic Il. α. v. 20 λύσαιτε sive λύσαιτε cum Moschopuli scholiis recte legit, cum vulgatum λύσατε ob secundam syllabam correptam in versu stare non possit: ibidem v. 567 ἄσσον ἰόνθ' ὅτε, qui crucem fixit interpretibus, cum ἰόνθ' pro duali ἰόντε falso haberent, commodissime ita refingit: ἆσσον ἴων ὅτε, faciliore tamen adhuc negotio ἰόνθ' pro ἰόντα legendo, rem componit. Aptius quoque Il. γ. v. 183 pro vulgato δεδμήατο, substituit ex Eustathio δέδμηνται: porro cum Il. ε, v. 487 vox ἀλῦς contra consuetum Homeri morem primam producat, labanti metro consulit ita legendo: μήπως ὡς ἀψῖσι λίνοιο ἁλόντε, vel potius, λίνυ πυ ἁλόντε, quod & ipsi textui, uncinulis tamen inclusum, illatum est, vel denique hunc in modum: λίνυ περ ἁλόντε. Tandem Il. Λ'. v. 732 pro vulgatis ἀμφίσαντο δὴ, ἄστυ, rescribere mallet, ἀμφίσαντο, τὸ ἄστυ, expuncto τῷ δὴ hic valde incommodo, qua facili emendatione admissa sensus multo concinnior emergit. Id vero inprimis in his doctissimis annotationibus laudem meretur maximam, quod perpetua in iis Homerum inter atque Virgilium comparatio instituatur, quod licet ex parte jam factum sciamus a Gellio, Macrobio, & Jul. Cæs. Scaligero, integris vero libris pertractatum ab Henr. Stephano, Fulv. Ursino, Renato Rapino & Popio; plus tamen a Celeberrimo nostro Autore præstitum esse merito fatendum est, dum non, ut illi, integros solum locos inter se comparavit; sed & ipsas adeo phrases & minimas versuum particulas, quas Virgilius sæpenumero imitatus est, incredibili solertia & studio annotavit, sæpiusque ostendit, quam parum linguæ Romanæ angustia in variis locis sufficerit ad assequendam græcorum vocabulorum vim & veneres Homericas scite exprimendas, quod vel ex binis vocibus ῥοδοδάκτυλος & κροκόπεπλος, quibus epithetis aurora apud Homerum insignitur, constare inter alia possit. Tantum de præstantissimo Opere, cui sub finem demum adjectus est Catalogus Operum, quibus summe Rev. *Clarkius*, dum viveret, nominis sui gloriam late diffudit: interea enim, dum splendidissima

p. 31, 217, 231, 292 & 306.

hæc editio excusa est, celeberrimum Virum irreparabili fere elegantiorum literarum damno, fato suo functum esse tristes accepimus, adeo ut optatum universi Operis finem videre haud potuerit; primum enim hoc est Volumen, quod XII saltim priores Iliadis libros complectitur, ut hinc tria aut duo minimum paria Volumina adhuc restent, quæ, serio optamus, ut vel ipse ante obitum plene perfecerit, vel ut aliquis pari eruditione & linguæ reique metricæ Græcæ cognitione instructus manus admoveat strenuas tanto Operi, Angliæ suæ æterno decori futuro, quod omnium optime præstare posset, si vellet, illustris Bentlejus; solus enim nobis videtur idoneus, qui hanc tabulam post hunc Apellem absolvere cum laude possit.

HISTORIA FRISINGENSIS, AUTORE P. CAROLO MEICHELBECK, Benedictino Benedictoburano.

Tomus II.

Augustæ Vindel. & Græcii, sumtibus Philippi, Martini & Johannis Veith, Fratrum, 1729, fol.

Alph. 10 pl. 10 c. fig. æn. 8.

ABunde desiderium nostrum explevit Reverendus P. *Carolus Meichelbeck*, edito post Historiæ suæ Frisingensis Tomum I, quem in Actis A. 1725 M. Sept. p. 390 pro meritis commendavimus, nunc etiam Tomo altero, eadem solertia, scribendi gravitate, ac profunda Historiæ aliarumque scientiarum peritia conscripto & ab A. 1224 usque ad A. 1724, vel potius, si documenta computes, ad 1727, atque adeo ad nostram ætatem producto, quo omnia ex Codicibus, membranis ac Scriptoribus optimæ notæ corroborat. Præmittuntur huic Tomo Dissertationes Prolegomenæ tres, in quibus partim agitur de quibusdam dubiis occasione Tomi I hactenus obortis, partim asseruntur aliqua, quæ ad illustrandum Tomum II pertinent. Prima Dissertatio antiquitatem Ecclesiis Salisburgensi atque Frisingensi vindicat, in qua solide evincit, S. Rupertum Episcopum Salisburgensem non A. 623,

623, sed potius A. 718 esse defunctum, S. Corbinianum vero primum Frisingensis Eccl. Antistitem A. 730 obiisse, adversante licet Ottone Frisingensi. In altera de quorundam antiquorum Episcoporum & Monachorum Frisingensium sacro cum aliis fœdere, ut & de Monachorum industria disserit, hosque contra Monacho - Mastigem quendam defendit. In tertia denique adjutores hujus Tomi II, ac censores aliquos exteros Tomi I exhibet, junctis quibusdam ad lectorem monitis. Prædicat inter adjutores præsertim *Placidum*, Abbatem Ettalensem, *Liethardum*, Fürstenfeldæ Abbatem, *Anton. Cajetanum ab Unertl*, insignibus in Ecclesia officiis maxime conspicuum, cui ex copioso S. Petri Ecclesiæ Monachii tabulario multa præclara instrumenta, qualia ibi latere nemo fuerat suspicatus, liberalissime communicanti, collaborante *Phil. Saller*, Canon. Pollingano, plurimum se debere, gratissimus profitetur Noster. Sed nunc potissima ex hoc Tomo lectoribus ob oculos ponamus.
Geroldus Fris. Episcopus Liupoldo Austriæ Stiriæque Duci feu- p. 5.
dum in Marchia ab Henrico Marchione Ystriæ quondam possessum, A. 1229, testante diplomate concessit. Idem postea Geroldus, cum bona Ecclesiæ dilapidasset, autoritate Imperatoria & Pontificia sede sua depositus, & in Canonicorum ordinem re- 9.
dactus est. Conradum I Ep. a Friderico Bellicoso Austriæ Du- 15.
ce A. 1237 fuisse captum, aliunde constat, eundem vero eodem anno libertati iterum fuisse redditum, Tabulæ fide asseritur.
Istum Conradum præterea non Pontifici, sed Cæsari totum fuis- 17.
se addictum, ejusque ope de Ottone Bojoariæ Duce triumphasse,
ex Traditionum libris evincitur. Idem Perchtoldum Abbatem 20.
Tegernseensem, vitio electum, & monasterii bona cuncta fere dissipantem, loco movit. Ceterum obiter notamus, Autorem veneratione sedis Pontificiæ nimia adductum, hic illic in Fridericum II aliosque Imperatores, ut & in Concilium Basileense plura sparsisse convicia, licet in reliquis partes fidi Historici satis
expleverit. Conradus I Ep. mortuus est Monachii, cum no- 48.
luisset Frisingæ vivere, periculum sibi timens a Canonicis suis,
quorum concubinas ejecerat. Conradus II Episc. ex Wildgra- 49.
viorum ac Witelsbacensium stemmate originem ducens, plura

Eccle-

p. 68. Ecclesiæ suæ bona recepit. Illo tempore nec nobilibus nec ignobilibus Principum vel Præsulum subditis sine illorum concessione singulari permissum erat, promiscue contrahere matrimonia cum ministerialibus aut colonis, alteri Principi aut Domino subjectis. Unde & Principes ac Prælati cum vicinis Dominis sæpius pacti sunt, ut subditi utriusque partis matrimonio conjungi quidem possent, sed hac lege, ut liberi ex tali matrimonio procreati inter Dominos æqualiter dividantur, quod ex plurimis tabulis asseritur.
73. Ob alapam a famulo Nobilium de Hertenberch inflictam cuidam Frisingensi subdito, Nobiles hi promiserunt, si imposterum a suis injuria vel damnum incolis Frisingensibus inferretur, se Episcopo feuda quædam tanquam vacantia tradituros. Errorem vulgarem de bello inter hunc
75. Conradum II & Ratisbonensem Ep. gesto confutat Autor, cum lites & rapinas potius inter utriusque Ministros ac Vasallos aliquos intercessisse, ex laudo a Ludovico Bav. pronuntiato putet
81. perspicuum. Quod ad translationem castri Randek, eoque pertinentium prædiorum, primum instrumentum Archivi Frisingensis Germanico idiomate exaratum, quod Ecclesiæ Frisingensi favet, integrum heic apposuit. Notandum vero, hoc instrumentum aliquot menses præcedere vulgatam illam Rudolphi Habspurgici constitutionem de instrumentis imposterum vernaculo sermone conscribendis.
88. Annum emortualem Conradi II, rejectis aliorum erroribus, tabularum fide, ad A. 1279 recte
89. refert. Successorem Fridericum ortum dicit ex Comitibus de Montalban, quæ familia, judicio Comitis de Prandis, ejusdem sanguinis erat cum hodiernis Comitibus de Schlandersperg. Errori vulgari inhæsisse Nostrum miramur, quando Rudolphum
95. Imperatorem Bohemo demum locum inter Electores concessisse, dissidentibus reliquorum suffragiis, existimat. Enichonem Ep. memorat Comitatum Partenkirchensem & Mittenwaldensem,
95,105,106. ut & Tölzense municipium cum castro adsito, ut & castris Kraansperg, & Queslorf, pretio soluto Ecclesiæ suæ junxisse. De Godefrido Ep. non ex Hachsenakeriana, sed, quod vero propius, ex
115. Greiffenbergiorum gente orto refert, dura expertum esse regiminis initia, melioribus tamen fatis postea usum. Excepit hunc Con-

Conradus IV, ex gente Gentlingeria, Patriciis Monacensibus adscripta, Juris Canonici Doctor, qui Dominium Guttenwerdense contra Scherffenbergios arbitrorum sententia obtinuit. Num Conradus III Ep. veneno obierit, ambiguus hæret Autor. Constitutus postea a Pontifice Johannes de Güttingen, nobilis Suevus, Decretorum Doctor, non septem tantum septimanis A. 1324, ut quidam volunt, sed a die VII Januarii A. 1323, usque ad mensem Aprilem sedi præfuit. Hic aliis Wilsingus nomine, ac Brixia oriundus dicitur; de quo Autor non disputat, cum de Joanne isto obscura fere sint omnia. Primus existimatur, qui armis suis gentilitiis Æthiopem Frisingensem conjunxit, uti lapis sepulchralis ostendit. Suffectus eidem a Pontifice Conradus IV Ep. qui demum A. 1340, dissentientibus falso scriptorum plurimis, diem obiit. Post hunc sedes Romana præfecit Frisingæ Johannem II, nobilem Westphalum de Westerhold, vel aliorum judicio ex Oetingana gente procreatum, Medicæ artis & Astrologiæ peritissimum. Interea adversus hunc a Canonicis non Leutoldum Com. de Schaumburg, sed Ludovicum de Chamstein fuisse electum, & Electi titulo usum Noster ostendit. Huic subita morte defuncto eligentium quidem votis subrogatus Leutoldus, a Pontifice tamen admissus non est. Successit non A. 1357, uti frustra perhibet Rainaldus, sed A. 1359 Paulus ex Harrachiorum gente ortus, Cancellarius quondam Austriæ Ducum, post Episcopus Gurcensis: quem secutus Leopoldus ex familia Sturmbergiorum, Styriæ sive Carinthiæ nobilium, qui castrum Inching ab antecessore oppignoratum redemit. Hunc excepit Bertoldus de Wahingen, quæ gens fuit origine Sueva. Juvenis fuisse memoratur tam præstantis ingenii, ut primus scholæ Viennensis Magister renunciaretur. Ep. Conradum V non ex gente Trautmannsdorfia, ut suspicantur nonnulli, sed ex Hebenstreithiana ortum traxisse manifestum facit Autor. Hermannum Ep. Comes Ciliæ Hermannus ex pellice suscepit, qui autoritate Papali a sede Frisingensi ad Tridentinam translatus, eam morte præventus nunquam adiit. Johannem a Capitulo electum, a Pontifice non ob ætatem minorem recusatum esse ait, sed quod beneficia in Curia vacantia ab ipsis Pontificibus dispensanda essent. Hinc

[Margin: p. 137. 139. 140. 142. 147. 148. 149. 154 sq. 165. 171. 185. 186. 194. 195.]

Nicodemus a Papa Præsul constitutus, Johannes autem A. 1424
p. 201. annua 200 fl. pensione, proventibus officii Vicarii Generalis, & Cathedratici nomine solvi solitis contentus vixit, donec sors
231. melior arrideret. Nicodemus ille *insignis probitatis*, & *vir præstantissimus* vocatur ab Ænea Sylvio, cujus consiliis fidelissimis sæpius usus fuerit Fridericus III Imperator. Præfuerat Ec-
232 sq. clesiæ suæ ultra annos 22; post ejus obitum lites obortæ inter Joannem antea memoratum a Canonicis censura notatis electum, & Henricum Schlick, a sede Apostolica confirmatum, quem proinde Noster Præsulum Frising. numero inseruit. Ve-
239. rum A. 1448 Henricus jure suo cessit, acceptis mille aureis Hung. & dominio Weltii superioris ad dies vitæ. Successit Joannes
261. Tuelbeck, Monacensis Patritius, qui omne æs alienum Ecclesiæ suæ redemit eamque, oppignorata reluendo, & plura comparando, eximie auxit. Addit his Autor singularia quædam, quæ vel ad historiam vel dignitatem Frisingæ suæ pertinere judicabat. Zelo ejus, quo contra Protestantes fertur, tribuendum est, quod
294. Divæ Hildegardis vaticinia de nidulo, ubi Deus Ecclesiam sit servaturus, non de Bavaria, quod aliis solenne est, sed de Frisinga sua interpretatur, cujus Ecclesiæ merita contra Protestantes summis laudibus exornata undique compilavit. Ex litteris Mat-
297. thæi Card. & Archi-Ep. Salisb. apparet, primum inter illius me-
309 sq. tropoleos Præsules locum Frisingæ deberi. Philippus Ep. ex Palatina domo, plurimis bonis comparatis Ecclesiam suam dita-
320. vit. Henricus Ep. ultima die anni 1551 mortuus est, ut adeo, qui mortem ejus ad A. 1552, vel 54 differunt, graviter fallantur.
342. Waidhoviana Austriæ inferioris urbs, sub Diœcesi Frisingensi sita ob Catholicorum sacra denuo ibi introducta, & erepta Protestantibus templa, maxime turbata est, donec variis artibus sontes comprehensi, perpetuo carcere, partim quoque exilio, aut pecunia pœnas luerent. Dum plura & antiqua & recentiora Ducum Bavariæ diplomata hinc inde deprehendimus inserta, observamus, pæne in omnibus Comitis Palatini titulum Ducali Boico præponi, cum Boicum alias Palatino præferri a Bojis, vulgo asseri soleat. In
384. bello tricennali Frisinga Gustavo Sueciæ Regi 30000 flor. numerare coacta, frumenti insimul & vini insignis copia vel absumta vel effusa,

effusa, præterea pagi plures cum castris quibusdam exusti. Vinariensi deinde Frisinga denuo quinque flor. millia exsolvit, annona insuper, quæ supererat, consumta. Sub finem belli Frisinga bis iterum a Succis est direpta, & Collegiata præsertim D. Andreæ Ecclesia multis chartarii sui instrumentis spoliata. Albertus Sigismundus Ep. otii impatiens tempus fefellit venando, ad metam jaculando, fundendo gemmas fictitias, hodienum maxime æstimatas, inprimis vero arte tornandi, præterea operam dans, ut tubi optici, ab exteris frequentissime expetiti, optime construerentur, licet miraculum, quo artificium hoc Frisingæ detectum refert Autor, nobis persuaderi haud patiamur. Successor Josephus Clemens e Boica domo, paucos post annos hoc Episcopatu abiit, ad sedem Coloniensem evectus. Hinc Episcopatui præfectus Joh. Franciscus Ecker B. a Kapfing & Lichteneck, cujus summa merita in Ecclesiam & literas elegantiores in promovendo præsertim Opere hoc ipso miris laudibus Autor merito exornat. Nec illud nobis omittendum, quod cum intra arctum temporis spatium in Opere pertexendo vires haud sufficerent Nostro, junctus ipsi fuerit sodalis Benedictoburanus, P. *Leonardus Hochenauer*, qui omnia instrumenta fideliter exscripsit, & Indices Operis magno labore concinnavit. Ceterum cum millenario Jubilæo Frisingensis Episcopatus A. 1724, (cujus festivitatem vernaculo sermone enarravit Autor in libro, cui tit. *das danckbare Freisingen,*) saltem Prior Tomus hujus Historiæ potuerit ad finem perduci; id tamen actum, ut integra Historia in compendium redacta vernaculo sermone tunc in publicum prodiret. In Mantissa Tomo II annexa, acta residua ab A. 1724 usque ad obitum Jo. Francisci 1727, & primordia felicissimi regiminis Joh. Theodori successoris ex Ser. Domo Bojorum exhibentur. In Parte Instrumentaria, quam vocat Autor, subjiciuntur documenta ultra quadringenta, quibus veritas præmissorum collustratur.

p. 389. 396. 408. 414. 472. 476. 492.

JO. BURCHARDI MAJI, ELOQU. ET Hist. quondam Prof. de Romani Pontificis electione, Cæsarumque circa eam jure Commentatio; Accessit ejusdem

Disquisitio de Friderico I Ænobarbo Imp. ab Alexandro III Pontifice pede non conculcato. Edidit & Dissertationem præmisit D. HENRICUS MUHLIUS, *Theologus in Ecclesia & Academia Holsatica Primarius &c.*

Kiliæ, impensis Jon. Korten Bibliopol. Altonav. 1729, 4.
Alph. 1 pl. 10.

POsthumus hic quidem B. *Maji* fœtus est, sed felici sidere editus, quippe cui ab Autore ad prelum prorsus parato obstetrices manus attulit Celeb. *Muhlius*, qui & prologum addidit, quo nihil & argumento convenientius, & beatis *Maji* manibus dignius concinnari poterat. Nos igitur de utriusque Viri doctissimis commentationibus, quantum instituti nostri ratio permittet, nonnulla commemorabimus.

Primus ergo, qui præfatur, Cel. *Muhlius*, peroraturus caussam Cæsarum, Regum ac Principum adversus Pontificum R. varias molitiones, haut sane perfunctorie hoc labore defungitur; & quamvis ordinarios fere prologi limites excessisse quodammodo videatur, cum prooemium hoc ad eandem fere, ad quam ipsa B. *Maji* tractatio, molem excreverit; hujusmodi tamen eruditam solidamque prolixitatem animo hoc æquiori feret Lector, quod tanti argumenti amplitudinem vix aliter exhaurire licuerit, & si insignem rerum hic in compendium missarum varietatem spectemus, brevius ac concinnius ea omnia dici haud potuerint.

Orditur scriptor Cel. rem velut ab ovo, ac primum Pontifices molitionum ejusmodi architectos a Bonifacio III ad Gregorium VII usque recenset. Hoc autem pacto personarum ratione habita p. 1 ad methodum modumque, quo in istis molitionibus usi sunt Pontifices, describendum progreditur; hucque comparatum erat *D. Petri* nomen titulusque, quin & *Papæ*, alias Episcopis reliquis communis, itemque *sanctissimi Patris* p. 20 sq. Qua his aliisque titulis sibi vindicata prærogativa, ad excommunicationis fulmen p. 24, interdicti Ecclesiastici pœnam p. 26, clavis ligantis atque solventis potestatem p. 33, viam sibi muniverint. Quarum rerum omnium fidem sicut productis idoneis

neis ubique testibus abunde facit, ita inter alia jucundum est legere Papale aliquod diploma ineditum adhuc, quod ex avtographo A. 1331 Magno, Sueciæ Norvegiæque Regi dato, Cel. Editor p. 34 sq. subjecit. Sequuntur alii molitionum modi, expeditiones cruciatæ p. 36, leges Ecclesiasticæ promulgatæ & ad morem Civilium jurium in peculiare corpus redactæ p. 40, jus quoque convocandi concilia, inque iisdem præsidendi & decidendi p. 43, Pallii item conferendi mittendique p. 45, quin & Cæsares sibi ad obedientiam & fidelitatem obstringendi p. 49 sq. a Pontificibus sibi arrogatum, ereptum porro Cæsaribus jus eligendi confirmandique Pontificis p. 52 sqq. de quo tum ea, quæ B. *Majus* operose edisseruit, hic brevissimis repetit, tum quoque documenta ejus causæ nova quædam exhibet. Indicatur inde, quomodo tam priscis, quam nostris temporibus in sacratissima Cæsarum, Regum Principumque jura involare, iisdemque sese immiscere sedis Romanæ Præsules non dubitaverint, ac p. 75 de tentata hodie Gregorii VII apotheosi nonnihil commentatur. Sed hæc hactenus de S. R. *Mublii* prologo.

Equidem & e *Maji* historia de electione R. Pontificum, atque Cæsarum circa eam jure, non licet multa referre per compendium, quod omnia hic continuo chronologiæ nexu cohærent; quem si discerpas, ægre scriptoris mentem intelliges, si vero retineas, vulgaria tantum & omnibus nota memorari poterunt. Generatim autem ejus historiæ institutum eo redit, ut non tantum ea, quæ ad eligendi Pontificis rationem Cæsares inter & Pontifices acta sunt, referat, sed & cum argumento hoc singulari conjungat, quicquid unquam inter Cæsares Papasque tractatum & conclusum fuit, cumque adeo Autor inde a Papatus initiis usque ad Papam Cæsaremque præsentem progressus sit, plura omnino præstitit, quàm in rubro pollicitus est, dicique adeo hoc novum Opus suo merito possit: *Historia contentionis inter sacerdotium & imperium.* Ut autem appareat, quibus fundamentis jura Cæsaris in Papam R. ejusque electionem potissimum superstruxerit, multum præsidii in tribus præcipue SCtis Romanorum positum ab eo deprehendimus. Hæc tria SCta p. 18 in not. b. enumerat; 1) quo Carolo M. summa potestas in

in Romam data est Seculo IX; 2) Quo Ottoni M. & Germanis eadem Seculo X concessa respectu Carolingicæ stirpis aut acquisitionis ab illa derivatæ; 3) Quo summa illa potestas confirmata est Henrico III Seculo XI. His namque tribus SCtis adversari docet p. 26, quod jura Cæsarea circa Pontificum & aliorum Episcoporum inaugurationem Henrico V Imp. eripere Seculo XII Calixtus II Papa annisus sit, cujus proinde cessionis, contra eadem SCta factæ, vim irritam fuisse contendit. Atque sic etiam Fridericum I Seculo XII hoc jure stetisse; Henricum VII vero Seculo XIV jura sua apud Italos repetentem id vigore superiorum SCtorum fecisse, novumque tum præterea SCtum addidisse p. 62 affirmat. Atque in his SCtis diligentius excutiendis Autorem nostrum præ aliis in hac causa scriptoribus peculiare quid præstitisse existimamus, cum multa alia & ab aliis passim monita etiam a Nostro repetita sint.

De Disquisitione, quæ in calce hujus Operis accessit, & in qua B. *Majus* Imperatorem Fridericum I Ænobarbum ab Alexandro III Pontif. pede non conculcatum probavit, non opus est, ut multa hic afferamus, cum illa, ex quo primum ante hos viginti circiter annos fuit edita, jam multorum eruditorum calculum meruerit, ac nostra adeo commendatione non egeat. Bene interim prudenterque fecit Ven. *Muhlius*, quod pauca hæc folia, quorum vix amplius copiam habere licuit, hic loco haut incommodo recudendi consilium inivit; de quo nec illud prætermittendum, quod ipse in laudata supra Dissertatione proœmiali hoc argumentum pluribus retexere, sententiamque *Maji* negativam p. 84 sq. novis præsidiis quibusdam firmare laboraverit.

PHILIPPI FRIDER. HANE, HIST. EcClesi. & Civil. Prof. Publ. Ord. Colleg. Philosoph. p. t. Decani, atque Acad. Kiloniens. h. a. Pro-Rectoris, Historia sacrorum a B Luthero emendatorum a suis initiis ad religiosæ profanæque purificationis Augustanæ ævum deducta, ac ita methodice concinnata, ut recitationibus Academicis

micis longe commodius adhiberi, usus que ejus pragmaticus inde ad quoscunque studiorum cultores redundare possit.

Lipsiæ, apud Joh. Frid. Gleditschii B. Fil. 1728, 4.
Alph. 2 pl. 14.

INter utilissima summeque necessaria studia, quæ nostra cumprimis tempestate incredibili ardore coluntur, locum haud postremum historia sibi vindicat ecclesiastica. Atque hoc suo quoque exemplo non parum luculenter declarat, qui præsentem historiam concinnavit, celeberrimus Academiæ Kiloniensis hodie doctor *Hanius*, Collega noster perindustrius. Nostrum in præsenti erit, præcipua, quæ hoc volumine continentur, exhibere momenta. Initio præmittitur *Consilium de studio Historiæ Ecclesiasticæ inter Protestantes Nostrates promovendo*, quod jam ante duos annos primum lucem adspexit, & nobis prolixe satis Anno superiori M. Febr. p. 94 sq. recensitum est, ut eo nunc iterum recensendo facile supersedeamus. Cum vero in eo spem fecerit Historiæ Eccles. Novi Test. conscribendæ, nunc prodromum ferme ejus dedit, & a *quarto* Commentariorum, quos molitur, *Tomo*, rationibus, quas in Præfatione exposuit, adductus, initium capit. Is in *tres partes* divisus, universam beatæ Reformationis Historiam exhibet. *Prima*, quæ *Parascevastica* dicitur, ejusdemque *Cap. I fontes & subsidia* commendat, ac Ill. *Seckendorfii* Commentario de Lutheranismo, cui conscribendo Ex-Jesuita Gallus, *Lud. Maimburgius*, causam dederat, primas decernit. Tum autoribus Actorum ac documentorum publicorum, hinc scriptoribus coævis, porro iis, qui res Germaniæ, & reliquarum terrarum attigerunt, licet religionis negotium ex instituto non pertractaverint, nec non illis, qui ævo paullo sequiori ad scribendum animum appulerunt, & denique Pontificiis annalium Conditoribus, justum statuitur pretium, deque *Gothofr. Arnoldo* brevis fertur sententia. Cum vero civilis & sacræ historiæ consociatio insigni prorsus utilitate se commendet, in *Cap. II status orbis politici circa ipsum Reformationis ævum* consideratur, & cura-

tius

tius inquiritur, quinam in Germania Cæsares, in Saxonica domo Electores ac Duces, in Brandenburgica Electores & Marchiones, quales Electores & Comites Palatini, Duces Brunsuico-Luneburgenses, quis Hassiæ Landgravius, quinam Würtenbergici & Badenses Principes, Anhaldini item, Pomerani, Megapolitani atque Saxo-Lauenburgici, & quales denique Bavari Duces, Septem-Viri Ecclesiastici, & ex Præsulibus aliis præcipui, eo vixerint tempore. *Cap. III de Historia Litteraria facie* disseritur, atque ut generatim *literarum παλιγγενεσία*, sic speciatim *Theologiæ*, ejusdemque *Dogmaticæ, Polemicæ, Exegeticæ, & Moralis*, nec non *Jurisprudentiæ* ac *Medicinæ, Philosophiæ & Philologiæ* restituta commemoratur cultura.

In *Altera Parte*, quæ *Exegetica* inscribitur, ejusque *Cap. I Initia Reformationis ad Comitia usque Wormatiensia*, A. 1521 *celebrata*, *Cap. II illius progressus*, ab hoc tempore, *ad exhibitam usque Confessionem Augustanam*, A. 1530. *Cap. III Res Ecclesiæ à Comitiis Augustanis ad mortem usque Lutheri*, A. 1546, & *Cap. IV Acta ultima Historiæ Reformationis in Pace Religiosa* A. 1555, ex optimæ probatæque notæ documentis describuntur.

In *Tertia*, eaque *Pragmatica*, H. E. *parte*, tria *specimina* inveniuntur, quorum primum Theologicum, *de restituta Clerogamia*, alterum e Jure Publico decerptum, *de Principe Protestante*, ejusque origine, nomine, juribus, & prærogativis in Imp. Germanico, tertium vero ad prudentiam Consultatoriam specialem pertinens, *de Memoria Mercurini Arborei de Gattinara*, qui Caroli V a literis olim, & a Consiliis sanctioribus fuit, ac in salutari Reformationis opere egregias partes sumsit, in Disputatione Academica A. 1728 renovata multis verbis disseritur. Natus ille est dimidio Sæculi XV, anno circiter LXV supra millesimum quadringentesimum, Gattinaræ, Pedemontii oppidulo, in tractu Vercellensi ad Sessim fluvium sito. Ac in superiori Italiæ parte, qui Gattinaræ nomen gerunt, hodieque superesse perhibentur. Parente suo in ætate adhuc tenera orbatus, matris cura, præter alias honestas artes, Jurisprudentiam inprimis Civilem coluit. Ob singularem, qua polluit, dexteritatem, aulica munera, & quidem apud Sabaudum Principem primum, tum

vero

vero etiam apud Maximilianum Imp. in Burgundiis, obiit. Tandem a Carolo V R. I. & Hispaniarum Rege ad summas dignitates aulicas evectus, ejus a secretis & consiliis fuit, supremique Cancellarii spartam duodecim ipsos annos ornavit. Consilia non modo politica eidem dedit, sed in caussis etiam ecclesiasticis fidelem se prudentemque arbitrum exhibuit, prolixumque suum erga Protestantes animum ita declaravit, ut ipsi B. *Luthero* carus esset. Qualem is se in celebri Caroli V & Clementis VII R. P. Bononiensi congressu gesserit, quo fato Cardinalitiam acceperit dignitatem, quo tempore diem supremum obierit, & quis ei successor datus sit, hæc omnia usque ad finem Dissertationis persequitur Cl. Autor. Sed & ipse præsens liber, subjuncto duplici, & Autorum, & rerum indice, hac ratione finitur.

JOANNIS TILEMANNI, DICTI SCHENCK, Professoris Philosophiæ Practicæ, Vitæ Professorum Theologiæ, qui in Academia Marpurgensi ad nostra usque tempora docuerunt.

Marburgi Cattorum, sumtibus P. C. Mulleri, 1727, 4.
Alph. 1 pl. 13.

Historiæ literariæ cum præcipua pars sit Historia scholarum primæ magnitudinis, magnam ineunt ab ejus historiæ cultoribus gratiam, qui Vitas Professorum diligentius exponunt, ac vel titulos librorum ab iis compositorum posteritati exhibent. Nec proinde debita laude fraudabitur Cl. Autor, qui, quicquid de Academiæ Marburgensis doctoribus invenire in aliorum libris potuit, curate hic congessit, adjecto e Petri Nigidii *Elencho Professorum Marburgensium* elogio cujusque metrico, & e Wilhelmi Dilichii inedito *de urbe & Academia Marburgensi* Opere vita cujusque breviter descripta, annexo catalogo librorum & Disputationum ab unoquoque editarum. Laudantur igitur hic *Franciscus Lamberti*, Avenionensis Gallus, Reformator Hassiæ; *Adamus Crato, Erhardus Snepfius, Joannes Draconites, Gerhardus Geldenhaurius, Andreas Gerardus*

Hyperius, Theobaldus Thamerus, Henricus Orthius, Joannes Lonicerus, Bartholomæus Meierus, Joan. Garnerius, Wigandus Orthius, Joannes a Waltmannshausen, Henricus Victor, Daniel Arcularius, Georgius Sohnius, Nicolaus Rhodingus, Ægidius Hunnius, Joannes Winckelmannus, Joan. Moltherus, Christoph. Cramerus, Balthasar Menzerus, Georgius Schonfeldius, Caspar Sturmius, Raphael Eglinus Iconius, Georgius Cruciger, Joannes Crocius, Justus Feurbornius, Joannes Steuberus, Meno Hannekenius, Joan. Henricus Tonsor, Sebastianus Curtius, Joannes Heinius, Gregorius Stannarius, Jo. Georgius Crocius, Henricus Duysingius, Reinholdus Pauli, Samuel Andreæ, Philippus Joannes Tilemannus, dictus *Schenck, Thomas Gautrius,* & *Laurentius Crollius.* Pauca more nostro hinc excerpimus. E *pag. 3* & *8* discimus, Franciscum Lamberti initio cum Luthero sensisse in articulo de S. Cœna, sed A. 1526 Zuinglii doctrinam amplexum esse. Idem *p. 51* traditur de Geldenhaurio, & *p. 59* de Hyperio. *P. 68 sqq.* turbulentum & fanaticum ingenium Theobaldi Thameri, tandem in Papæ castra transgressi, describitur. *P. 99 sqq.* exhibetur Barthol. Meieri scriptum Germanicum, quo declarat, se non posse subscribere *Libro Concordiæ.* Hunnium Cl. Autor *p. 149* vocat *Ubiquitariorum antesignanum,* & *p. 151* scribit, eum, cum multa moliretur nova, a Landgraviis abdicatum esse munere Professoris: idque ad probandum literas Landgravii Wilhelmi ad Ludovicum seniorem datas exhibet *p. 151-156.* Quando vero *p. 157* scribit, Hunnium Wittebergæ *diem suum obiisse, non sine circumstantia singulari, quam lubens prætereat;* magnopere veremur, ne futuri sint, qui vitio ipsi vertant hoc scribendi genus. Cum enim historici sit, omnia fideliter transcribere, & satis appareat, Cl. Autorem non favere laudibus Hunnii; gravi suspicioni fenestram aperuisse videbitur. *P. 202 sqq.* exhibetur lectu dignissimum Joannis Crocii judicium, nomine Collegii Theologici conscriptum, de Duræi consiliis henoticis. Illud ultimo loco adjicimus, sex adhuc vivere Theologos Marburgenses, quorum vitas Cl. Autor non exposuit, *Ludovicum Christianum Miegium, Joan. Henricum Hottingerum, Jo. Henr. Schrammium, Joan. Christianum Kirchmeierum,*

meierum, *Bernhardum Duyssingium*, & *Joan. Sigismundum Kirchmeierum.* Horum tres posteriores adhuc ibi funguntur munere Professorio: ceteri inde translati sunt alio, & duo quidem Heidelbergam, unus Dillenburgum. Optamus, ut brevi etiam videamus promissas in Præfatione Vitas JCtorum, Medicorum, & Philosophorum ejusdem Academiæ.

HISTORIA MICHAELIS SERVETI, quam Præside JO. LAURENTIO MOSHEMIO, Abbate Mariævallensi & Michaelsteinensi, Sereniss. Ducis Brunsuic. & Luneb. a Consiliis sanctioribus, Theol. D. & Prof. P. O. publice exponit Autor HENRICUS AB ALLWOERDEN, Stadensis.

Helmstadii, stanno Bucholziano, 1727, 4.
Alph. 1 pl. 9.

AUtor hujus libri doctissimus in Præfatione commemorat singulos, qui ante ipsum aggressi sunt conscribere historiam Serveti, interque eos principem locum tribuit Michaeli de la Roche; quanquam desideremus, omissam hic esse editam Lutetiæ A. 1723 *Historiam Socinianismi*, cujus Autorem copiose persecutum esse historiam Serveti, in his *Actis* observavimus A. 1726 p. 260 & 261. Cum vero nondum exhausta sit a quoquam hæc historia, statuit & accuratius, & uberius persequi singula ejus capita, præsertim cum ipsi a Summe Reverendo suo Præside amplissima darentur collectanea, quæ ipse pluribus abhinc annis eodem consilio studiosissime congesserat. Nec tamen hinc exhibet nisi *historiam vitæ & scriptorum Serveti*, alio tempore daturus cetera, quæ disputari de Serveto possunt, quæque sub finem Præfationis enumerat. Initio igitur facto a nomine Serveti, docet, quo anno quibusque parentibus natus sit. Docet item, ei Reformationem Lutheri occasionem præbuisse investigandi in sacro Codice veritatem, & aliis ea tradendi, quæ sibi persuaserat esse verissima. Profectus igitur in Helvetiam Oecolampadium adiit, cumque eo multas disputationes habuit. Hinc eodem fine Argentorati collocutus est cum Bucero & Ca-

pitone: quo tempore (scilicet A. 1531) librum edidit *de Trinitatis erroribus*. At cum ea re se incurrisse animadverteret offensionem spectatissimorum virorum, sequenti anno mollius scriptos *duos de Trinitate dialogos* publicavit. Postea Lugduni vixit, partim corrigendis typographorum erroribus vitam sustentans, partim libros componens. Inde Lutetiam se contulit, ubi, postquam prius Magister Philosophiæ, deinde Doctor artis medicæ factus esset, non solum medicinam fecit, sed & mathematicas artes studiosis juvenibus tradidit. Nec vero nuntium ideo misit theologiæ studio: imo vero acrius in id ipsum incubuit. Postquam hinc in oppido quodam Galliæ, cui nomen Charlieu, biennio circiter commoratus esset, in Delphinatum, & quidem Viennam, se recepit, ibique ægrorum saluti consuluit. Inter hoc etiam cum Calvino instituit literarum commercium, itemque cum aliis, de argumentis theologicis. Verum summum Calvini odium suis literis provocavit, quod majorem in modum auxit edita A. 1553 *Restitutio Christianismi*. Tum enim impulsu Calvini Viennæ conjectus est in carcerem, & ignis supplicio adjudicatus. Ex quo cum aufugisset, effigies ipsius pro ipso fuit combusta publice. Delatus hinc Genevam, non ut ibi subsisteret, sed ut statim alio tenderet, proditus a Calvino, & in carcerem deductus, ac post longum examen superatasque maximas carceris molestias, instinctu Calvini damnatus est ad ignem. Ipsa Senatus Genevensis sententia hic loci producitur. Combustus igitur est die 27 Octobris A 1553. Hæc singula a doctissimo Autore describuntur copiose, adjectis luculentissimis autoritatibus. Præterea multorum, maxime Calvini, mala fides notatur: multorum etiam errores corriguntur. Errant scilicet, qui Andream Servetum cum nostro confundunt: qui referunt, eum aliquando in Africa fuisse versatum, ibique partim a Judæis, partim a Muhammedanis accepisse doctrinas impias: qui putant, in primo Augustanæ Confessionis articulo innui dogmata Serveti: qui negant, Calvinum fuisse autorem captivitatis Serveti Viennensis. Inter hæc dignum cognitu est, Theo-
§. 43 & 44. logos Helvetios a Senatu Genevensi rogatos non sustinuisse capitis pœnam in Servetum decernere. Nec minorem init gratiam

tiam Autor doctissimus, cum §. *LXI* excerpta exhibet ex inedita Guilielmi Postelli *Apologia pro Serveto*; & cum §. *LXII* disserit de præfixa huic Disputationi effigie Serveti, eamque veram & germanam esse, contendit; denique cum §. *LXIII* ex libro quodam rarissimo brevem edit Historiam Serveti. Sequitur hinc tractatio de libris a Serveto scriptis, qui cum sint rarissimi, non est, quod dubitemus, omnibus fore pergratam copiosam hanc & accuratam de iis commentationem. Scripsit vero infelicis ingenii vir primo *de Trinitatis erroribus libros septem*, quos multi perperam confundunt cum *Restitutione Christianismi*. Et septem quidem illorum librorum etiam Belgica versio prodiit A. 1620. Tum edidit *Dialogorum de Trinitate libros duos*, & *de justitia regni Christi Capitula quatuor*. *Cl. Ptolemæi Geographiam* cum notis suis ex eo tempore publicavit: nec ita multo post *Syruporum universam rationem ad Galeni censuram diligenter explicatam*, una cum *Disceptatione de concoctione*, & *vera purgandi methodo*. Hinc auspiciis ipsius edita sunt *Biblia sacra ex Santis Pagnini translatione, sed ad Hebraicæ linguæ amussim ita recognita & scholiis illustrata, ut plane nova editio videri possit*. Ac in hæc quidem scholia, monstri non nihil alentia, censuras aliorum proferendas merito duxit Autor doctissimus. Ultimum Serveti opus erat *Christianismi restitutio*. Cujus omnia exemplaria, partim Viennæ, partim Francofurti combusta per carnificem, adeo sunt e medio sublata, nemo ut hodie gloriari possit, se opus illud typis exscriptum vidisse. Supersunt tamen exemplaria ipsius exarata calamo: e quali codice hic repræsentantur argumenta operis, itemque fragmenta nonnulla: e quibus illud potissimum commemoramus, quod *p. 230 sqq.* deprehendimus, & ex quo doctissimus Autor apparere judicat, Servetum diu ante Harvæum cognovisse ac docuisse circulationem sanguinis.

Das Gedächtniß der Ehren, &c.

hoc est,

ELOGIUM ALBERTI DURERI, AUTORE HENRICO CONRADO AREND, Pastore Ecclesiæ Grundensis.

Goslariæ, apud Jo. Christ. Kœnig, 1728, 8.

Plag. 9.

PRinceps Germaniæ pictorum habetur *Albertus Durerus*, cu-
jus vitam & ingenium nitido, amœno & oratorio stylo hic
describit Rev. Autor. Natus is erat Noribergæ d. 20 Maji A.
1471. Ingenium nactus est tam pictorium, ut & affines pictu-
§. 6. ræ artes ad miraculum usque calleret. Nam cælatoriæ artis, in
qua *αὐτοδίδακτος* fuisse videtur, fuit peritissimus, nec æri so-
lum, verum etiam ligno figuras incidit scitissime. Optima
8–13. utriusque artis specimina, a *Durero* edita, recenset copiose Au-
tor doctissimus, cui felicitate haud vulgari contigit plurimas
oculis suis usurpare & picturas & cælaturas Durerianas. Com-
14. memorat item imagines stanno & ferro incisas a *Durero*, nec
15. minus factas ab eo artificiosissime modo calamo, modo creta,
designationes: & loca laudat, ubi ad hanc usque ætatem as-
servantur earum exempla omnium admiratione dignissima.
16. Pari modo pictoriæ ejus artis eximia laudat & digito quasi de-
17. monstrat specimina: simul docens, eum statuariæ quoque artis
tantam habuisse peritiam, ut nemini suo ævo esset secundus.
18. Vulgo vero artificum eximendum esse *Durerum*, libri ipsius
doctissimi facile persuadent, quos omnes (erat enim Latinæ lin-
guæ non satis peritus,) patrio sermone conscripsit. Edidit
scilicet A. 1525 *Institutiones Geometricas*, quarum Latina versio
Lutetiæ decem annis post prodiit in publicum; A. 1527 librum
de arte muniendi urbes, qui & ipse A. 1535 Latinum translatus
est in sermonem; libellum *de varietate figurarum in flexuris*
partium ac gestibus imaginum, qui anno demum 1534 emissus
est; A. 1528 libros quatuor de *symmetria partium corporis hu-*
mani. Et hoc quidem Opus tam magni fuit habitum, ut A.
1534 ederetur interpretatio ejus Latina, a *Joach. Camerario*, cla-
rissimi viro nominis, facta; A. 1591 Italica, A. 1614 Gallica, A. 1622
Belgica. Quantum quamque illustre nomen tanta ars tantum-
que

quis ingenium pepererit *Durero*, facile intelligitur. Nec tamen famæ, quæ, *Durerum* a Maximiliano Imp. in censum Equitum relatum fuisse, vulgavit, assentiendum ducit Historicus noster. §. 19.
Una summi artificis calamitas fuit uxor, cujus & avaritia & superbia perpetuo molesta fuit marito illorum vitiorum vacuo. 20.
Qui cum A. 1528 d. 6 Aprilis vita excessisset, summus ipsius amicus, *Bilibaldus Pirckheimerus*, metricum ejus elogium vulgavit: 21.
quod & hic repræsentatur lectoribus una cum aliorum breviori-bus epitaphiis, claudente hoc agmen epitaphio publico, quod adhuc in cœmeterio Noribergensi omnium patet conspectui. 22.
En illud:

Vixit Germaniæ suæ decus
ALBERTUS DURERUS
Artium lumen, sol artificum,
Urbis patriæ Norib. ornamentum,
Pictor, chalcographus, sculptor
sine exemplo, quia omniscius,
dignus inventis, exteri
quem imitandum censerent,
Magnes magnatum, cos ingeniorum.
Post sesquiseculi requiem,
quia parem non habuit,
Solus heic cubare jubetur.
Tu flores sparge, viator.
A. R. S. MDCLXXXI.
OPT. MER. F. CUR.
I. D. E. S.

ARTERIÆ COELIACÆ TABULAM ejusque descriptionem communicavit AUG. FRID. WALTHER, S. M. Polon. Regis & Elect. Sax. Archiater, Anatomes & Chirurgiæ in Academia Lipsiensi Professor Publicus.

CUm ea inter, quæ hac etiam ætate exquirenda diligentius in anatome superesse videntur, emendatam ac luculentiorem arte-

arteriæ cœliacæ descriptionem tabulamque desiderari olim animadverteremus, tum, quoties cadavera incidendi, nobilissimæque arteriæ ramos præcipuos pernoscendi se nobis obtulit occasio, operam pro virili dedimus, ut quid crebrius, quid vero rarius in cœliacæ divisione, perinde ac ramorum, inprimis gastricorum, hepaticorumque principalium numero visum a nobis esset, qua decet cura studioque, annotaretur. Quæ quidem ita observata fuerunt, ea, quanquam omnia icone exprimi ac satis comprehendi, & pro dignitate sua repræsentari nequeunt; tamen in hac rerum insigni varietate & copia, pluribus ex arte præparatis humanorum cadaverum arteriis cœliacis, talem seligendam delineandamque duximus, qualem, rariori in observatione ac nova major hepaticarum arteriarum notabiliorumque numerus nobis commendavit, quippe commodum satis erit deinde supplere verbis, quicquid nec capi tabula adjecta, nec distincte exhiberi potuit.

Claud. Galenus L. Dissect. Ven. & Art. cœliacam quidem prope originem diduci bifariam & in hepar ventriculumque ac jecur converti retulit. *Andr. Vesalius* L. III de Corp. Hum. Fabr. cap. 13, hanc distinctionem confirmavit, dixitque: „a dextro „ramo duodenam ad intestinum hujus cognominis, deinde autem epiploicam in superiorem omenti membranam, ac porro „gastricam ad dextram & medium usque fundi ventriculi partem promitti, denique reliquam illius dextri rami portionem „ad hepar procedere; verum antequam hæc eo perveniat, duos ipsam surculos cysticos producere: At sinistrum arteriæ „cœliacæ ramum, mox gastricam reddere sinistram, quæ ex „parte una in mediam ventriculi sedem, ex altera vero in orificium sinistrum proferatur, & inter hos ramulos unum ad dextrum orificium porrigi, qui in progressu prospiciat surculis „tam anteriori quam posteriori ventriculi sedi: Inde juxta inferiorem omenti membranam propaginem diffundi, unde & „colon numerosam arteriarum sobolem accipiat: tandem vero reliquam splenis arteriam in duos ramos, & hos rursus in „longe plures minores dividi, ut & frequenti serie lienis cavo, „secundum rectam lineam arteriæ implantentur, & antequam

„ita

ita fiat, rami tam omento, impertiantur, quam ad fundum ventriculi finisteriorem reflectantur." *Vesalium* excellentem ceteroquin anatomes usu secuti sunt, & hanc ejus divisionem arteriæ cœliacæ in ramum dextrum & finistrum, longeque plura, quasi vero constans & observatio esset, & doctrinæ norma, anatomici & physiologi acceperunt omnes, maximeque illi, qui iconibus artem illustrarunt, nec ultimo scriptore *Joh. Palfino* excepto; præterquam quod diaphragmaticam ex cœliaca oriundam, & cum hepate communicantem plures annotaverunt; & quod apud Cl. *Morgagnum* Epistola I n. 71 relatum legimus, quondam ante novem annos, arteriarum hepaticarum duos se invenisse truncos; porro, quod Cl. *Fantonus* Anat. Corp. Hum. Diss. VI tradit, se duas semel iterumque arterias hepaticas vidisse: denique, quod apud Cl. *Ruyschium* Adv. Dec. I p. 21 cysticæ arteriæ, ex arcuato flexu aortæ oriundæ, duo rarissima commemorantur exempla. Duos cœliacæ ramos, ad hepar delatos, *Barth. Eustachium* delineasse *Jo. Mar. Lancisius* opinatur; sed an cystica una arteria, an vero, uti magis cum observationibus convenit, hepatica dici altera debeat, id inde non adeo liquet. Geminas si quidam scriptores cum *Vesalio* cysticas retulerunt, aut contra alii ab eodem aliquantum recesserunt, id nunc haud ex omnibus referre, nedum observationes defendere ac conciliare operæ pretium erit. Placet e recentioribus notissimum, &, cum quo fere plurimi conveniunt, proferre scriptorem *Phil. Verheyenum*, qui Anatom. Tract. VII Cap. I ita loquitur: "Abscedit autem arteria cœliaca trunco " simplici a parte anteriori aortæ, paulo inter diaphragma, statimque dividitur in ramum dextrum & finistrum. Ramus " dexter producit gastricam dextram ad ventriculum, ad omentum, epiploicam dextram, deinde pancreaticam dextram, & " duodenam, cysticam & hepaticam. Ramus finister germinat finistras gastricas, epiploicam, & quosdam exiguos ramos " ad pancreas; deinde maxima ejus pars arteria splenica lieni " impenditur."

Quare nos integram, & altiore abdominis loco pluribus explicatam involucris humani corporis cœliacam, cum notabili-

D liori-

lioribus ramis, omnia vero, ut cera liquata fuerunt impleta, & Anatome publica cadaveris masculini d. d. 2 April. A. 1729, a nobis demonstrata, vel ideo selegimus proponenda, quod ad hocce nostrum exemplum, quo tres trunci habentur hepatici, quodve nondum alii memoriæ prodiderunt scriptores, facile accommodentur plures in cadaveribus, quicunque occurrunt casus. Igitur tabula, quam adjecimus, truncus visitur arteriæ cœliacæ Q, cujus diameter partes nostri digiti duodecimas, seu lineas quinque cum semisse conficit; & is, inter unam vel duas superiores diaphragmaticas, scilicet illas exiguas, & hoc in exemplo P litera notatas, quæ ad dexteriorem partem transversi tendunt septi, deinde inter meseraicam superiorem R, quæ cœliaca quodammodo crassior est, ex aorta A egreditur, adeoque inter fines diaphragmatis, adhuc dum carneos visos, magis vero inter radices mesenterii membranosas erumpit. Inde hic noster truncus, scilicet ab origine sua septem circiter lineis pergit, ac primum offert diaphragmati notabiliorem præ alteris arteriam S, posteriori magis loco a se emissam, lineamque cum semisse crassam; & hæc prima omnium propago ad majorem, sed finisteriorem partem diaphragmatis E pergit, eidemque ramificationibus suis prospicit. Abhinc exiguo intervallo & duabus circiter lineis truncus cœliacus dextram versus producitur, quindecim lineas longam mittens arteriam, duasque lineas atque semissem crassam, quam hepatico-gastricam primam nuncupamus T; quippe hæc abit versus finistram, & edit, præter b hepaticam primam, quoque gastricam insigniorem primam X, quæ duarum linearum diametrum habet, & utrinque superiorem ventriculi partem ab orificio finistro fere ad dextrum usque perreptat; deinde mox eadem T, ad locum in ramo U, octo lineis continuatur, gastricamque minorem prioris sociam, a, crassitiei quinque quartarum lineæ partium, aliamque minorem profert, quæ, cum extremam gulam & orificium finistrum, tum subjectos ventriculi superiores fines, finistrosque, ramis suis coronant: Tandem quod inde superest b, arteria hepatica prima a nobis vocatur, quæ duarum linearum crassitiem videndam exhibet, & dimidii pollicis intervallo,

lo, ab illo hepatis loco, ubi inseritur, in duos ramos majores, ac totidem circiter exiliores dividitur. Distat insertionis locus a divisione prima hepatico-gastricæ, duos pollices atque semissem. Vasa, quæ modo proposuimus, propria obductione transversa & membranosa, O, quæ pinguis, sed a *Glissonii* capsula remotior est, abscondita latent, facileque in Anatome sub parvo, quod ita Cl. *Winslous* vocat, omento visui se subducunt, ac negliguntur.

Sed redimus ad truncum cœliacum, qui septem linearum intervallo a loco, quo arteriam T is ablegaverat, in duas principales dividitur partes, seu in hepatico-gastricam alteram Υ, & splenicam superiorem Z. Hæc demum trunci ita reliqui divisio, cum illa, quæ sola vulgo animadvertitur, propemodum convenire videtur, quando eum in cœliacam dextram atque sinistram, fere omissis pluribus ex iis, quæ modo retulimus, autores diviserunt. Dexterior altera, crassitie, nondum quatuor lineas, sinisterior vero lineas quatuor cum semisse refert. Ista cum lineis circiter octodecim processit, hepaticam alteram c, duas lineas & duas partes tertias crassam porrigit, relinquens in hoc exemplo nostro hepatico-gastricam continuatam e, duarum linearum & trium partium quartarum diametri; quippe, quæ ita dicitur, quod præcipue in hepaticam tertiam lineæ unius cum parte quarta diametri, d, mox a divisione abeat, & porro in gastricam dextram e e duarum linearum desinat. Postquam ita nunc duas, nunc tres impertiri hepati arterias insignes vidimus, nisi aliæ quoque rationes nos hoc monerent, vel tamen ideo magis ad juvandum sanguinis progressum per cavæ venæ hepaticas propagines, quam duntaxat ad nutriendum viscus per quascunque arterias, cruoris ad hepar derivari copiam contra opinionem a multis receptam arbitramur. Sed hi majores eminentesque sunt rami, quos hactenus descripsimus, & in quot a parte dexteriore nostra cœliaca dividitur omnis. Trium supersunt ultimarum arteriarum rami, neque ideo jam negligendi, quod partibus aliis, & quidem insignibus destinentur. Itaque arteria hepatica altera c, mox ubi hepatis causa dividitur, & fere viscus subit, arteriam cysticam lineæ diametri a se dimittit, quæ decem lineis ab ortu suo in duos dispescitur

D 2 ramos;

ramos; qui utrique folliculi fellis lateri, tam anteriori quam posteriori prospiciunt, & anastomosibus inter se pluribus conveniunt. Sequitur arteria hepatica d, quæ non solum in transitu versus hepar ramum minorem eo ablegat, sed etiam prope e e, gastricam dextram exiguam, k, ad superiorem partem pylori ventriculique ea mittit, cujus rami quoque proferuntur ad ventriculi sextam circiter longitudinis partem, quippe Anastomoses paraturi cum ramis X trunci, quem superius exposuimus. Reliquum est, ut de gastrica dextra e e, quæ in ordine nostro tanquam tertia ad ventriculum pertinet, nunc etiam aliqua addamus. Hæc juxta arteriam hepaticam tertiam, mox duodenam g quinque quartarum lineæ partium diametri educit, quæ plures illico ramos ad intestinum defert, & quatuor circiter digitorum intervallo ab origine sua, seu post finem ductus cholidochi, anastomosin cum ramo arteriæ meseraicæ superioris format; cujus generis anastomoses plures inprimis inter minores utriusque fontis ramos subinde fiunt. Post duodenam, hæc gastrica dextra a parte priori, & dexteriori, unam alteramque gastricam atque epiploicam f, sed a parte sinisteriori, & posteriori, duas vel tres notabiliores pancreaticas, i, reddit, & porro cum socio venæ portæ ramo hæc gastrica arteria omento, juxta pancreatis ampliorem partem, & dexteriori loco innectitur, mox cum eodem ramo venoso fundum ventriculi consequitur, cujus directionem viamque cum servat, tum gastricas, & gastro-epiploicas arterias plures suppeditat, ventriculumque adeo suis ramificationibus ad usque partem, quæ lienem respicit, longissime coronat.

Jam de splenico cœliacæ ramo Z tria adjicimus verba: Hæc arteria circiter parte quarta amplior arteria Y est, & statim, ut aliam ab origine insignem, ita in progressu longe plures pancreaticas, h, sibi adhærenti glandulæ tribuit; notatuque dignum est, quod ex his pancreaticis duæ vel tres posteriores, m, quæ membranæ ipsius innectuntur glandulæ, hanc quoque transeant, & ad colum intestinum cum sociis insignioribus meseraicæ superioris ramis proferantur. At in arcum quodammodo versus sinisteriora abdominis loca, ducitur, qui hac nostra icone exhiberi


beri ob longitudinem integer non potuit ſplenicus cœliacæ ramus, ipſeque jam, & in medio itinere ſuo, arteriam primam emittit; quæ propago longior, & admodum juxta ſplenem flexa, tortaque, etſi ſpleni ſuperiori tandem reddatur, tamen duas vel tres gaſtricas ad eam partem ventriculi quaſi a ſe reflecti patitur, quæ & ſiniſterior, & ſpleni ſuperiori eo propinquior, quo ab ante laudatis gaſtricorum vaſorum originibus remotior eſt. Tandem truncus arteriæ ſplenicæ, quo loco cuſpidatum deſinit pancreas, ſplenemque inferius attingit, torquetur iterum ac retorquetur, ſtatimque ſerpentino ductu per longitudinem viſceris in ſuperficie, quæ ventriculum ſpectat, pergit, ramisque inſignioribus in ſplenem penetrat, & ad ſuperiorem finem viſceris, cum ramo, quem ante in medio itinere ſuo ablegaverat, denuo conjungitur. Illo pariter loco, quo finiri pancreas diximus, epiploicas ſiniſteriores arterias, craſſioresque, prodire a ſplenico trunco cernimus, quæ humiliori inprimis omenti membranæ proſpiciunt, quemadmodum hæc atque plura de eodem ramo *Andr. Veſalius* expoſuit.

Sed nunc omnia, quæ a nobis, anatomen exercentibus, circa cœliacæ truncum in multis cadaveribus viſa fuerunt, magis connectere & ad certos referre caſus ſtudebimus. Ac de phrenicis arteriis id exploratum tenemus, quod crebrius ex cœliaca duæ oriantur arteriæ, qualis e loco S ducitur, earundemque ad dextram una, ſed altera ad ſiniſtram diaphragmatis partem procedat. Neque vero eæ ſemper æqualem magnitudinem habent, ſed aliquando dexterior & major viſa, plerumque poſt principium cœliacæ nata, ſimul atque hæc ad dexteriorem partem diaphragmatis promittitur, tum quoque parte ſui in thoracem penetrat, ramosque gulæ, & locis vicinis præbet, perinde ac hepati, nunc majores, nunc minores, pluresque, aut pauciores, propagines tradit, prout aliter natura hepati, aut etiam minus arteriis proſpexit; quemadmodum non ita multo poſt patebit. Rarius præ illo, quem diximus caſu accidit, ut dexterioris vices geſſerint duæ minores, ex aorta prolatæ, P, & ita cum altera, quæ ex loco S producitur diaphragmati ſuffecerint, quemadmodum in noſtro exemplo pingitur; ſed aliquando in locum

plurium phrenicarum natura singulum & majorem truncum, qui ex aorta loco circiter P nascitur, substituit, septoque transverso impertivit. Rarissimum denique illud esse deprehendimus exemplum, & quidem novissima Anatome publica a nobis visum, quo dexterior phrenica arteria in primo casu, quem supposuimus, e loco inferiori, & ex splenica, prope hujus ipsius originem provenisse observata fuit. Tres itaque quatuorve phrenicarum arteriarum varietates magis esse obvias nunc animadvertimus; sed tot pariter hepaticarum differentias, præter illum *Vesalii* casum modo percensemus. Ac primum in illis maxime cadaveribus, quibus plures phrenicæ soboles ad hepar delegatæ fuerunt, in his arteriam U defecisse observatur; sed locuples natura ut hunc defectum assidue suppleret; eo tum crassiorem Y arteriam cœliacam dextramque fecit, quæ duos hepaticos truncos in tractu Y laudato promeret, quorum hepaticorum alter, sicuti c, in capsula *Glissonii* prorepit, & aliam, e, mittit; alter vero & cœliacæ propinquior Y ab ductu deflectit, & communiter extra capsulam *Glissonii*, usque ad locum, quo b inseri in viscere diximus, produci spectatur. Ad secundum vero casum quod attinet, priorem frequenter inveniri, sed hunc vix rariorem esse, toties iteratæ observationes nos monuerunt, quo scilicet casu, ut etiam tabula commonstrat, arteria T, quæ in multis corporibus tantum in ventriculum convertitur, nihilominus in totidem fere aliis subjectis hepaticam primam, sæpe vix altera c minorem profert, qualem U atque b literæ in nostra icone fere designarunt. In tertio, sed rarius viso exemplorum genere tres hepar truncos, distinctosque accipit, & similia fere omnia visuntur illorum, quæ tabula nostra exhibentur. Plures circa minores cystidis, aut omenti, aut duodeni intestini, aut pancreatis arterias varietates, & reliqua, quæ observavimus, ea nunc mittimus, nec verbis declaramus; verum ordinarie non ex splenica arteria, sed ex trunco cœliaco gastricam sinistram T X provenisse adjicimus, & ita observationes, quas fecimus, contra *Vesalium* & reliquos pugnare anatomicos testamur. Quæ tandem cuncta si non omnem primæ cœliacæ varietatem exhausisse videntur, majorem duntaxat in doctrina veluti movisse lapidem, sed & aliorum ita

ex-




TAB. I ad A. 1730 M. Jan. pag. 31
Krügner sc. Lipsiæ

excitasse anatomicorum industriam sufficere nunc poterit. Nam nisi vel nobis ipsis quartum, sed minimum frequens exemplum hepaticarum arteriarum nominare magis, quam exponere fusius nunc placeret, tum rem, quantum nos scimus, neque ab aliis, nisi fortassis a celeberrimo *Heistero* in Comp. Anat. obiter notatam, nedum a *Cheseldeno*, cum ordinarios, non vero rarissimos meseraicæ enumeraret ramos, observatam, non prætermitteremus; scilicet truncum hepaticum, c, qui communiter innotuit, non a cœliaca, sed a meseraica superiore, & quidem immediate processisse, ita nos novissimæ Anatomes publicæ d. d. 29 Octobr. 1729 exemplo cognovisse. Eandem enim observationem, & melioris notæ alteram, qua in eodem cadavere ductus thoracicus, pro utraque vena subclavia insigniter bipartitus demonstratus fuit; hæc & nonnulla alia, in singulo illo subjecto visa, mereri existimamus, ut alio tempore & luculenter exponantur.

TABULÆ EXPOSITIO.

TAB. I.

A. Arteriæ magnæ pars producta ante ventriculum.
B. Ventriculus, quam fieri potest, versus sinistram reclinatus.
C. Ejus orificium sinistrum.
D. Venæ cavæ portio unde hepaticæ venæ prodeunt.
E. Diaphragmatis portio.
F. Hepar cum lobo F F.
G. Folliculus fellis.
H. Ductus cysticus.
J. Ductus hepaticus.
JJ. Ductus cholidochus.
K. Arteria cystica, non duplex, sed singula, & in duos ramos pro utroque latere divisa.
L. Intestini duodeni aperti & reflexi rugosique pars.
M. Orificium ductus cholidochi & pancreatici in duodeno intestino.
N. Pancreas.
O. Membrana remota, quæ obducit hoc loco arteriam hepaticam primam, ac gastricas sinistras a dextra ortas & diaphragmaticam cœliacæ.
P. Arteriæ diaphragmaticæ ex Aorta duæ.
Q. Arteria cœliaca.
R. Arteria meseraica superior.

S. Arteria

S. Arteria ex cœliaca diaphragmatica major.
T. Arteria ex cœliaca hepatico-gastrica prima.
a. Gastrica minor ab dextra orificium ventriculi sinistrum versus ablegata.
U. Portio T unde a editur.
b. Arteria hepatica prima.
W. Truncus venæ portæ.
X. Gastrica prima & insignis orificium ventriculi sinistrum versus ablegata.
Y. Arteria hepatico-gastrica altera.
Z. Arteria splenica.
c. Arteria hepatica altera.
d. Arteria hepatica tertia.
e. Arteria Y continuata hoc loco offerens hepati arteriam d.
ee. Arteria gastrica, quæ dextra dicitur.
f. Arteriæ ad omentum & duodenum delatæ.
g. Arteria duodena.
h. Arteriæ pancreaticæ plures a splenica arteria.
i. Arteriæ pancreaticæ a gastrica dextra ortæ.
k. Gastrica minor dextra.
m. Arteriæ splenicæ propagines ad intestinum colon sub pancreate tendentes.

OBSERVATIONES METEOROLOGICÆ, factæ Lipsiæ, 1729, a G. F. R.

QUod superiori anno exhibui Diarium meteorologicum, nunc continuandum duxi. Nihil fere mutatum, nisi quod observationes adjectæ thermometricæ, horis in columna dierum, quod angustia spatii sic postulare videbatur, prætermissis; de quibus hoc unum monere satis est, primam cujuslibet diei observationem, æstate factam esse circa horam septimam, hyeme circa octavam matutinam; alteram hora IV pomeridiana; tertiam denique sub noctem, post horam X. Altitudines hydrargyri in barometro, ut antea, digitis Londinensibus, eorumque partibus centesimis expressæ. Facta digitorum mutatione sub tempus tertiarum vel etiam secundarum observationum, si illa mutatio ad sequentes dies perduravit, ut d. V, XIV, XV Jan. XVI Jun. XIII Aug. tum partes centesimæ, ope uncinuli [, ad digitos lineæ proximæ relatæ; sin minus, totæ obser-

observationes, adjectis ipsis digitis, duobus uncinulis [] inclusæ, ut d. XIV & XXV Nov. Thermometro usus sum mercuriali, quod cum barometro fere convenire, facilique negotio vel ex eo fieri, vel in illud mutari constat, dummodo aer externus vel admittatur vel arceatur, & (quod caput rei est) alia adhibeatur graduum divisio; quæ in meo quidem ad hunc modum se se habet: Totum spatium, a loco supremo, quem in aqua bulliente attingit hydrargyrum, ad ejusdem in inferiori vasculo stagnantis superficiem, in tres partes æquales, harumque supremam (nam in duabus reliquis id minime opus est, cum ad eas non descendat hydrargyrum) in 100 gradus, ac postremo singulos gradus in 4 particulas minores divisi. Gradus sursum numerantur; itaque summo loco adscriptus numerus 100, vel potius 300, nam duæ partes inferiores 200 gradus similes complecti judicandæ sunt. Decimus octavus (supra ducentesimum) est gradus congelationis: circa trigesimum calor nostro sensu quam maxime temperatus indicatur: ad primum, ut opinor, nunquam, multo minus infra illum, in nostris regionibus, hydrargyrum delabitur, nisi in mistura nivis & salis posito thermometro, ubi duos fere gradus profundius subsistere mercurium observavi. Jamque sensus numerorum, in columna thermometro destinata, non potest esse obscurus. Die 1 Jan. mane, hydrargyrum duabus partibus quartis supra gradum quartum, vesperi vero, tribus partibus quartis supra sextum (& ducentesimum) elevatum fuit: d. VIII Aug. circa horam IV pomerid. mercurius gradum attigit (supra ducentesimum) quadragesimum primum: atque ita porro. Videor autem affirmare posse, ut in barometro diversas aeris gravitates, sic in isto thermometro diversos caloris gradus, diversis altitudinibus columnarum hydrargycarum, si non accuratissima, at satis propinqua proportione respondere, ob eamque rem calorem aeris, qui (exempli causa) d. VIII Aug. hora IV obtinuit, ad calorem, mane d. I Jan. observatum, (nam frigus quantumvis intolerabile nihil aliud est quam calor diminutus) non majorem habuisse rationem, quam numerum 241 ad numerum 204½. Sed & thermometra satis congruentia ubivis terrarum construi

E hac

hac methodo posse palam est. Qua de re alio loco plura. Nunc de meteoris & tempestatibus anni proxime elapsi dicendum. Et quidem hyeme ac primo vere intensissimum regnasse frigus, ac subinde vires resumsisse, nemo nescit: fervores æstatis satis mediocres: pluviæ nimis raræ: venti frequentissimi ac prævalidi: tonitrua pauca & fere longinqua: autumnus medius subfrigidus: extremus vero remissus, valdeque pluvius ac turbulentus. Dies primus Jan. st. v. ac duo præcedentes gelidissimi; quibus proxime accesserunt dies VIII, IX, X Jan. itemque dies XIX, XX, XXIV, XXV & XXVI superioris Decembris. Æstus hoc anno maximus observatus d. VIII Aug. nec multo minor diebus I, VI, VII, XXIV & quinque sequentibus ejusdem mensis. Altitudo summa columnæ mercurialis in barometro, d. XXVI Febr. fuit digitorum Londinens. 30, 47; minima, d. XI ejusdem mensis, rursusque d. XXVII Novemb. digitorum 28, 81. Die XII Jan. mane, tempestas opaca & satis frigida; meridies serenior; post horam IV procella cum grandine minori; sub mediam noctem denuo procella, cœlum squalidum, gelu solutum. Dies XXV Maji principio serena, mox nubila, cum vento invalescente atque ex subsolano in zephyrum mutato; vesperi, circa horam sextam, tantillum pluviæ cum aliquot tonitruis longinquis; hora IX rursus pluvia parca & brevis, deinde cœlum subnubilum. Die XII Jun. ante meridiem, tempestas nubila, post serenior & magis ventosa; hora secunda nubes cum tonitruis & procella; hora IV cœlum serenum, sexta nubilum & inquietum, octava leviter pluvium, deinde iterum serenum cum vento remissiori. Die XXVIII Jun. post parcam pluviam serenitas; meridie pluvia & tonitrus; hora III pluvia; post septimam rursus pluvia & tonitrus; deinde nubes dispersæ: Hydrargyrum barometri, quod hora VII ad signum 29°, $60'''$, (a $69'''$) delapsum, post horam X ad $65'''$ denuo ascenderat. Vespere diei V (vel st. n. XVI) Novemb. & tota nocte sequente, insigne observatum lumen boreale, simul cum ardente cœlo; quod cum neque viderim ipse, neque mutationes barometri annotare potuerim, quippe tum temporis absens, nihil nunc præter hæc pauca de tempestate addo, fuisse eam diebus præ-

præcedentibus plerumque ferenam ac frigidiusculam, die ipso commemorato admodum ventosam, post tranquilliorem, subnubilam, paulloque remissius frigidam, deinceps vero perquam pluviam & procellosam, ut ex Diario constat. De cetero quæ mea sit de hoc genere meteororum sententia, duobus schediasmatibus, in novis litterariis, quæ A. 1721, sermone latino & forma minori, in supplementum Actorum nostrorum, edita sunt, occasione similis maximeque notabilis meteori, quod a me ipso tunc temporis observatum est, exposui; cujus me sententiæ nec dum pœnitere profiteor.

Diarium meteorologicum Lipf. ad A. 1729.				
Dies st. v.	*Barometrum.*	*Thermometrum*	*Ventus.*	*Tempestas.*
Dec. XXI	29. 26—37	16.1 — —	W N W 1	nubila c. nive.
XXII.XXIII	53—68	— — —	W. 1	nubila.
XXIV	67—69	— — —	N O. 2	nubila, perquam frigida.
XXV	68—52	9.2. — —	N O. 2	nubila.
XXVI	45——	8.3 — 11.1	N O. 1	pl. nubila, c. nive.
XXVII	43—45	13.2 — —	N O. N. 1	nubila c. multa nive.
XXVIII	45—56	15 — —	W S W. S. 1	nubila.
XXIX	60—59	14, 13, 11 2	S. 1	nubila, ferenior.
XXX	58—59	7.3, 10, —	S. 1	ferena.
XXXI	59——	6.2, 7.2, —	S. W. 1	ferena, subnebulosa.
Jan I *	55 — 50	* 4.2, 6.3, —	S S W. 1	ferena, subnubila. *
II	48.46.48	11, 12, 13	S W. 1	pler. nubila.
III	48 — —	14 — 15	S W. W. 1	nubila c. nive.
IV	70.78.85	15 — —	W. 1	nubila & nebulosa.
V	92.99.(04	12.2 — —	W. WSW. 1	subferena, pl. nubila.
VI	30. 09. 15. 20	12.2 — 3	S W. 1	opaca, subnebulosa.
VII	20. 15. 13	13 — 9.3	S. O. N. 1	nebulosa, ferena.
VIII	06 — 09	8, 10.2, 9.3	S. 1	ferena, nebulosa.
IX	11 — 12	6.3 — 9.1	S. W. 2	ferena, subnubila.
X	12 — 10	9. — 11 2	S. W. 1	nebulosa, nubila.
XI	00 — 05	12.1 — 14	S W. 2	nubila.
XII	29. 86. 61. 34	14 2, 16, 18	S S W. 2. 3	inconstans, grandinosa.
XIII	18 — 11	18.2 — 19	S W. 2. 4	inconstans.
XIV	28. 04 [81	18 2 — 19 2	S W. 2. 3	inconstans, pl. nubila.
XV	28. 90. 99 [21	20 — 21	S W. 2. 3	subferena, squalida.

Dies st. v.	*Barometrum*	*Thermometrum*	*Ventus.*		*Tempestas.*
XVI	29. 61. 68. 50	20, 21, 19	W. S W.	2.4	serena, subnubila & humida.
XVII	27. 38. 32	20.1 — —	W.	2.3	subserena, nubila & humida.
XVIII	28. 95 — (29	21, 22.1, 21.3	W.	3.4	subserena, pl. nub. & humida.
XIX	29. 44. 40. 29	22 — 22.2	W. S W.	2.3	nebulosa, pluvia, subserena.
XX	29 — 38	22.2, 24, 22	W.	2.3	nubila subserena.
XXI	59 — 71	21 — —	W.	2	serena, subnubila c. nive.
XXII	59 — 62	20.2 — —	S. S W.	1	nubila, c. pauca nive.
XXIII	78.98. (09	19, 18.2, 17	N O.	2	nubila, serenior.
XXIV	30. 09 — 03	15, 18, 16.3	N O.	2	serena.
XXV.XXVI	04 — 17	16 — 17.2	S W.	1	nubila, serenior.
XXVII	13 — 02	15.2 — 19	S.	1	serena.
XXVIII	01 — 02	18 — — 20	S W. W.	1	pler. serena.
XXIX	29. 97 — 88	19.2 — —	W.	2.3	subserena.
XXX	77 — 80	18 — — —	W.	2	pl. serena.
XXXI	67 76 93	18.1 — 16.3	W. W N W.	2	nubila c. nive.
*Febr.*I	67. 76. 93	18.1 — 16.3	N O. N.	1	nubila c. nive, subserena.
II.III	99 — 70	16, — — —	W.	2.3	nubila c. nive.
IV	74 — 60	16, — — 15.2	W S W. N O.	1	subnubila, pl. serena.
V	38 — 22	15.2 — 17.2	O S S O.	1	nubila, subserena.
VI.VII	22 — 53	17.3, 18, 16	S W.	2	nubila, subserena.
VIII	53 — 50	15 — — 15.2	W.	1.0	pl. nubila c. nive.
IX	40. 29. 36	17.2, 19.2, 21	S W.	2	nubila & pluvia.
X	— 00. 02	21, 22.2, 21.2	S W.	2.4	pl. nubila.
XI	28. 99. 81. [02	21.2, 22, 21.2	S S W.	2	pl. nubila & pluvia.
XII	29. 03 — 15	21.2, 23, 22	S W.	2	subserena.
XIII	30 — 55	21.2, 21 —	S W.	1	nubila c. nive, subserena.
XIV	60 — 61	20.2 — —	S W. W.	1	pl. nubila & nebulosa.
XV	54 — 52	20.2 — —	N W.	2	nivosa.
XVI	61. 68. 73	20.2, 21 —	S W. N.	1	nebulosa & nub. c. nive.
XVII	85. 91. 93	20.2 — —	N W. N O.	1	nubila.
XVIII	30. 00. 03. 10	19.2 — —	N O.	1	nubila.
XIX	11. 14. 15	19.2, 21, 19	N N W. N O.	1	nubila, subserena.
XX.XXI	15 — 04	17 — — —	N O. O.	1	serena.
XXII	29. 91. 84. 82	16 — — 19	S W.	1	serena, subnubila.
XXIII.	78. 87. 95	19.2 — 19	W. N W. N.	2	nubila & nebulosa.

XXIV

Dies ft. v.	Barometrum.	Thermometrum	Ventus.		Tempeftas.
XXIV	30. 16. 24. 29	16.2 — —	N O.	2	ferena.
XXV	31. 33. 37	15 — — —	N O.	2	ferena.
* XXVI	* 42. 45. 47	12.2, 15, 14	O. N O.	2	ferena. *
XXVII	43. 34. 30	13, 15.2 —	N O.	2	pl. ferena.
XXVIII	20. 9. 06	15, 18.1 —	N O.	1	ferena.
Mart. I	29. 99. 93. 89	17, 20, 19	SO. NO.	1	ferena.
II	87. 82. 77	18, 24, 21	S.	1	ferena.
III	75 — —	20.2, 23, 22	S S W.	1	ferena, nubila.
IV	74 — 77	22 — — 21	S W.	1	nebulofa & pluvia, ferenior.
V	76 — 88	21 — — —	W. N VV.	1	nebulofa & nub. fubferena.
VI	91 — 89	20.2, 24, 21.2	N. N [illegible].	1	nubila, pler. ferena.
VII	78. 66. 61	20.2, 25, 22.2	N O. [illegible].	2	ferena.
VIII	49. 36. 35	21 — — 22	W N W. VV.	2	nubila.
IX	44. 36. 37	20.2, 21 —	W. S VV.	1	pler. ferena.
X	38 — 43	20.2, — —	W. N W.	1	varia, pl. nub. c. nive.
XI	49 — 55	19 — — 18	W. N W.	1	ferena, fubnubila.
XII	55. 45. 39	16.2, 19 —	SO. N O.	1	ferena, nubila.
XIII	26. 37 —	19 — —	N N W.	2.3	nivofa.
XIV. XV	41 — 59	17.2, 19 —	W N W. S W.	2	fubnubila c. pauca nive.
XVI	60. 66. 77	15, 19 —	N O.	2	pler. ferena.
XVII	29. 93. (02 14	17.2, 20.2 —	N O. N W.	1	ferena.
XVIII	30. 15. 04 00	19, 22 —	S W.	2	ferena.
XIX	29. 91. 82. 75	21.2, 24.2 —	S VV W S W.	1	fubnubila, ferenior.
XX	68. 53. 46	24, 33, 30	S. S W.	2	pl. ferena.
XXI	45 — 52	29.2, 34, 31	S W.	1	nubila & pluvia.
XXII	50. 41. 51	29, 33, 32	S O. S W.	2	nubila, ferena.
XXIII	60 — 55	30, 31.2 —	S. W.	1	fubnubila, pl. ferena.
XXIV	55. 49. 44	30.2, 31.2 —	S O. S W.	1	pl. nubila, fubpluvia.
XXV	58. 73. 80	27, 26 —	W.	2. 3	nubila.
XXVI	80. 72. 66	24 — —	W. S W.	2. 3	nubila c. nive, fubferena.
XXVII	58. 53. 50	22.2, 24 —	S W.	2	pl. nubila c. nive.
XXVIII	46. 45. 48	24, 25.2 —	S. W.	2	fubnubila.
XXIX	51 — 55	25.2, 27 —	W.	1	pl. ferena.
XXX	56. 48 —	25, 29, 28	SO. O. N O.	1	nebulofa, ferena.
XXXI	42 — 43	27, 28, —	N O.	2	fubferena.

Dies, ſt. v.	*Barometrum.*	*Thermometrum*	*Ventus.*	*Tempeſtas.*
Apr. I	43 — 49	26, 27 —	N O 1	pl. nubila & pluvia.
II	50 — 52	26, 27 —	W. N. NO. 1	ſubnebuloſa, nubila.
III	52 — —	26 2 — —	N O. 1	nubila; ſubſerena.
— —	— — —	— — —	O. N O. W. 2.3	pl. humida & turbida.
Maj. X	60 — 58	28, 29 —	W.O.N O. 1	nubila, ſubſerena.
XI	55 42 —	28, 30 —	SO NO. 1	pler. ſerena.
XII	45. 60. 62	30, 31 —	SW.W N. 2.3	ſubnubila, ſerena.
XIII	70. 62 60	30.3, 34, 33	O. SO. 2	ſerena.
XIV	70. — 68	32, 34, 33 2	W. S. SO. 2.1	ſubnubila, ſerena.
XV	66. 74. 84	33.1 — —	SW. W. 2	ſerena, nubila & pluvia.
XVI	30. 00. 02 —	32, 33, —	W. N W. 2	pler. nubila.
XVII.XVIII	29. 99 — 93	32, 33, 36	N O. O N O. 1	ſerena & pulchra.
XIX	91 — 83	34, 39, 37	S O. 1	ſerena, ſubnubila.
XX	83 — 84	35, 39, —	W.N. 1	pler. ſerena.
XXI	86 — 87	35, 38, 36. 2	N O. 1	ſubnubila, pl. ſerena.
XXII	90. 88. 89	36, 39.1, 37	S O. 1	ſerena & pulchra.
XXIII	91. 92. 97	36, 40, 39.1	N W. 1	ſerena.
XXIV	97. 94. 88	36, 39.1, 37	N O. 1	ſubnubila, ſerena.
XXV	80. 73. 78	36, 39.1, —	O. S. W. 2.3	ſer. nub. & ſubpluvia c. toni (tru.
XXVI	76 — 80	34.1, 35 —	W. 3. 4	nub. ſubpluvia.
XXVII	73 — 88	34 — —	W. 3. 4	nub. ſubpluvia, ſubſerena.
XXVIII	87. 72 —	32, 33, 32	W. 3	pl. nubila & pluvia.
XXIX	75. 82. 84	29, 32, 30	W.N. N O. 3. 1	nubila, ſerena.
XXX	87. 77. 78	28, 31.3, 31	S W. N O. 1	pler. ſerena.
XXXI	80 — 84	30, 33, 32	NNW. WNW. 2	ſerena.
Jun. I	83. 75 —	31, 32, 31.1	N W. 2	ſerena, nub. & pluvia.
II	74. 71 —	31, 33, 31	N W. 2	pl. nubila & pluvia.
III	82 — 94	30.2, 31 — —	W N W. 1	nubila, ſubſerena.
IV	99 — 98	30, 33, 31	N W. N O. 2	ſubnubila, pl. ſerena.
V	96. 86. 83	31, 33, 32	N O. 1	nubila, ſerena.
VI	83. 81. 87	31.2, 34, 33	N O. 2	ſubnub. & pluvia c. tonitru.
VII	87 — 89	37.2, 35, 34	N O. W. 1	ſubnub. & pluvia, c. tonitru.
VIII	91 — 94	33, 36, 35	W. NO. S. 1	ſerena, ſubpluvia.
IX	96 — 94	34 1, 37.3, 37	S W. 1	ſerena & pulchra.
X	93. 86. 83	36, 38, 37	S. SO. 1	ſerena & pulchra.

XI

Dies, st. v.	Barometrum.	Thermometrum	Ventus.		Tempestas.
XI	76. 65. 72	36, 40, 37	S W. W.	2	ser. subnub. c. tonitru.
XII	60. 45. 55	36, 39, 37	S W.	2. 3. 4	subser. nub. c. tonitru.
XIII	55 39. 36	35, 37.1, 36	W S W.	3. 2	serena, subnubila.
XIV	33. 30 —	34.2, 36, 34.3	S W.	2	subnub. serenior.
XV	40. 60. 74	34, 34.3, 34	W.	3	subser. pl. nub. c. tonitru.
XVI	93. (02. 03	32 2, 34, 33	W. N.	2	subnub. pl. serena.
XVII	30. 04. 02. 01	30.3, 34, 33	S W.	1	varia.
XVIII	29. 95. 85. 81	32, 35, 34.1	S. S O.	1	pler. serena.
XIX	76 — 90	34, 35.2 —	W.	1	nub. & pluvia, subserena.
XX	94 — 92	34 2, 36. 2 —	W N W.	2	serena, subnubila.
XXI	96 — —	36, 37 —	W. N W.	2	subnub. pl. serena.
XXII	90 — —	37, 39, 36	W N W.	2	pler. serena.
XXIII	90. 93. 99	35, 38, 36	W. W N W.	2. 3	nubila, serena.
XXIV	99 — 93	33.2, 36.2, 35	W. NW.	2	serena.
XXV	84. 76. 80	33, 36, 35	S W. N O.	2	pler. serena.
XXVI	90 — 95	33 2, 35, 34	W. W N W.	2. 3	nub. & pluvia, serenior.
XXVII	94. 89. 82	32, 34.2, 33	W. N.	2. 3	pl. nub. & pluvia, subser.
XXVIII	69 — 65	33, 34, 33	W S W.	2	pl nub. & pluv. c. tonitru.
XXIX	69 — 76	30.2, 32, 31.1	W.	3. 4. 2	pl. nub. & pluv. serenior.
XXX	83. 79 —	31.1, 34, 33	W.	1. 2	nubila, serena.
Jul. I	79. 75 —	31.2, 33, 32	W.	1. 2	pl nub. & pluv. serenior.
II	79 — —	31 2, 34, 33	W N W.	2	pl. nub. & pluv. subserena.
III	79. 77. 84	32, 34.3, —	N W.	2	pl. nub. & pluv. c. tonitru.
IV. V	83. 82. 76	32, 36.2, 35	W. S. O.	1. 2	pler. serena.
VI	78 — 80	33.2, 35.3, 34 1	W.	2	nubila, serenior.
VII	82 — 79	33, 35.2, 34	W.	2	nubila, serenior.
VIII	75. 65 58	31 2, 34, 33	W.	2	nubila, serena.
IX	51. 60. 62	31.2, 34, 33	NW.	2	serena, subnubila.
X	72. 68. 66	32, 35, 34.1	W. S W.	2. 1	pl. serena, subnubila.
XI	66. 59. 44	33, 36, 35	S. N O.	1	serena, pl. nubila.
XII	36 34 45	34.2, 37, 34.1	SO. SW. W.	3. 4	subser. nub. & pluvia.
XIII	82. 85 87	32.2, 34, —	W.	2. 3	subnub. serenior.
XIV	94. 92. 90	31, 34 2, 34	W. SW.	2	pler. serena.
XV	88. 72. 65	32.3, 37, 36	SW.	2	pler. serena.
XVI	60. 55. 55	36, 37.1, 36	S W. S.	2	pl. nub. subpluvia, serenior.

Dies, ſt. v.	*Barometrum.*	*Thermometrum*	*Ventus.*		*Tempeſtas.*
XVII	57. 59. 65	35.1, 37.1, 36	SW.W.	3	ſubnubila, ſerenior.
XVIII	65. 60. 62	35.1, 36, 35	SW.W.	2.1	nub c. tonitru, ſubſerena.
XIX	60. 61 —	34, 35.2 —	WSW.	1	nub. & pluv. c. tonitru.
XX	— — —	34.1 — —	SW.j	1	nubila, ſerena.
XXI	61 — 66	33, 35, 34	SW.	1.2	ſerena . ſubnubila.
XXII	74. 71. (9	33.2, 35, 34	SW. W.	2.3	ſerena, ſubnub. & pluv.
XXIII	73 — —	33.2, — —	W.	2	ſerena.
XXIV	70. 66. 68	34, 36, 35	SW.S.	1	pler. ſerena.
XXV	69. 66. 63	34, 37, 36	S.SW.	1	pl. ſerena, ſubnub. c. tonitru.
XXVI	62. 59. 62	36, 37.3, 36	W.SW.	2	varia c. tonitru.
XXVII	65 — 69	35.2, 37.1, 36	SW.	2	pler. ſerena.
XXVIII	76. 79. 85	35, 37, 36	WSW.SW.	2.1	pler. ſerena.
XXIX	89 — —	34, 36.3, 36	SW.W.	2	pler. ſerena.
XXX	84. 75. 76	35, 38, 37	O.SO.	1	pler. ſerena.
XXXI	75. 69. 66	36, 39, 37	W. N.	1	pler. ſerena.
Aug. I	50. 40. 41	36 2, 40, 37	SO.SW.	2	ſerena, ſubnubila.
II	50. 52. 56	55, 36.2, 35.3	SW.W.	2.3	nub & pluv. ſubſerena.
III	65 — 86	35.2 — —	SW.	2.3	ſerena, pluv. & nub.
IV	88. 86 —	33.2, 36, 34.2	W.	1	nub. pler. ſerena.
V	85. 83. 80	33.2, 37, 36	S. SO.	1	ſerena & pulchra.
VI. VII	78. 75. 80	36, 39 2, 38.1	S. SO.	2	pler. ſerena.
* VIII	75. 61. 59	37, 41, 39.1	O.	2.3.1	ſerena. *
IX	70. 73. 76	37, 37.2, 37	SW.S.	2.3	varia.
X	68 — 81	35, 36, 35	SW.	3	pler. nub. & pluvia.
XI	89. 91. 96	33.2, 34.3, 34	SW. W.	2	nubila.
XII	30. 00 — 01	33, 35, 34	W. N.	2	pler. ſerena, ſubnub.
XIII	00. (93. 90	33, 35, 33.2	W. NW.	2	pler. nub. ſubpluvia.
XIV	29. 76 — 85	33, 34, 33	N.	2	pler. nub. & pluvia.
XV	93. 92. 93	31, 33.2, 32	N. NW.	2.1	pl. ſer. ſubnub. & pluv.
XVI	91. 89. 90	31, 33, 32.1	WNW. W.	2	nubila, ſerenior.
XVII	97 — 99	30.2, 34.1, 33.1	W.	2	pl. ſerena, ſubnubila.
XVIII	99 — 93	32, 35, 33	W.	3	pler. ſerena.
XIX	95 — —	32, 36, 34	W.	1	ſerena & pulchra.
XX	95. 92 —	33, 37, 35.2	W. N.	2	ſerena & pulchra.
XXI	95 — 99	33.2, 37, 35. 2	WSW. WNW.	1	ſerena.

Dies, st. v.	Barometrum.	Termometrum	Ventus.	Tempestas.
XXII	30,03 — 01	33, 36.2, 35.2	S VV. N. 1	ferena.
XXIII	01. 00. [98	34, 38, 36	S VV. S. 1	ferena.
XXIV	29,94 85 —	34, 40, 38	S S VV. S VV. 2	ferena.
XXV	85. 81 —	35, 40.2, 38.2	S VV. VV. 2	ferena.
XXVI	87 — 90	35, 40, 38.2	S VV. 1	pler. ferena.
XXVII	90. 93. 92	36, 40, 38	S W. W. N W. 2	ferena.
XXVIII	91. 85. 83	36.1, 40.1, 38.2	S O. 1	pler. ferena.
XXIX	76. 73. 75	36.2, 40.2, 38	S. S VV VV. 2	fer. nub. & pluvia.
XXX	85. 92 95	36, 37, 36.2	VV. 2	nub. & pluv. fubferena.
XXXI	94. 90. 87	32.3, 36, 35	S VV. S O. 2	pler. ferena.
Sept. I	77. 71 70	33.3, 36, 35	O. N VV. 1	ferena.
II	70 — —	33.1, 35, 32.2	VV. N VV. 2.3	pler. ferena.
III	67. 61. 59	31.2, 32 —	VV. 1	nubila.
IV	58 — 64	31, 32, 31.1	VV. VV S VV. 2	nubila, ferenior.
V	72. 80. 83	29.2, 31.2, 31	VV. 2	nubila, fubferena.
VI	97 — 94	30, 33, 31.2	S. S O. 1	pler. ferena.
VII	94. 89 —	29, 34, 32.2	S. O S O. O. 1	ferena.
VIII	93. 98 —	31, 34, 31.2	ONO. NNO. 2.1	nubila, ferenior.
IX	99 — 90	29.2, 33, 30.2	N O. 2	nubila, ferenior.
X	81. 71. 70	30, 33, 31	N O. 2.3	fubnubila, ferena.
XI	67. 66. 69	30.2, 33.2, 31	N O. 2	fubnubila, ferena.
XII	71 — 73	29.3, 33.2, 31.2	O S O. S. 1	pl. nubila, fubpluvia.
XIII	78. 74 —	29.3, 34, 32	VV S VV. VV. 1	fubnub. pl. ferena.
XIV	78. 74. 73	30, 35.2, 33	S S VV. S O. O. 1	ferena.
XV	73. 72 —	30.2, 35, 33	S.O. S. 1	ferena.
XVI	67. 58. 43	30.3, 34.2, 33	S. S O. 1	pler. ferena.
XVII	30 — 32	32.2, 35.2 —	S. S S VV. 1	nub. & pluv. fubferena.
XVIII	36 — —	32, 35, 33.2	S S VV. S VV. 3.4	pler. ferena, fubpluv.
XIX	39 — 37	32.2, 35, 34	S S VV. 2	nubila & pluvia.
XX	36 — 44	32, 34, 32	S VV. 2	pl. nub. & pluv. fubferena.
XXI	65 — 69	30, 34, 32	S VV. 2	fubnub. pler. ferena.
XXII	62. 61 —	31, 33, 32	S. S W. W S W. 2	nubila, ferenior.
XXIII	62. 55. 50	31, 33, 32	S. S VV. 2	fubnub. pler. ferena.
XXIV	44 — —	30, 32, 31	S. 2	pl. nub. & fubpluvia.
XXV	40 — 44	28, 31, 30	S. S VV. 2.1	fubnub. pler. ferena.

Dies,n. v.	Barometrum.	Thermometrum	Ventus.		Tempestas.
XXVI	44 39. 37	28.2, 30, 29	S.	2	pl. nub. subpluv. subserena.
XXVII	37. 33. 36	27.2, 31, 29	S.	2	subser. pl. nubila.
XXVIII	42. 47 —	28, 30.2, 29	S VV. VV.	2	nub. subpluv. subserena.
XXIX	56. 59. 60	28.2, 30, 29	S VV.	2	nub. subnebul. varia.
XXX	75. 78 —	27, 30, 28.2	S VV. VV.	1	subnub. pler. serena.
Oct. I	29, 79 — —	24.2, 28.2 —	S.	1	subser. pl. nubila.
II	80 — 82	29, 31.2, 30	SS VV. VV.	2	varia, subpluvia.
III	30, 00 — 01	29, 31, 29	VV S VV. VV.	1	subneb. & nub. pl. serena.
IV	01. 00 [93	25, 30, 28	SO. O.	2	serena.
V	29, 75. 65. 62	25.2, 29, 28	ONO. SSO.	1	pler. serena.
VI	62 — 60	28, 30, 29	S. S VV.	2.3.	pler. nub. subpluvia.
VII	45. 47. 45	28, 30, 29	S VV. VV.	2.3	nubila & pluvia.
VIII	51. 70 —	27, 29, 28	VV.	3.4	varia & turbulenta.
IX. X	86 — 94	27 2, 28 —	VV. S VV.	3.4	squalida, subpluvia.
XI	84. 67. 53	26 2, 28 —	S VV.	3.4	pler. serena.
XII	30. 12. 10	27.3, 30, 28.2	S VV.	3.4	subnub. pl. serena.
XIII	30. 19. 30	26.2, 28, 27	SSO. O. SVV.	1	nub. & pluvia.
XIV	49. 50. 61	26.2, 27.2 —	S VV.	1.2	pler. nubila.
XV	60. 51. 47	26.2, 27 —	VV NO.	1.2	nub. & pluvia.
XVI	43 49. 59	25.2, 28, 27	S. VV. S VV.	2.3	nub. & nebul. serenior.
XVII	70. 69. 68	23.3, 27, 25.2	S.	1.2	serena.
XVIII	64. 59 —	24, 25.2, 25	S VV. VV.	1	subnebul. subpluv. serenior.
XIX	59 — 56	24, 25, 25.2	SSO.	1	nub. & nebul. serenior.
XX	60 — 66	23. 25, 24.2	SS VV.	1	pler. nubila.
XXI	59 — 58	24 2, 26. 25.1	SS VV. O.	1	pl. serena.
XXII	69 — —	25, — —	S.	1	serena.
XXIII	— — —	— — —	—	—	— — —
Nov. VIII	— — 71	— — 21	S.	1	pl. serena.
IX	58. 35. 10	21, 22, 21.2	SO.	1	subser. pl. nubila.
X	28, 82. 85. 91	21.2, 22 —	SO. SS VV.	1	subser. pl. nubila & pluv.
XI	29, 05. 12. 14	22, 22.2 —	VV S VV.	1	nebulosa, pluvia.
XII	18. 12. 06	22.2, 23 —	VV S VV.	2	squalida & pluvia.
XIII	06. 15. 24	23.2, 24 —	VV S VV. VV.	1	nub. & pluvia.
XIV	17 — [28, 83]	24.2 — —	S VV. S O.	2	nub. subser. pluvia.
XV	29, 26. 36 —	24, — 23.2	VV S VV. VV.	2	nub. & pluv. subserena.

Dies, st. v.	Barometrum.	Thermometrum	Ventus.		Tempestas.
XVI	04 — 54	23.1, — 23	VV.	2.3	nebul. pluv. subserena.
XVII	67. 71. 67	22.1, 22.2, 22	VV. S VV.	1	pler. nubila, pluv.
XVIII	55. 57. 55	22.1, 23.3, 23	S VV. VV.	2	nubila, subser. pluv.
XIX	38. 30. 23	24.2, 25.3, 25	S VV. S.	3.2	pl. nub. & turbulenta.
XX	28. 38. 40	25.2, 26, 25.1	S VV.	2	subnub. subpluv. pl. ser.
XXI	50. 60. 75	24.2, 25.3, 25	S.	1	pler. serena & nebulosa.
XXII	30, 00. 10. 20	24, 24.2, 23 2	VV. N VV.	1	nub. & nebul. subserena.
XXIII	17. 15. 08	23, 23.2, 22	N O.	1	nubila, serenior.
XXIV	29, 94. 84. 80	21, 21.1, 21	N O. O.	1	nub. c. pauca nive.
XXV	59—[28,95]	20.2, 21 —	SSO. SSVV.	2.3 4	pler. nub. subserena.
XXVI	29, 00. 20. 37	21.2, 22.3, 21.3	S VV.	3.2	nubila, serenior.
* XXVII	28, 98. 81 [07	21.2, 22.2, 22.1	S S O. S VV.	3.4	nub. subpluv. subserena. *
XXVIII	29, 12. 09. 34	22.1, 23, 22.3	S. VV.	2.3	nub. subpluv. serena.
XXIX	60 — 64	22.1, 23, —	S VV.	2	pler. serena.
XXX	53 — 39	22.2, 23 —	S.	1	subser. nub. & pluvia.
Dec. I	17 — 31	22.1, 23.3, —	S. S VV.	2.3	subpluv. subserena.
II	17. 09. 16	22.2, 24, 23.1	S.	2.3	nubila, serenior.
III	27. 34. 48	23.2, 23.3, 22.3	S S VV.	2	subnubila, pler. serena.
IV	52 — 49	21.3, 23, 22	S S VV.	1.2	pler. serena.
V	59 — 58	21.3, 22.3, 22.1	S S VV.	2.3	pler. subnubila.
VI	64. 60. 63	22.1, 24, —	S S VV.	3.2	pler. nubila.
VII	63. 57 —	24.2, 25.3, 26.3	S VV.	2.3	pluv. & opaca.
VIII	72. 75. 68	27, 27.3, 26.3	VV.	2	nub. pluv. subserena.
IX	59 — 58	26.1, 26.2, 25.2	S VV.	3.2	nub. subserena.
X	59. 48. 35	24.2, — —	S VV.	2	subnubila.

THE LIFE OF ROBERT, EARL OF LEICESTER,
i. e.
VITA ROBERTI, COMITIS LICESTRIÆ.
Londini, apud Woodman & Lyon, 1727, 8.
Alph. 1 pl. 1.

QUi *Parsoni* librum *de Statu Licestriæ* evolverunt, Robertum illum proditione, superbia, dissimulatione, impietate, injustitia, adulteriis, homicidiisque insignem fuisse sibi persuadebunt. Verum calumnias scriptoris produnt, quod *Burleighus*, Roberto infensissimus, multa *Parsono*, omnia undique conquirenti, communicaverit, ipse *Parsonus* vero autorem libri

ſe profiteri haud fuerit auſus, imo libellum typis apud exteros vulgari curaverit. Mirum tamen videri poſſet, Liceſtrii Eruditorum Mæcenatis & ipſius Reginæ tantopere a ſuis commendatæ famam ab aliis non fuiſſe vindicatam, niſi indignum fuiſſe vilem iſtum ſcriptorem confutatione ſolida exiſtimes, ſeu quod vero videtur ſimilius, Liceſtrium virtutibus pariter ac vitiis excelluiſſe fatearis. Nos interim Autorem ſoli veritati litantem
p. 3. ſequemur ducem, potiora inde propoſituri. Natus fuit Robertus Dudlejus, patre Joanne, Duce Northumbriæ, matre Joanna, Eduardi Guilfordi filia & hærede. Sub Eduardo VI Cubiculariis Regiis adſcriptus eſt, quo paullo poſt extincto, Janæ Grajæ partes ſecutus, cum res non ex voto ſuccederent, ad Mariam tranſiit, ſed carceri mancipatus, & perduellionis reus A. 1553 condemnatus eſt, ut e furca ſuſpenderetur, ejusque corpus in quatuor partes divideretur, ſed precibus quorundam libertati reſti-
4. tutus, mox Anglis in oppugnatione Fani S. Quintini præfuit. Jam tum animi corporisque dotes in Roberto elucebant eximiæ; faciem habebat venuſtam & corpus membris aptiſſime congruentibus ornatum; moribus præterea venuſtis ac liberalibus, & ſingulari humanitate omnium in ſe oculos animosque convertebat; quibus accedebat ſermo ſuaviſſimus, quo geſtus ita temperabat, ut cujusvis genio ſcitiſſime ſe accommodaret. Verum voluptas & ambitio, quibus ſe totum dederat, haud levem maculam famæ ipſius inuſſerunt. Eliſabetha, cum ad regnum perveniſſet, tanto ipſum favore complectebatur, ut plures cauſam a ſiderum
5. influxu peterent. Primo namque regiminis anno Equitatui præfectus, & in Ordinem Periſcelidis eſt allectus, edito paullo ante decreto, ut quisquis ob crimen læſæ majeſtatis condemna-
7. tus fuerit, ſi Rex ipſi ignoverit, Ordinis hujus capax eſſet. Hinc ſpe Reginæ ducendæ inductus, uxorem, quam veneno fruſtra tentaverat, per ſcalas dejici clam curavit, quo lapſu graviſſime læſa, brevi exſpiravit. Poſtea Comes Liceſtriæ creatus eſt, ut
16. ſuaſu Cecilii, ut creditur, Mariæ Scoticæ jungeretur, fruſtra qui-
30. dem, Darlejo quippe mox intercedente. Cancellarius Academiæ Oxonienſis factus ſummo conatu barbariem oppugnavit, & artes
80. liberales ſuo nitori reſtituit. A. 1571 Nicolaus Trogmortonus ex ulcere pulmonum intra paucos dies eſt extinctus, quem a Liceſtrio

strio herbis venenatis ipsi propinatis fuisse peremtum, fama erat, quod paullo ante cum Cecilio, Licestrii inimico, in gratiam rediisset; plura ejusdem generis facinora tacemus. Idem Lice- p. 98. 103.
strius, Puritanis addictus, simultates exercuit cum Archi-Episco- 86.
po Cantuariensi, Stowelum inprimis, adulterii accusatum, liberare conatus; sed Archi-Episcopus in sententia perstitit. Accedit,
quod *Bartholomaeus Clericus*, qui Reginae partes contra *Sanderum* 88.
de visibili Monarchia egregie defenderat, Decani officio ab Archi-Episcopo fuerat ornatus, quem tamen Regina, a Licestrio, ipsi adverso, permota, multis licet dolentibus, munere illo pri-
vari jussit. Defuncto Suffexio, adversario nostri acerrimo, genio 112.
suo magis indulgere videbatur Licestrius, adeo ut quendam vitia ipsius liberius propalantem ultimo supplicio affici curaret. De
rebus Licestrii auspicio in Belgio gestis, aliunde satis constat; 133 sqq.
ceterum notari inprimis meretur Diploma, quo Foederati Belgae 159.
potestatem amplissimam in eum contulere; & proditio, qua Lug- 265.
dunum Batavorum sibi subjicere tentaverat, quae res tamen successu caruit. Hispanis, classe invincibili in Angliam missa, extrema A. 281.
1588 huic genti minitantibus, Licestrius exercitum ad fines tutandos duxit, sed redux brevi post, febri correptus, die 4 Sept. ejusdem
anni vitam cum morte commutavit. Post mortem deprehensum 282.
est, ipsum valde obaeratum decessisse, unde Reginae jussu plurima ejus bona hastae publicae sunt subjecta, ut inprimis Thesauro Regio debita exsolverentur. In Appendice comparet descriptio ceremoniarum, quibus Licestrius in Baronem & Comitem evectus, & inter Equites Periscelidis & S. Michaelis est cooptatus, & alia instrumenta authentica, ex quibus antea prolata firmantur; in ipso quoque Opusculo testes fide digni singulis paginis subjiciuntur.

Versuch einer Critischen Dicht-Kunst vor die Deutschen ꝛc.

i. e.

TENTAMEN POETICES CRITICAE, IN Germanorum gratiam conscriptae, in quo, post generaliores Poeseos regulas, praecipua Poematum genera explicantur, & exemplis illustrantur. Praemissa est Horatii Ars Poetica, carmine Germanico reddita, & annotationibus aucta; Autore JO. CHRISTOPHORO GOTTSCHED, A. M.

Lipsiæ, apud Bernh. Christoph. Breitkopf, 1729, 8 maj. Alph. 1 pl. 17.

UT justum de arte Poetica Opus conderet Cl. Autor, multos annos studio huic se impendisse fatetur in Præfatione. Perquirenda sibi inprimis duxit summorum Criticorum Opera, a plerisque Poetis Germanis neglecta hactenus, priusquam tradendis veræ Poeseos regulis se accingeret. De titulo Operis rationem reddit pariter in Præfatione. Censet nimirum, veri nominis Criticum non tantum litteris syllabisque inhærere, sed liberalium artium principia philosophica eruere debere: quare, præeunte Comite de Schafftsbury, Criticum vocat eruditum, de liberalibus artibus philosophantem; & proinde in hoc Opere tradere constituit Philosophiam de Poesi. Versio artis Poeticæ Horatianæ antea quidem jam ab Ill. *Eccarto* tentata fuit; verum Noster in nova, quam præmisit, versione mentem Poetæ luculentius & ornatius exprimere versibus conatus est. Subjectæ textui notæ versionis nunc rationem pandunt, nunc antiqua explicant, &, Latinis olim utilia, Germanis quoque reddunt familiaria. Quod Opus ipsum attinet, abit illud in duas partes, quarum prior generalia Poeseos fundamenta tradit. Notamus vero, singulas propositiones exemplis optimorum Poetarum ubique illustrari, & nonnunquam testimoniis Horatii & Boilavii confirmari. Primum Caput sistit *historiam de origine & incremento Poeseos*. Præter jam dicta ab aliis, novæ hic quædam apparent conjecturæ. Nimirum a cantu veterum Poetarum derivat carmina, in quem pronos fuisse primos homines supponit, unde primo vacuos mente sonos ediderunt, post vero tonis Musicis voces junxerunt, ut & suos exprimerent affectus, & in aliis excitarent similes. Metra nulla primo, post inculta, tandem cultiora, id est, certo conflata numero credit. Ac Græcos quidem syllabarum quantitati primos attendisse; unde longiores brevioresque tardioribus vel velocioribus tonis aptarint: unde melodiæ ortæ; neglecta vero metra ab aliis populis fuisse, ex antiquissimis constare putat carminibus. Soli tandem Germani rhythmorum artificium sibi, sensimque toti Europæ intulerunt. Ceterum finem veterum Poetarum fuisse, ut, animi sui affectibus manifestatis, auditores suos in admirationem raperent, sicque eos docerent simul & delectarent. Cap II *Poetæ character* describitur.

Pro-

Producit Noster Aristotelem, qui Poesin in humanarum actionum imitatione consistere contendit, & quæ a bono Poeta requirantur, ut felix sit imitator, inde latius deducit. C. III *Sanum gustum* ita evolvit Cl. Autor, ut nihil addi posse videatur. Observat vero vocem gustus tantum de artibus liberalibus, de scientiis nunquam usurpari. Varia hic ingeniose satis traduntur ab Autore & inprimis ad quæstionem, annon sui ævi locique gustum sequi præstet, quam regulas artis? respondet, pulchritudinem rei non ab humano pendere arbitrio, sed ab innata rei perfectione, atque in Poesi nil pulchrum esse, quia placet: sed ideo placere poema, quia pulchrum, atque adeo Poetam merito non ventosæ plebis suffragia sequi, sed veterum regulas, meliorumque exempla Poetarum. Cap. IV agit de *triplici imitatione Poetica*. Prima est *descriptio*, quæ, difficilis licet, omnium tamen imitationum est vilissima. Altera est, ubi Poeta personæ cujusdam verba & affectus decenter imitatur: ubi probatur sapiens Homeri consilium, ut doctrinæ Moralis sciens sit Poeta, & ad experientiam attentus; simulque hac in re summos quandoque dormitasse Poetas, Virgilium, & ex nostris Canitzium, Besserum, Hoffmanswaldau notat. Denique datur imitatio per *fabulam*, ut quæ princeps Poetæ occupatio esse debet. Defensa definitione fabulæ Aristotelica contra R. P. Bossu, quod sit *connexio rerum*; putat tamen accuratius describi posse, quod sit eventus, sub certis conditionibus possibilis, quo utilis aliqua moralis veritas tegitur, & varias fabularum species explicat. Cap. V agit de *admirabili in Poesi*, & ut admiratio excitetur in lectore, erudite docet. C. V exponit *probabilitatem* in Poesi: quæ est fabulæ cum natura convenientia. Est vero vel absoluta, vel hypothetica, id est, quæ non probabilis, nisi sub certis quibusdam, sed qualibuscunque circumstantiis. Hinc tot errores deteguntur Poetarum, ipsius Homeri, circa clypeum Achillis, tripodas &c. Virgilii, Sophoclis & recentiorum, Camœns, Lusitani, Tassi, Ariosti, Marini, Voltaire. C. VII agit de *vocabulis Poeticis:* atque hic multa in medium prolata videas de habitu Poetæ ad vocabula usitata, peregrina, nova, epitheta, quæ tantam gratiam carmini conciliant, exquisita & cum Poetæ affectu convenientia. Tandem & de lusibus verborum agitur, quos tanquam pueriles Autor rejicit. C. IIX occupatur circa *dictiones tropicas*. Contendit hic Autor, nisi Poeta sit ingeniosus, illum prosaicos versus scripturum; & tropos sigillatim considerat, usumque eorum nimium & ridiculum detestatur. C. IX agit de *periodis Poeticis, earumque ornatu*, ubi inter alia res ipsi est cum R. P. *Cerceau*, qui essentiam Poeseos in vocabulorum transpositione posuit; & ea in re reprehendit Besserum, quam-

quamvis largiatur, multa hic aurium judicio relinquenda esse. C. X *de figuris Poeticis* tractat; in quo, præter figuras a R. P. *Lami* in Oratoria traditas, addit gradationem & jusjurandum. C. XI exponit *stilum Poeticum*, ad quem requirit meditationem Poeticam, quæ quidem rationi non adversa, sed ingeniosa valde sit, tropis ornata atque figuris; ubi usum varium ostendens styli vulgaris, sublimis, & affectuosi, simul plures Lucani, Senecæ & Lohensteinii errores detegit. Cap. XII agit de *euphonia stili poetici, diversis versuum generibus & rhythmo.* Euphonia quidem a Poetis observata, primo in certo syllabarum numero: tum in determinata quadam brevium longarumque variatione constare cœpit: quales syllabas natura breves & longas in Græca, Latina, immo & Gallica lingua dari, contra Rollinum aliosque Gallos demonstrat. Pergit inde ad genera versuum, quæ inter primum fuit jambicum, omnium maxime naturale; tum agit de trochaicis: post de dactylicis, & anapæsticis.

Pars altera specialior totidem Capita complexa, quæ, paucis exceptis, propriis poematibus elegantissimis exornat; C. I *de Odis*, earum origine, compositione, & stilo; C. II *de Cantatis* Germanorum differit, inprimisque observat, eas vulgo ad Musici genium accommodari, quo omnes Menantis regulas collineare ait, & innumeras Musicorum Italorum in cantatis protensiones, tanquam rem, plane a natura rei alienam, ridet. C. III *de Eclogis*: quæ omnium antiquissimæ; elegantiam earum in imitatione tranquillæ vitæ pastoralis ponit, deque eclogarum scriptoribus variis judicium perhibet. C. IV *de Elegiis* notat, quod fluido scribendæ sint stilo, non fastoso: quo eas nimium fœdavit Hoffmanswaldau. C. V *de Epistolis Poeticis*; eas dividit in serias & jocosas, seu satyricas, eoque in genere excelluisse observat Horatium, Boilavium, Canitzium, Neukirchium & Güntherum. C. VI *de Satyris*, adducta earum historia & definitione, innocentiam illarum probat, & simul notat, Satyricum debere esse Philosophum. C. VII *de Epigrammatibus & poematibus jocosis* inscriptum est. In illis verum acumen quærit, falsum vero, ex allusionibus puerilibus resultans, rejicit. Ad posteriora vero refert *Madrigalia, Quodlibet* & similia &c. C. IIX *de Poematibus dogmaticis aliisque majoribus.* Dogmatica tradiderunt plurimi, Empedocles, Lucretius & alii, sed autores horum poematum ab Aristotele inter Poetas non recensentur, quia absunt a fabula, nisi ob ornatum suum ac stylum sublimem ad Poesin referri queant. Non negat tamen Cl. Autor, illis vim & gratiam inesse singularem, modo nimia prolixitas caveatur. C. IX *de carmine Epico* seu *Heroico* agit, cujus autor fuit *Homerus*: cujus Iliados & Odysseæ ideam Noster exponit. Illum imitatus est, quin & vicit *Virgilius* in *Æneide* Statius vero & Lucanus, idem aggressi opus, multum errarunt. Hinc porro de poematibus heroicis Lusitanorum & Hispanorum; de Paradiso amisso Miltoni & Puella Capellani differit, & quæ requirantur in hoc poematum genere, copiose exponit. Nec minus requisita & virtutes Tragœdiæ C. X, *Comœdiæ* C. XI, & *Operæ*, quam vocant C. XII, eleganter & erudite tradit, justis ubique horum poematum æstimatoribus, de la Bruyere, Racinio, Boilavio, S. Evremontio, des Callieres, aliisque in partes vocatis.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Februarii Anno MDCCXXX.

HISTOIRE DES PROVINCES-UNIES DES Pais-Bas par Mr. LE CLERC.

i. e.

HISTORIA FOEDERATARUM BELGII Provinciarum inde ab A. MDLX usque ad pacem Ultrajectinam & Conventionem vulgo Traité de Barriere *dictam, & A. MDCCXVI conclusam; Autore JO. CLERICO. Accessit Explicatio Numismatum præcipuorum, quæ in memoriam rerum in Belgio gestarum cusa sunt.*

Tomi III.

Amstelodami, apud Honoré & Chatelain, T. I 1723, T. II & III 1728, fol.

Alph. 17 cum Tabula Geogr. aliaque, qua consessus Statuum repræsentatur, ut & Tabb. numismaticis 52.

QUi non ignorat, Celeb. *Clericum* tot scripta, Philosophica, Historica, Theologica, Critica, Litteraria, vel emisisse in lucem, vel adhuc, etiam ad senium vergentem, parturire, (quis vero vel leviter in re Litteraria versatus ignoraverit?) mirabitur haud dubie, ei otium ad universam Belgii, in quo tam diu vixit, Historiam ab initiis conditæ Reipublicæ ad nostra tempora non infeliciter producendam superfuisse. Uti vero secutus est ubique duces fide dignos, Grotium, Raidanum, Meteranum, Aizemam, Brantium, ad quos ubique provocat, & in recentioribus Commentarios & epistolas Legatorum,

Estradii, Templii aliorumque, quamvis non raro etiam utatur verbis, creditur, fertur, traditur; ita, prout bonum historicum decet, Viros cordatos & prudentes probat, improbos vero & male in Rempubl. animatos detestatur, ne desint Lectori exempla, quæ vel fugiat, vel sequatur. Præliis & obsidionibus urbium operose ac graphice describendis non admodum delectatur, quod nec illis, qui interfuerint, minutissimas rei gestæ circumstantias perspectas habere integrum sit semper. Contra inter Legatos de pace ultro citroque tractata prolixius refert, & turbarum inprimis intestinarum, quæ vel Rempublicam agitarunt, vel Ecclesiam, causas & eventus diligentius rimatur, & Arminianorum, ut facile credas, causam ubique defendit, ita tamen, ut nec ab his minus prudenter acta dissimulet, & simul tolerantiam itidem commendet. De styli cultu non admodum fuit sollicitus, quod historia non fucatum, qualis Rhetorum, sed simplicem sermonem desideret; quem quidem subinde succinctis observationibus ethico-politicis distinxit, quibus meditandi materiam attento Lectori suppeditavit. Deduxit vero Autor historiam Libris XVI ab A. 1560 ad finem A. 1712, etsi titulus sequentia quoque usque ad A. 1716 promittere videatur, quod ideo haud dubie factum, quoniam additus sub finem libri comparet Tractatus inter Imperatorem Carolum VI Regemque M. Britanniæ & Belgas d. 15 Nov. 1715 conclusus, quem *de Barriere* vocant.

Ne nihil speciminis proponamus, pauca saltem ad A. 1672, Belgis maxime fatalem, quæ non ubivis obvia nobis visa sunt, ex Autore repetemus. Cum Gallia jam non obscure Belgis
p. 263. bellum minaretur, vicit demum ea pars, quæ Guilielmo Principi Arausionensi, jam annis maturo, supremam belli terra marique præfecturam decernebat, concepta simul formula, qua juratus promitteret ea, quibus leges & jura Reipubl. in tuto collocata viderentur. Hæc dum in membrana descripta in publico Statuum consessu prælegeretur, quidam interea ex Deputatis urbium Hollandiæ cultello discindebat veterem quandam formulam similem Wilhelmo Henrico præscriptam & in charta exaratam, cumque ex eo quæreretur, quorsum id spectaret, respon-

spondebat: *si tam facile cultello chartam scindas, quanto faci-
lius membranam ense secaveris?* Interim Wilhelmus se vitam
& facultates omnes pro Reipubl. lubenter profusurum testa-
batur, idemque repetebat, cum abrogato Edicto perpetuo avi-
tæ dignitati restitueretur; quo loco fatetur Autor, fuisse omni- p. 292.
no Principem imperterritum ac vitæ prodigum, sed observatum
fuisse a belli ducibus, eum consilium repente e re capere non
potuisse, eoque vincendi occasionem sæpe e manibus dimisisse.
Cum Carolus II Rex Angliæ Regni Senatui bellum Belgis infe- 264.
rendum proposuisset, Regni Cancellarius Shaftsbury inter alia
verbis utebatur Catonis Censoris: *delenda est Carthago*, quam-
vis idem postea se invitum his consiliis accessisse fateretur. Et
facta est belli denuntiatio in Anglia eodem die, quo in Gallia. 265.
Jam Rupefortius, capta urbe Naerda, imminebat Amstelodamo, 277.
modo statim ad Muydenam, oppidum haud procul Amsteloda-
mo situm, perrexisset, & jam Muydenses, appropinquantibus
forte naviculis, quibus præcursores exercitus Gallici contineri
putabant, claves urbis propius accedentibus offerebant; interea
ancilla quædam, sola in arce relicta, attollebat pontem, cives vero
cum posito terrore panico recepissent animos, & quatuor tantum
milites Gallos adesse intelligerent, eis bene potis facile claves ite-
rum extorquebant: ita ut urbem, paulo post Belgicis copiis fir-
matam, frustra deinceps tentaverit Rupefortius. A Wittio Pen- 298.
sionario, boni publici admodum studioso, in eo quidem pecca-
tum fuisse non dissimulatur, quod nullos plane sumtus impende-
rit in exploratores, unde factum, ut sero intellexerit, quæ Gal-
li Anglive contra Rempubl. meditarentur. De ærario Amstelo- 287.
damensi, vulgo *Banck*, notatur, sub initium motus Gallici mer-
catores, qui pecunias illic deposuerant, metu perculsos eas
repetiisse, & jussu Senatus statim illis omnia fuisse soluta, plu-
res nempe myriades (*millions*) ubi observatum quoque, num-
mos plures ex incendio, quod pridem ante passa erat curia Am-
stel. nigredinem contraxisse, certissimo indicio pecuniam perpe-
tuo eodem in loco asservatam fuisse; de quo multi antea dubita-
verant. Cornelii de Witt, cædis Principi intentatæ accusati & 302.
tormentis subjecti, constantiam prædicat Autor Celeb. quod in-

ter acutissimos dolores illud Horatii Carm. Lib. III Od. 3 repetiisse memoretur:

Justum & tenacem propositi virum
Non civium ardor prava jubentium,
Non vultus instantis tyranni
Mente quatit solida.

Ceterum non dissimulandum, Nostrum aliquando repetere jam antea dicta, quo spectat observatio Tomo I p. 161 facta & T. III p. 481 repetita, quod Belgarum insurrectio principiis Theologorum Hispanorum minime repugnet, cum ipse Mariana in libro *de Regis institutione &c.* Toleti 1598, vel, ut alibi ait, 1599 cum approbatione censoris Regii edito, imo ipsi Philippo III dedicato, Monarchomachorum partes susceperit & Principem legibus omnino subesse statuerit.

Sed dicendum nobis nonnihil restat de nummis Historiam Belgicam illustrantibus, qui seorsim jam Tomo I accesserunt cum succincta explicatione. Etenim notum satis est institutum Bizoti, qui Opus haud inelegans sub tit. *Histoire Metallique de la Republique de Hollande*, Paris. 1687, fol. edidit, nummos complexum CLXII, & in nova editione Amstel. 1690 tribus Voll. in 8 maj. parata, sigillatim Volumine III, quod & seorsim sub titulo Supplementi Bizotiani prodiit, nummis CCXXII auctum: quo utroque opere nummi ab A. 1565 ad A. 1689 cusi exhibentur. At Autor noster, qui se *Atlantis Historici*, apud eosdem typographos excusi & non sine plausu excepti, Autorem in Præfatione prodit (nihil enim hic sibi vindicat Cl. *Clericus*) multo altius ascendit, inde a nummo in memoriam nuptiarum Maximiliani cum Maria Burgundica cuso atque adeo ab A. 1477 exorsus, desiitque demum in A. 1716, ut mirum non sit, eum in universum collegisse nummos CCCXCVI; in quibus explicandis ita versatus est, ut eos apte inprimis inter se connecteret, & quomodo facta illustria sese exceperint, & alia ex aliis nata sint memoria digna, Lectorem edoceret. Præterea ita laborem partitus est, ut cujusvis plagulæ alterum latus nummos repræsentet, alterum ex opposito explicationem absolvat, magno Lectorum commodo. Et quamvis a Bizoto suppetias acceperit

rit

rit haud contemnendas, non tamen tam religiose illum secutus videtur, ut nihil omiserit eorum, quæ ille attulit. Ita enim ex. gr. illud maximi moduli numisma perelegans, a Bizoto p. 216 edit. Parif. productum, quod *Amelia, Dei gratia Princeps Auraica, Comes Salmensis*, in memoriam mariti defuncti *Friderici Henrici, Dei gratia Principis Auraicæ, Comitis Nassoviæ*, A. 1649 cudi curavit, fatemur nos haud reperisse apud Nostrum. Quod reliquum est, nihil omisere Typographi, quod ad typorum & chartæ nitorem & ad nummorum elegantiam exprimendam pertinet, ut nihil omnino desiderari posse videatur, nisi quod optabunt forte nonnulli, compendia rerum ad marginem apposita fuisse, quo magis Lectorum, quibus non omnia legere integrum est, commoditati consuleretur; quamvis defectus ille, siquis est, quodammodo pensetur Indice satis accurato sub finem Operis addito.

RERUM ITALICARUM SCRIPTORES ab Anno Æræ Christ. D ad MD. LUDOVICUS ANT. MURATORIUS, Ser. D. Mutinæ Bibliothecæ Præfectus, collegit, ordinavit & Præfationibus auxit.

Tomus XIV.

Mediolani, ex typographia Societatis Palatinæ, 1729, fol. Alph. 6 pl. 15.

TOmi hujus, qui Eminentissimo S. R. E. Cardinali *Alvaro Cienfuegos* inscriptus est, præcipuam partem occupat I *Matthæi Villanii*, ejusque filii *Philippi, Historia ab A. 1348 ad A. 1264.* Nam cum Cl. Editor Tomo præcedenti inseruisset Johannis Villanii Historiam, quæ ad A. 1348, quo mortuus autor, pertingit, non potuit non hic iis locum dare, quæ ab eo anno Pater ejus Matthæus, Johanni non quidem dexteritate & prudentia, sed sermonis tantum elegantia inferior, usque ad annum emortualem 1363 deduxit, quibus deinde filius Philippus quædam addidit, quæ tamen annum 1364 non excedunt. Et quamvis

hæc jam antea, & quidem Libri IX priores Florentiæ apud Juntas 1562 & 1581, reliqua vero apud eosdem 1577 excusa essent, tamen cum raro obvia essent, eo digniora Noster censuit, quibus locus hic concederetur, quod varias lectiones e Codicibus duobus Florentinis obtinuisset, quas non exigui momenti esse intellexit, quod singulari specimine demonstrat. Nimirum neminem latet, Nostro quondam controversiam intercessisse cum Reverendiss. hodie Archiepiscopo Ancyrano, Justo Fontanini, de clavo crucis Christi Medoetiensi Italiæ coronæ impacto, quod hic asseruerat, argumento inter alia usus, quod Matth. Villanius sanctam (*santa*) alicubi vocaverit hanc coronam; cui etsi opponeret Cl. Muratorius in Epistola ad Jo. Burch. Menckenium nostrum, Thesauro Italiæ Burmanniano illata, etiam alias Regum coronas, quæ clavum non continent, sanctas seu sacras dici posse, nunc tamen magis in sententia sua confirmatus est, postquam in altero Villanii Codice neutiquam *santa* sed *seconda corona*, scilicet altera post Aquensem, seu Coloniensem, legi comperit, ut plura, quæ eodem pertinent, taceamus. Sequitur a *Jacobi Malvecii*, quem Noster e nobili Mutinensium familia deducit, *Chronicon Brixianum ab origine urbis ad A.1332*, quod Autor, A. 1412 se, ob pestem in Brixienses grassantem in amœnas Benaci oras profectum, conscripsisse testatur. Etsi vero id, jam Vossio de Histor. Lat. Lib. III Cap. 9 minus laudatum, Noster quoque fateatur, in vetustis vulgatissimos scriptores, Paulum Diaconum inprimis, describere, tamen se rem non ingratam Lectoribus fecisse putat, quod primus in tanta Brixiensium scriptorum penuria Malvecium, non incultum aut barbarum scriptorem in lucem produxerit, dolens, longius haud processisse ad sua tempora Autorem, in quibus meliora haud dubio exspectanda fuissent. Nec multo majores laudes meretur, quanquam laudum ipse suarum minime parcus, *Antonius Astesanus*, cujus succedit 9 *Poema de varietate fortunæ*, sive de vita sua & gestis civium Astensium, ab origine urbis usque ad A. 1342, in quo se secutum maxime fatetur Ogerium Alferium & Guil. Venturam, a Nostro Tomo XI jam editos; nec tamen lectu indigna sunt, quæ de suo addidit, maxime de moribus conterminarum

gen-

gentium, quos diligenter annotavit, dolendumque, in fine nonnulla videri desideranda, quæ ad ipsam autoris ætatem propiora forte fuere. Natus enim fuit Autor A. 1412 Villanovæ, Astensis agri oppido, patre Petro, Scriba publico, h. e. Notario & Grammaticæ ac Geometriæ Magistro, a quo missus A. 1429 Ticinum, sub clarissimis præceptoribus in Arte Oratoria & Poetica non mediocres fecit progressus. Inde ludum litterarium ipse in Astensi civitate aperuit, & post varia fata Capitaneus Castri Montis Raynerii & Caroli Ducis Aurelianensis Secretarius factus, circa A. 1450 poema, quod Noster nunc primum prodit, composuit. His demum accedunt 4 Anonymi *Annales Cæsenates ab A. 1162 ad A. 1362* nunc primum editi, in quibus annorum inprimis, mensium & dierum accurata ratio habetur, atque universa Romandiæ ac vicinarum regionum historia continetur, non ab uno, ut videtur, sed a pluribus successive autoribus composita. Etsi vero Scipio Claramontius, autor egregius Latinæ Cæsenatis historiæ, in ea ipsa urbe 1641 editæ, hac historia perpetuo usus sit, bene tamen factum, quod ipsum nunc fontem nobis dederit Cl. *Muratorius*, cujus thesauros nondum exhaustos esse minime dubitamus.

THEODORI REGNERI DE BASSENN DE Jurejurando veterum inprimis Romanorum Liber singularis.

Trajecti ad Rhenum, apud Melch. Leon. Charlois, 1728, 8.
Alph. 1 pl. 7.

Haudquaquam absterruerunt Nostrum commentationes aliorum, qui de jurejurando ex præscripto egerunt. Nondum enim exhausta & congesta in unum omnia esse, sentiebat, quæ ex Romanis præsertim moribus & legibus ad hoc argumentum perfecte absolvendum conducí poterant. Quare hanc sibi navandam existimavit operam, utilissimam certe, seu Jurisprudentiam, seu literas elegantiores ac disciplinas alias & Autorum inprimis veterum lectionem species. In Procemio, quod Vir doctus lucubrationi suæ præmisit, id agit, ut perjurium esse p. 3.

men-

mendacio gravius demonstret argumentis quibusdam, tum &
p. 14. veterum testimoniis & gentium moribus: laudat dein Imperatorum quorundam legislationem, qui certis & quibusdam nominatis casibus perjuros gravioribus pœnis subjecerunt, sed defectum simul juris Romani, non in omnes omnino perjuros pœnam statuentis, notat. Ipsam tractationem octo Capitibus absolvit. Orditur a verborum explicatione, ac jusjurandum, qua-
18. si *Jovis jurandum* a Jove deductum, præcipuo jurisjurandi præside ac vindice, mavult dici, quam a *jure jurando*. Disserit
22. inde de Jovis Ὁρκίου cognomine, ac tandem synonyma juris-
28. jurandi, *dejurium*, *juramentum*, *jus jurandum*, *sacramentum*, *religio*, item *jurisjurandi* vel *sacramenti religio*, seu *fides*, *exsecratio*, *obtestatio*, partim evolvit, partim vindicat. Conver-
40. titur hinc ad definitionem jurisjurandi Capite II: esse *invocationem Divini Numinis in testimonium*, *cum exsecratione sui*, *si jurans sciens fefellerit*. Dum singulas hujus definitionis partes illustrat, jusjurandum esse speciem adorationis cultusque Divini, admonet, unde complura manasse observat. Scilicet hinc formulam extitisse putat, ut, quemadmodum in sacris & sacrificiis rem divinam agentibus animi intentio commendaretur, *hoc agerent*, sic etiam juraturi, Censorum aliorumque Magistratuum voce, publice admonerentur, *ex animi sui senten-*
42 sq. *tia jurarent*. Multis hanc formulæ significationem usumque istum confirmare satagit, ut ii demum jurejurando obligarentur, qui ex animi sententia, i. e. animo deliberato & sui compote, quo in rem præsentem consensissent, juraverant. Idem
49. esse, *liquido jurare*, i. e. liquido & bene intelligente animo jurare. Porro, quia jusjurandum pertineat ad cultum & adora-
51. tionem Numinis, consequens fuisse, ut omnes gestus & externi corporis motus a jurantibus adhiberentur, qui alias adorantibus solennes erant. Hinc ritus, tangendi aras & mensas quotidianas, hinc manuum, aut solius dextræ ad cœlum porrectionem esse: ut oscitanter scripserit Hansenius, hunc morem ævo recentiore originem traxisse. Apud veteres idcirco, *promittere elatis alte manibus*, idem esse, ac jurejurando promittere. Su-
55. perstitiosas nunc jurisjurandi per sanctos & per Angelos, item

per

per alias res extra Deum, per Solem, per terram, per caput, per liberos &c. concepti formulas perstringit & Hug. Grotium harum defensorem notat, ac deinde res, per quas præsertim Romani præter Deos jurare soliti, recenset, ut per cineres ossaque defunctorum, per signa militaria, per Genios, per Genium Cæsaris, per sceptrum Jovis, per hastas, per res cuique charissimas. Romanos etiam, ex veteri jure Pontificio, passim post insigniorum Numinum appellationes per Deos omnes generatim jurasse, aliquando generalem hanc Deorum invocationem præmisisse: Pontifici Romano, cum per Deos jurare recte posset, per liberos jurare non licuisse: Gellium vero, qui mulieres per Herculem, viros per Castorem nunquam dejerasse scribit, & rationem a sacris & sacrificiis Herculis allatam prolixe confutat Noster, ac tandem de magno Deorum per aquas Stygias sacramento nonnulla subjicit. Discrimine inter jusjurandum, preces, postulationes, devotiones, exsecrationes, constituto, finem jurisjurandi explicat. Omne jusjurandum in perjurii exsecrationem desinere, cujus propterea in definitione fiat mentio: esse tamen exsecrationibus aliquando adjectas faustas precationes, imo frequentissimum esse jurisjurandi genus, quo fausta omnia ita sibi precatur jurans, uti ex animi sui sententia loquitur, & huc pertinere jurisjurandi conceptiones, quibus verba per futuros rerum eventus, quos maxime sperarent cuperentque, efferrentur. Hinc emendandum esse Festi locum: *Mensa frugibusque jurato, significat per mensam & fruges:* ut legamus: *Messe frugibusque juratis, significat per messem & fruges:* quam quidem lectionem & editiones quædam suggerunt. Post enarratas adhuc jurisjurandi formulas nonnullas, *suo*, non alterius periculo jurandum esse, monet, & hinc tralatitia quædam de sacramentalibus, ad quos jurisjurandi credulitatis originem referendam putat, nec non de jurejurando per alium præstando affert, atque finit in explicatione formulæ: *Si sciens fallo.* Pergit Capite III ad species jurisjurandi: ubi primum agit de jurejurando corporali. Veteres Numina sacris rebus magis præsentia credidisse, ac propterea *corporaliter*, i. e. tacto quocunque corpore sacro, jurare consuevisse, tactis aris, igne, extis, si-

[Margin notes: p. 61. / 75. / 77. / 87. / 90. / 94. / 98. / 107.]

mulacris Deorum; pedibus institisse hostiis mactatis; in fœderibus feriendis dextras junxisse super exta in aris ardentia; tetigisse faces, altaribus appositas, imo & mensas familiares & domesticas, tanquam sacras, caput aliave corporis membra, Diis certis dicata & sacra, ossa quoque & cineres mortuorum. In-
p. 131. vestigat & refellit Christianorum morem jurandi manibus impositis in reliquias sanctorum, sacrosancta Evangelia, reliquasve res, opinione sua sacras. Subnectit his nonnihil de jurejurando incorporali, quod in instrumento vel nuda voce & verbotenus præstatur, & suspicionem addit, corporale jusjurandum forsitan apud antiquos dictum fuisse, quod quis ipse corpore præsens & viva voce jurat, incorporale, quod absens & in scriptis aut per procuratorem præstat. Capite IV aggreditur di-
141. visionem jurisjurandi in publicum & privatum. Illud, publicam utilitatem spectans, ulterius discernit in paganum & militare. Observat vero, jusjurandum publicum non semper con-
142. ceptum esse in Capitolio, verum etiam in Curia, ad aram Victoriæ, in Rostris, in Comitio ad Puteal & in Campo Martio in villa publica. Publice & privatim promiscue jurasse Romanos
151. ad aram maximam Herculis in foro boario. Explicat, quid sit, *præire verba jurisjurandi*, item *præeuntem sequi?* quid, *concipere?* quid, *præjurare?* quid, *præjurationes?* Præivisse ju-
153. risjurandi verba Pontifices, Prætores, Proconsules, Imperatores five Duces: præjurasse, qui ex pluribus ante alios juraret, quem
158. cæteri sequerentur, dicentes tantummodo: *idem in me.* Omni jurijurando publico præmissam esse formulam: *Ex animi tui sententia.* Sigillatim nunc tractat de diversis jurisjurandi pu-
161. blici speciebus, ut de jurejurando Candidatorum, cum ordina-
166 sqq. rio & consueto, tum extraordinario, Consulum designatorum aliorumque Magistratuum honorem ineuntium, Cæsarum, initio Magistratus alicujus suscepti, itemque post assumtum Principatum, Magistratuum majorum, peracto honoris tempore, Judicum & populi judicaturi jusjurandum in leges, item Præ-
182. torum & Præsidum in provinciis. Porro explicat jusjurandum
188. eorum, qui sacris initiarentur, præcipue de sacris non vulgandis, unde *mysteriorum & sacramentorum* appellationes, postea ad

ad Christianorum sacra translatæ; item jusjurandum in cooptandis per collegia sacerdotibus, & in ordinandis Christianorum Episcopis usitatum; denique jusjurandum, quo se quorundam Philosophorum sectæ addicentes, ad mystarum exemplum adstrinxerunt. Sequitur jusjurandum tutorum & curatorum, item Advocatorum, quos in scholis affectantes declamatores idem suis declamationibus præmiserint; denique jusjurandum, quo acclamationes suas, qui publice applaudebant, asseverare consueverint. Succedit jusjurandum populi, quo leges sanciret, Patrum patratorum & Fecialium populi nomine jurantium; Senatorum jusjurandum de fide sua & silentio, Prætorum judices eligentium, item de religione referentium ad Senatum, jusjurandum, quo omnes Magistratus, Senatus, populus, in urbe & in provinciis adigebantur in verba Principis Rempublicam capessentis, quotannis repetitum. Jurijurando publico ulterius accensetur, quod de calumnia jurabant accusatores; jusjurandum de donis & muneribus, nec datis, nec dandis, nec promissis: ejuratio Judicum: testium jusjurandum, qui inde *juratores* cadente Latinitate appellati, quibus solennis formula: *se arbitrari*: jusjurandum maritorum, a censoribus publice exactum; civium, bona sua in censum deferentium, unde Censores quoque *juratores*, quia jusjurandum exigerent, cives, qui jurassent, *jurati* dicti: jusjurandum in arrogationibus a Q. Mucio Pont. Max. conceptum; ac tandem publici jurisjurandi, & quidem pagani, species claudit, quod principes civitatis jurarunt, qui ludis Megalensibus mutitarent. Caput V destinavit Autor jurijurando publico militari, cujus duplicem animadvertit usum, principalem in auctorandis militibus, adjuvantem in promovenda disciplina militari. Milites auctorandi necessitatem ex sanctitate militiæ Romanæ fuisse, inde milites dictos *sacratos*. Gladiatorum jusjurandum a militibus translatum fuisse. *Conjurationem* olim fuisse genus militiæ, imminente bello Italico vel Gallico: *jusjurandum militare* & *sacramentum*, quæ Livius alicubi discernit, ita differre, quod illud sit necessarium & coactum, hoc voluntarium, contra, quam Sigonius & Lipsius senserint: *sacramento adigere*, esse idem, ac dele-

[Margin notes: p. 191. — 203 sqq. — 207. — 210 sqq. — 218. — 222. — 228 sq. — 249. — 256. — 264. — 267. — 272.]

ctu instituto militem conscribere: inde a militiæ vinculo tracta figura *sacramentum* vocari, omnem agendi vel patiendi necessitatem, ac speciatim belli suscipiendi necessitatem dici *belli sacramentum*. Ad jurisjurandi, quod disciplinam militarem contineret, species refert illud, quo de furto non faciendo, item
p.287. quo de præda non intervertenda vel avertenda milites obstrin-
291. gebantur, porro, quo milites in re subita, vel ingenti dimicatione imminente, juraverint; nec non jusjurandum, quo segnioribus nota inurebatur; itemque quo exercitus reddebatur alacrior & animosior, jurantibus aliquando etiam Imperatori-
297. bus spem & alacritatem. Milites una cum paganis quoque in verba Principis, imperium auspicantis, adactos, & similiter quotannis Kalendis Januariis in principiis castrorum, ubi tribu-
302. nal erat, jurasse. Denique refertur jusjurandum Ducis vel Imperatoris ex Lege Maria Porcia de numero cæsorum hostium & amissorum civium præstando. Subnectitur appendix Capi-
304 sqq. tis IV & V de juratis excusationibus eorum, qui Consulatum reliquave munera publica deprecari vellent, item Augurum ad cœnam novi Auguris non venientium, ut & qui justum militiæ impedimentum allegarent. Progreditur Noster Capite VI ad jusjurandum privatum. Hoc vel in pollicitationibus, vel in as-
311. sertionibus versari. Ad jusjurandum promissorium, præter illud, quod futura quævis negotia respicit, cujus exempla illustria ex historia Romana producit, ac præter illud, quod a contrahentibus velut fidei pignus exigitur & accipitur, refert
315. etiam jusjurandum a vidua, ex Novella XXII Cap. 44, præstandum, si ad secunda transierit vota, quod surrogatum in lo-
319. cum jurisjurandi ex Lege Julia Miscella olim præstandi, porro
321. cautionem juratam de judicio sistendo. Lustrat deinde jusjurandum assertorium, ejusque species diversas, scilicet primum, quod juratur de veritate a litigatoribus, & discernitur in voluntarium, necessarium, & judiciale, porro illud, quod juratur ex
323. animi affectione, cujus usum observat in actionibus injuriarum, quo se reus purgaret, non injuriandi animo fecisse: *malam* vero *mentem* excusantes, omnem injuriæ culpam contu-
328. lisse in Deos & malos genios. Præterea, qualemcunque criminis

nis

nis suspicionem jurejurando amovisse veteres, exemplis illustrat, unde sacramentum *purgationis* originem traxerit. Postremam jurisjurandi partitionem facit in illud, quod in judicio, p.330.
& alterum, quod extra judicium præstatur. Capite VI descendit ad affectus jurisjurandi. Et contractuum quidem valori 331.
nihil exinde virium accedere: æquiparari jusjurandum nudo pacto, neque adeo ex eo actionem nasci, nisi sit legitimum.
Recenset proinde species jurisjurandi legitimi, ut, illud liberti, 332.
quod præstabat ex Lege Julia & Papia inter manumittendum, jusjurandum minoris, quo renuntiat restitutioni in integrum, transactionem juratam, item si quis moriens jurato modum suæ substantiæ definiverit, ac tandem jusjurandum assertorium veritatis & affectionis. Pluribus nunc jurisjurandi delati vel relati 341.
jam præstiti effectus persequitur, ac subjungit de remissione jurisjurandi, qua dicimur *jurisjurandi gratiam facere* vel ante, vel post præstitum sacramentum, simulque in fundamentum juris Principum in solvendis jurejurando civibus inquirit, hisque annectit quædam de verborum *obsecrare, resecrare, adjurare,* usu & potestate. Ultimo Capite tractat de pœnis perjurii. 347. 354.
Olim Feciales & cognovisse & expiasse, si quid Imperatores contra jurisjurandi religionem patrassent, de reliquorum perjuriis cognitionem fuisse penes Pontifices, ita saltem, ut *piaculum* commissum expiarent. Hinc Imperatoribus, Pontificatu maximo suscepto, competiisse jus solvendi jurisjurandi religione. Quos perjurium commisisse pronuntiassent Pontifices, in 361.
libera Republica, subiisse pœnam Censoriam, scilicet infamiam, quæ sub Imperatoribus observari desierit, ita tamen, ut qui per Genium, salutem aut venerationem Principis falso jurassent, incidérent in Legem Juliam Majestatis, dum fustibus extra ordinem plecterentur, quod contra Anton. Matthæi asseritur: fuisse 365.
autem hujus animadversionis autores Impp. Severum & Antoninum, sed eam temperasse Alexandrum, fervorem animique impetum distinguendo a cogitatione & deliberato consilio. Ante 368.
Severi & Antonini Rescriptum pœnam ordinariam irrogatam 378.
videri. Denique Honorium & Arcadium primos ex Impp. Christianis pœnam sanxisse de his, qui per Deum pejerassent,

in *l. 41 C. de transact.* scilicet, ut, qui transactiones jurejurando munitas non servaverit, infamiæ notam subiret, omnique transactionis emolumento careret ac præterea pœnam pactis insertam præstaret. Huic novam sanctionem adjecisse Honorium & Theodosium in *l. 17 C. de dignitat.* ut viri illustres, cautionem juratoriam judicii sistendi causa negligentes, in pecuniariis causis rerum possessionem amitterent, in criminalibus dignitate spoliarentur & inconsulto Principe damnari possent. Tertio addidisse Imp. Justinianum in *Novella CXVII Cap. 2*, ut Chartularius vel Tribunus militum, falso jurans mulieri, de morte mariti inquirenti, militia dimitteretur & X auri libras penderet ei, quem mortuum erat mentitus. Hisce tribus casibus potissimum sanxisse Imperatores perjurii in Divinam Majestatem commissi pœnam. Ceterum mansisse sub Imperatoribus Christianis illud inter perjuria, quæ simpliciter in Deum, & quæ in Majestatem Principis commissa essent, discrimen. Ne-
p. 380. que Modestinum in *l. 4 D. de stellionatu*, de pœna perjurii, sed insignioris fraudis & calliditatis extraordinaria loqui, neque
381. alias locum habuisse stellionatus accusationem. Publica vero perjuriorum impunitate non fuisse ablatum privatis jus suum, quibus inde sine culpa sua læsis doli mali litem intendere licuerit, atque sic explicandam *l. 13 C. de testib.* secus, si delatum fuisset jusjurandum, quorsum spectent *l. 21 D. de dol. mal. l. 28 §. 10 D. de jurej.* Sed jam perfunctus videtur sibi Autor considera-
384. tione juridica, &, postquam veterum de perjurii pœnis, quæ corporibus inflictæ divinitus pejerantes manifestarent, inter quæ sunt ψεύδεα ῥινὸς, sive *mendacia nasi*, scilicet pustulæ & maculæ in naso pejerantium protuberantes, superstitionem perstrin-
386. xit, finit Commentationem suam in Hesiodi & Servii de pœna Deorum pejerantium narrationibus conciliandis. Quemadmodum vero in ipso Opusculo variæ insertæ sunt digressiones,
196. ut Capite IV, de lege Domitia, qua jus sacerdotum creandorum
238. a collegiis translatum ad populnm; item historia Legis Cinciæ:
316. & Capite VI observatio de Lege Julia Miscella; ita in calce ad-
389 sqq. huc quatuor Noster dedit auctaria, unum ad Caput IV, in quo demonstrat, Puteal Libonis idem esse ac Puteal, quod in comitio

ei

ei loco impositum fuit, sub quo Navii novaculam & cotem defossas perhibent Cicero & Halicarnassensis. Scribonianum Puteal non fuisse ædificium, sed aram, Prætoris tribunali quam proxime adjunctam, propter quam loci propinquitatem veteres ipsum tribunal sæpissime Puteal dixerint: altero ad Caput V p. 410.
docet, abrogato penitus sacramento prisco, sive voluntario, nihilominus tamen & militiam Romanam & ipsum illud jusjurandum necessarium & coactum, quod in prioris locum successerat, sibi *Sacramenti* nomen retinuisse; tertio, ad idem Caput, 414.
expendit varias pœnas, quibus furta militum expiabantur in ca- 421.
stris: ultimo, ad Caput VIII, etymologiam perjurii & compositionem verbi *perjurare* investigat. Satis itaque laboriose conquisivit, quæ de jurejurando veterum præsertim Romanorum dici observarique merebantur: ac, licet vix pauca dixerit, quæ non dicta sint aliis; gratissimum tamen officium fecit etiam colligendo, quæ dispersa apud singulos requirenda erant. Cumque ingenue laudare soleat autores, ex quibus profecerit; sane mirari convenit, præclarissimam Viri Celeberrimi, Everardi Ottonis, *de perjurio per Genium Principis* Dissertationem ne nominari quidem, ex qua tamen egregia nonnulla profecisse certo videtur Noster, nisi, occulta quadam ingeniorum conspiratione forsitan, eadem meditanti feliciter in mentem venisse, suspicandum est. Poterat & plura, quam fecit, in Jurisprudentiæ usus transferre, majorem inde laturus diligentiæ & fructum & laudem. Sed contenti simus hac, quam navavit, opera, &, quoniam ita jubet, *more majorum demus plausum postremæ in comœdia.*

PHILOSOPHICAL TRANSACTIONS &c.

hoc est,

TRANSACTIONES PHILOSOPHICÆ, quibus referuntur molimina, studia & labores ingeniosorum nostri temporis in variis Orbis partibus. Volumen XXXIII pro Annis 1722 & 1723.

Alph. 3 pl. 3 Tabb. æn. 18.

Quæ

Quæ ad A. 1722 referuntur, de iis diximus anno ſuperiore menſe Aprili p. 169 & ſeqq. nunc igitur recenſenda veniunt, quæ ad annum 1723 ſpectant.

Num. 375 pro menſibus Januarii & Februarii *Hallejus* determinat longitudinis *Portus regii* in *Jamaica* & *Londini* differentiam 76° 37′ 30″, *Carthagenæ* autem in America & *Londini* 75° 30′. *Chriſtfridus Kirchius* exhibet obſervationes Cometæ A. 1718 viſi, accuratiores iis, quas cum amico feſtinanter communicatas, ut etiam ille Cometam quæreret, legimus in Novis litterariis Lipſienſibus, vitio inſuper typographico deformatas. Ecce tibi eas in compendio:

Dies	*Longitudo*	*Latitudo*	*Dies*	*Longitudo*	*Latitudo*
18 *Jan.*	27°. 26. 69	69°. 18 S.	30 *Jan.*	3°. 4. 8	28. 23½ S.
21	16. 25½. 8	48. 42	31	2. 43.	27. 40
23	9. 28½.	39. 45	1 *Febr.*	2. 25.	27. 1
26	5. 25½.	32. 55	2	2. 10.	26. 22
27	4. 41.	31. 24	5	1. 19.	24. 53
28	4. 4.	30. 13			

Die 23 Jan. mane Cometa cum ſtellis θ & φ Caſſiopeæ conſtituebat triangulum æquicrurum & veſperi φ Perſei, Cometa & θ Caſſiopeæ erant in linea recta. Via ejus tranſiit ſupra tergum Urſæ minoris prope polarem, per crura & genua Cephei, Caſſiopeæ & Andromedæ. Nodus deſcendens fuit in 21° 30′ ♈, angulus orbitæ & eclipticæ 69° 30′, perigæum in 6° 6′ ♏. Fuit autem Cometa in perigæo cum latitudine ſeptentrionali 62° 7′, d. 18 Jan. h. 3 mat. 9′. Orbita ſecuit æquatorem in 20° 30′ a puncto æquinoctiali. Motus diurnus in perigæo 22° 8′; ultimis apparitionis diebus 32′. Locum ejus phyſicum intra Martis ſphæram probabiliter colligit obſervator. *Langwith* plus ſimplici vice intra iridem primariam obſervavit ſecundam, immo tertiam colorum ſeriem primæ contiguam. *Henricus Pemberton* in rationem phænomeni inquirit, quam ex principiis *Newtoni* dari poſſe confidit, nempe quod radius interius a gutta reflexus diſpergatur. Variis obſervationibus confirmatur ſe-

lix

lix variolarum implantatio, hodie in Anglia usitata. *Desagulierius* experimentis docere conatur, vires corporum vivas esse ut celeritates, non autem ut quadrata eorundem, quemadmodum visum *Leibnitio*.

Num. 376 pro mensibus Martio & Aprili exhibetur catalogus quinquaginta plantarum a pharmacopolis Londinensibus Societati regiæ oblatus. *Desagulierius* examinat experimenta *Poleni* pro confirmanda mensura virium *Leibnitiana* facta, & alia affert, quibus sententiam communem probare intendit. *Taylorus* experimento probat expansionem liquoris in thermometro esse calori proportionalem. Ita autem divisit thermometrum, quo in eodem usus est, ut non longitudines portionum tubi, sed capacitates essent æquales. Immisit autem tubum aquæ frigidæ in data ratione cum calida permixtæ. *Dudlejus* describit genus serpentis, quod omnium terribilissimum, Anglis *Rattelsnake*, Latine *Boiciningo* dicitur, & quo nullum magis terret cum homines, tum animalia bruta. Descriptio continet varias observationes notatu dignas. Hac data occasione *Sprengellius* alias communicat de viperis observationes, earum inprimis morsu. *Langwith* figuras nivis contemplatus est, qui cum observationes suas cum iis conferret, quas *Cartesius*, *Grewius* & *Mortonus* dedere, pleraque jam ab iis observata esse cognovit. Exhibentur etiam observationes auroræ borealis per quadriennium *Lennæ Regis* in *Norfolcia* factæ. Nihil in iis singulare occurrit, nisi quod aliquando lux se in acervum collegerit atque fulgorem coloribus iridis tinctum exhibuerit, iterumque se dilataverit, luna licet lucide splendente: immo aliquando lux tam intensa fuit, ut characteres in libro perquam distincte videri potuerint. Dignum vero inprimis est, cujus hic mentio fiat, telescopium catadioptricum a *Joanne Hadlejo* feliciter perfectum. Constat tubo octangulari, cujus longitudo sex pedum. In eo collocatum est speculum concavum metallicum, cujus focus est $62\frac{5}{8}$ digitorum, crassities digiti dimidii. Intra eundem tubum comparet speculum planum ovale, ex eodem metallo confectum, cujus crassities est $\frac{1}{8}$ unius digiti, latitudo paulo minor digito dimidio & ad longitudinem ut 1 ad $\sqrt{2}$.

Distantia speculorum variat pro diversitate vitrorum ocularium, quibus utitur inventor: unum enim eorum habet distantiam foci circiter $\frac{1}{3}$, alterum $\frac{3}{10}$, tertium $\frac{11}{40}$ digiti unius. Præter ista vitra ocularia convexa adsunt duo vitra ocularia concava. Notum est, telescopium catadioptricum invenisse *Newtonum* & in Optica descripsisse. *Hadlejus* autem structuram ejus mechanicam plurimum perfecit, ut ad observationes cœlestes ac terrestres commode adhiberi possit. Ingens sane est apparatus mechanicus, quem addidit, ut paucis describi nequeat. *Scheuchzerus* anatomiam senis decrepiti annorum 109 Tiguri factam communicat. Sterni costosas prominentias, quæ alias cartilagineæ sunt, osseas & cum ipsis costis tantum non continuas; cor satis amplum, inprimis auriculas præter modum dilatatas atque ventriculos sanguine concreto refertos; valvulas semilunares, inprimis aortæ, pene cartilagineas præcipue media sui parte; cranii substantiam præduram; duram meningem propemodum coriaceam deprehendit.

Num. 377 pro mensibus Maji & Junii *Georgius Mackenzie* describit animal quoddam Brasiliense, cui *Coati mondi* nomen est: quod cum cultro anatomico subjiceret, plurima aliter sese habere deprehendit, quam in Commentariis Academiæ Scientiarum Regiæ Parisinis describuntur. *Vaterus* describit effectum singularem aquarum Pyrmontanarum. Vir nunquam antehac calculum expertus & alias perfecte sanus ab earum usu calculos ultra quadraginta præter alios minores quatuor vel quinque dierum spatio inter mingendum exclusit, subsecuto mictu cruento tandemque vesicæ ulcere. *Perrotus Guilielmus* & *P. Hardisway* alias de calculo observationes exhibent. *Horsley* observavit quantitatem aquæ pluvialis a d. 1 Aprilis A. 1722 usque ad 1 April. 1723 Widdringtoni in Northumbria, quemadmodum Tabula sequens indicat:

Aprilis	1. 015 *dig.*	*October*	0. 600 *dig.*
Majus	3. 532	*November*	2. 205
Junius	2. 570	*December*	1. 780
Julius	4. 350	*Januarius*	1. 225
Augustus	2. 132	*Februarius*	0. 485
September	1. 155	*Martius*	0. 195

Robertus

Robertus Simson propositiones duas *Pappi Alexandrini* restituit, quibus plura ex *Euclidis* Porismatis complexus est. *Antonius a Leuwenhoek* sanguinem examinans expertus est 4 diametros globulorum sanguineorum convenire cum diametro fili argentei, qualium 485 duodecimam pedis Londinensis partem conficiunt, quemadmodum ante repererat *Jurinus*. Anguillas, squillas, pisces conchatos & varias muscas omnes fœmellas esse arbitratur, quæ instar arborum fructus edunt. *Colinus Mac Laurin* fœtum monstrosum bicorporeum describit. Omnia fuere gemina præter pudendum muliebre & pedes. Trunci coaluerant in communi umbilico, erantque pedes ad truncum recti, ita ut, si monstrum pedibus insisterent, utrumque corpus cum capitibus esset horizonti parallelum. Exhibet quoque sceleta, ex quibus apparet, quomodo duo fœtus in unum coaluerint. *Joannes Brown* observationes quasdam & experimenta commemorat de Sale cathartico amaro, quod vulgo epsomiense appellatur: ubi verum ejus præparandi modum communicat. Cum vero prolixum sit istud schediasma; altera ejus pars numero sequente continetur.

Num. 378 pro mense Julio & Augusto præterea reperies Florum Geometricorum manipulum, Regiæ Societati a *Guidone Grandi* exhibitum. Flores isti sunt figuræ curva quadam per aliquot foliorum sese ab uno centro expandentium perimetrum recurrente circumscriptæ. Hic autem eas contemplatur, quas *Rhodoneas* appellat, & quarum genesis per ramos a centro floris prodeuntes, æquales vero sinubus angulorum, iis angulis, quos cum data positione lineæ rami comprehendunt, in data aliqua ratione proportionalium, procedit. *Jacobus Pound* describit observationes ope telescopii *Hadlejani* factas. Cum *Bradlejo*, Professore Astronomiæ Saviliano telescopium istud, cujus longitudo fuit 5¼ pedum, cum *Hugeniano* pedum 123 comparavit, & quicquid per *Hugenianum* in Jove & Saturno observarunt, idem etiam per *Hadlejanum* observare potuerunt, ita ut quinque etiam Satellites Saturni per idem in conspectum fuerint producti. Ipse *Hadlejus* observationes quoque Satellitum Jovis & Saturni describit, quas eodem telescopio instituit.

 Distin-

Distinctissime vidit umbram satellitis primi & tertii in discum Jovis projectam, eamque *Folkesio* & *Jurino* monstravit. Vidit quoque umbram Saturni in annulum projectam & tres ejus Satellites, sed nunquam quinque. Vidit praeterea primum & secundum Satellitem instar maculae in disco Jovis. *Robertus Houstoun* foetum offert extrauterinum, qui annos quinque cum dimidio in abdomine delituit, & cujus sceleton matre mortua inde fuit extractum.

Num. 379 pro mense Septembri & Octobri *Rogerus Gale* exhibet inscriptionem Romanam curiosam Cicestriae inventam. Marmori nempe sub terra defosso haec verba inscripta legebantur:

NEPTVNO. ET. MINERVAE
TEMPLVM
PRO. SALUTE. DOMVS. DIVINAE
EX. AVCTORITATE. TIB. CLAVD.
COGIDVBNI. R. LEG. AVG. N. BRIT.
COLLEGIVM. FABROR. ET. QVI. IN. EO.
— — — D.S.D. DONANTE. AREAM
PVDENTE. PVDENTINI. FIL.

cujus Inscriptionis verba paullulum immutata dedimus jam supra in his Actis A. 1729 p. 184. *Antonius a Leeuwenhoek* in diaphragmatis structuram inquirit, quod ope microscopii ex parte ex tenuissimis fibrillis compositum deprehendit, quae sine microscopio constructae latum circiter capillum inter se distant. Fibrillae istae oriuntur ex partibus carnosis, quae diaphragmati circa costas intexuntur & Observator eas eidem vice tendinum inservire judicat. Inter fibrillas membrana exporrigitur, quae innumeris angulis exiguisve plicis scatet, ut diaphragma in inspiratione expandi, in exspiratione contrahi queat. Membrana permultis iisque exiguissimis foraminibus pertusa, quae ab abdomine in pectus & a pectore in abdomen patent. Quoniam magna adipis copia in diaphragmate gignitur, ipsum utrinque ita crassescere posse arbitratur, ut in tumorem exuberet, atque inde in obesis spirandi difficultatem derivat: modico vero adipe expansionem & contractionem singulis horis nongenties absolvendam adjuvari.

Se-

secundum longitudinem fibrillarum vascula sanguinea extenduntur: major adhuc vasculorum numerus in membrana occurrit. Testem allegat chirurgum suum, qui singula oculis suis usurpavit eodem microscopio armatis. *Joannes Huxham & Guilielmus Cliverus*, præternaturalem quandam genitalium in muliere structuram describunt; *Howmannus* sanguinem sincerum per penem d. 30 Jun. & 31 Jul. A. 1716 fluentem commemorat. Fluxus iste cohibitus est venæsectione in brachio celebrata atque medicamentis quibusdam adhibitis. *Holloway* in conspectum producit strata terræ cretaceæ, qua fullones utuntur, & quæ in agro Bedfordiensi effoditur. Ultimo loco *Jacobus Jurinus* rerum naturalium curiosos ad observationes meteorologicas invitat: quæ invitatio in his etiam Actis legitur. Appendicis vice fungitur recensio adversariorum Anatomico-Medico-Chirurgicorum Decadis tertiæ, autore *Friderico Ruysch*.

Num. 380 pro mense Novembri & Decembri *David Martineau* calculos a muliere quadam paupere per annum exclusos delineat. *Antonius a Leeuwenhoek* in agone versatus ad se vocari jussit *Joannem Hoogulietium*, eumque rogavit, ut duas epistolas ex vernaculo sermone in Latinum verteret, atque *Jacobo Jurino* illustris Societatis Regiæ Secretario mitteret: id quod cum ab eo factum fuisset, epistolæ istæ posthumæ, quarum altera de globulis in sanguine & vini fæcibus, altera de generatione animalium & palpitatione diaphragmatis agit, hic insertæ leguntur. Globulorum in sanguine magnitudinem eandem prorsus reperit cum *Jurino*. Animalcula per tubam *Fallopianam* ad ovarium & fœcundatum ovulum per eandem ad uterum deferri negat, quod ipsi videatur absurdum, sed nulla addita ratione. Cibos in ventriculo motu diaphragmatis communi & chylum non per oscula, sed per tunicas in venas lacteas transire affirmat. *Jacobus Douglas* florem & capsulas seminales Croci autumnalis sativi depingit. *Leeuwenhoekius* microscopia sua cum omni apparatu testamento legavit illustri Societati Regiæ, quæ *Martinus Folkesius*, Vice-Præses, hic describit. Microscopia sunt numero 26, quæ *Leeuwenhoekius* propria manu paravit: cuilibet aptatum fuit aliquod objectum. Apparatus admodum simplex

& conveniens. Singula microscopia simplicia sunt, quorum unumquodque constat vitro intra duas laminas argenteas exiguo foraminulo pertusas contento. Objectum infigitur acui argenteæ ope cochleæ argenteæ admovendum, donec conveniente loco constituatur. Objecta solida glutine ad acum firmavit. Vitra admodum clara sunt & objecta valde aucta distincte exhibent. In eligendo vitro & in figura exacta eidem inducenda suam passus non est desiderari diligentiam & ex pluribus vitris politis ea servavit, quæ ceteris præcellere didicit. Objecta diversa ratione amplificant, prout eorum diversitas postulat. Cumque singula sint vitra polita, nullum eorum adeo minutum, quales sphærulæ microscopicæ esse solent, neque eadem ratione objecta auget, qua ab hisce amplificantur. Objecta tamen adeo distincte repræsentantur, qualia per microscopia alia, quæ pro exquisitissimis habentur, minime constarent: id quod *Folkesius* facta sedula inquisitione testatur. Et sane id unice *Leeuwenhækius* intendebat, ut objectum exhiberetur clare ac distincte, parum sollicitus de gradu amplificationis. Longa enim experientia edoctus didicit, vitra, quæ moderate augent objecta, ea clarissima & distinctissima exhibere, cum vitrorum exilium, quæ valde eadem amplificant, nullum experiretur usum in observationibus suis. Monet tamen *Folkesius*, tot egregia inventa, quæ *Leeuwenhækius* detexit, non solum præstantiæ vitrorum, verum inprimis magno Observatoris judicio & experientiæ in iis utendis ac indefatigabili industriæ in eodem objecto contemplando tribuenda esse, ita ut paria præstare nequeat, experientia ista & exercitio tam diuturno destitutus. In objectis quoque præparandis excelluit, ut ad contemplationes microscopicas essent commoda: ingenue enim fatetur *Folkesius*, se notabilem differentiam percepisse in apparentia ejusdem objecti, quod a se præparatum eidem miscropio subjectum fuerat, & *Leeuwenhækiana* manu ad idem applicati. Notent hæc sibi, qui nimis festinantes judicia deproperare solent, & viri de scientia naturali optime meriti inventa sugillant, quod observationibus suis non respondeant, microscopiis non modo imperfectioribus, sed nullo quoque per assidua demum exercitia favente natu-

natura comparato habitu institutis, discantque, quantum discrepent judicia matura virorum gravium & cordatorum a judiciis communibus. Sub finem denique ex Actis Uratislaviensibus exhibentur Catalogi variis in locis annis singulis mortuorum & natorum, quorum usum jam olim ostendit *Hallejus*.

DECADIS II ACTORUM MEDICORUM Berolinensium in Incrementum Artis & Scientiarum collectorum & digestorum Volumen VII & IIX.

Berolini, apud Godofredum Gedickium, 1727 & 1728, 8.
Plag. 12.

PRæmittitur Volumini VII effigies & vita *Martini Willichii*, Ser. ac Pot. Elect. Brand. *Friderici Wilhelmi, Friderici III*, nec non Ser. Elect. Brunsu. Episcopi Osnabrugensis, *Ernesti Augusti*, Consiliarii & Archiatri. Continetur autem in eo I Epicritis in Conspectum mortuorum Berolinensium per A. 1724, ubi docetur, apoplexiam etiam in infantes cadere, quæ tamen sæpe cum epilepsia confundatur; in adultis non alligari statis anni periodis, causamque sæpe impeditum mensium vel hæmorrhoidum fluxum esse; insitionis variolarum effectum præservatorium manere dubium, in Germania certe hanc operationem non æque succedere; paucissimos longævos senio, sed quemque proprio morbo consumi, atque inde mechanismi rationem in morbis cadere; quod infantes adeo crebro motibus convulsivis intereant, rationem esse, non debile quidem genus nervorum, sed naturam, quæ febres in corpusculo inepto excitare non valens, spasmodicum & convulsivum motum pro morbis solvendis inducat; rhachitidem denique intra primum septenarium non solvi, nec esse hæreditariam. Sequitur II Status morborum epidemicorum per annum eundem Berolini alibique grassantium, ubi mentio fit salivationis infaustæ, hæmoptysi instante institutæ. Medici reprehenduntur, qui Innocentio XIII Pontif. Max. humores ad pectus congestos per hæmorrhoidum aperturam revellere male conati fuerant; casus allegatur de puerpera, sub lochiorum suppressione diarrhœa choleroide ex usu

usu decocti foliorum Sennæ concitata laborantis, & alius de impune administrata venæsectione in diarrhœa cum febre catarrhali. Porro asseritur, rupturas vasorum internorum abdominis quandoque mentiri dolores colico-iliacos; hydrophoborum in mare submersionem subinde frustraneam esse, vel quia temporis opportunitas neglecta, vel corporis & humorum præparatio debita omissa fuit, a qua tamen venæsectio eximitur; & Ludovico I Regi Hispaniæ, variolis cum febre intermittente laboranti, venam male toties sectam fuisse.

Volumen IIX effigiem non solum & vitam *Matthæi Flacci*, Med. D. & Physici Berolinensis, sed & nummum cum effigie Adolphi Occonis, Medici quondam Augustani famigeratissimi, qui temporibus Cratonis & Gesneri vixit, ejusque vitæ curriculum exhibet, & describit I Historiam hydrope pectoris ex ossificata aorta laborantis cum sectione post ejus fata. II Theod. Val. Crameri Ephemeridem vulneris thoracici in malignum ulcus degenerantis cum insequente empyemate, sed feliciter curati. Vulnus hoc licet non solum ad cavitatem pectoris sed & ad pulmonem penetraverit, nullam tamen admotæ candelæ sub inspiratione ægri attulit alterationem. Legitur hic de chelidonii majoris loco Theæ usurpati virtute diaphoretica, diuretica, balsamica & alexipharmaca observatio; hinc usus ejus in catarrhis, podagra, calculo & omnibus fere morbis malignis admodum celebratur. Sequuntur III Casus & operationes chirurgicæ A. 1724. Vulnera scilicet capitis ex casu ab alto cum cranii depressione in adulto, per retentionem halitus restituta; excrescentiarum infantum recens natorum in occipite extirpatio funesta, ubi mentio fit infantis medulla spinali carentis, aliquot tamen dies superstitis; Paracenthesis hydropicum ad quartum annum conservans; fungi oculi carcinomatosi extirpatio, succrescente novo fungo; extractio fœtus mortui; amputationes brachiorum, unius ob meliceridem imprudenter tractatam, alterius ob vulnus arteriæ brachiali inflictum, sed fatalis; ut & pollicis pedis interno sphacelo scorbutico confecti, itidem fatalis; embryulcia eo successu mortua matre instituta, ut fœtus sacro lavacro initiari potuerit; abscissus umbilicalis post partum

tum contractus & in ulcus fistulosum degenerans, ad quod menses ruentes per fluxum hæmorrhoidalem revellebantur; denique observatio de ovario steatomatoso piloso in mania; qua occasione docetur, non illud, sed conformationem cerebri præternaturalem maniæ causam fuisse, quemadmodum & lienem obstructum non causam sed effectum existere melancholiæ constet. IV Historia recensetur amputati brachii, de cujus dolore & ardore ægra constanter fuit conquesta, hujusque phænomeni ætiologia in eo consistere perhibetur, quod anima corpori coextensa sentiat vel doleat in partibus corporis absentibus, quibus æque coextensa fuit. V Depositiones Medico-Legales per A. 1724 a D. Glockengiessero exhibitæ recensentur, de morte puta flagris immerito imputata; de delirante jugulum sibi præscindente, in cujus cerebro magna aquæ flavescentis copia & hydatides fuerunt repertæ; de infanticidio culposo, fœtus scilicet vivi, linteis mox involuti & in aquam projecti. Agmen claudunt VI Depositiones Medico-Legales per eundem annum a D. J.D.G. traditæ, de morte subitanea cholera, non veneficio extincti, & de vulnere sclopetario diaphragmatis & hepatis absolute lethali.

PHILOSOPHIA PRIMA, SIVE ONTOLOGIA, methodo scientifica pertractata, qua omnis cognitionis humanæ principia continentur; Autore CHRISTIANO WOLFIO, Consiliario Aulico Hassiaco, Mathematum ac Philosophiæ in Academia Marpurgensi Professore Primario & Ordinis Philosophorum p. t. Decano, Professore Petropolitano Honorario, Societatum Regiarum Britannicæ atque Borussicæ Sodali.

Francof. & Lipsiæ, in officina libraria Rengeriana, 1730, 4.

Alph. 2 Tabb. æn. 2.

QUamprimum Celeb. Autor sibi proposuerat Philosophiam & certam, & generi humano utilem efficere, huncque in finem de ratione evidentiæ demonstrationum *Euclidearum* disqui-

rebat, præter formam, quam hactenus non satis perspectam, nuper in Logica delineavit, eam a notionibus ontologicis pendere deprehendebat, cum prima, quibus *Euclides* utitur, principia sint definitiones nominales, quibus per se nulla inest veritas, & axiomata, quorum pleraque sunt propositiones ontologicæ, ut adeo nullus dubitaret, Mathesin omnem certitudinem philosophiæ primæ acceptam referre, ex qua principia prima desumit, unde omnis tandem evidentia emanat. Cum deinde in philosophia theoremata demonstrare conaretur, prædicatum ex determinationibus subjecti legitimis ratiociniis deducturus, & principia per iteratas demonstrationes ad indemonstrabilia reducere tentaret; ipso opere didicit, in omni veritatum genere perinde ac in Mathesi tandem perveniri ad principia philosophiæ primæ, ut adeo denuo nullus dubitaret, non ante philosophiam, adeoque multo minus ea, quæ ad Facultates vulgo superiores dictas spectant, methodo scientifica tradi posse, quam philosophia prima ad eandem formam esset reducta. Denique ubi primum Mathematicorum tam veterum, quam recentiorum, atque deinde quoque Physicorum præsertim in Philosophia experimentali inventa singulari studio examinaret, quomodo ex aliis quibusdam præsuppositis per certa artificia analytica fuerint deducta, aut deduci saltem potuerint; præcepta quoque artis inveniendi generalia ex notionibus ontologicis demonstranda esse intellexit. Immo cum & Logicæ probabilium, quæ in desideratorum numero est, notionem quandam formaret ac specimina quædam investigaret; non minus reperit, absque notionibus ontologicis illius præcepta demonstrari minime posse. His rationibus inductus animum ad philosophiam primam, quam *Ontologiam* vocant, emendandam appulit. Quæsivit itaque notiones distinctas cum entis in genere, tum eorum, quæ ipsi conveniunt, prædicatorum, sive ens, qua tale, in se consideres, sive ad entia alia, quatenus entia sunt, referas: ex istis notionibus deduxit propositiones determinatas, quas solas ad ratiocinandum esse utiles in Logica abunde docuit: in demonstrandis denique propositionibus non admisit principia nisi in antecedentibus stabilita. Quoniam vero

vero terminorum ontologicorum notiones vulgo non nisi confusas habemus, distinctæ autem abstractorum notiones non infrequenter diversæ judicantur a confusis; ideo notionum suarum distinctarum identitatem cum confusis aut minimum incompletis vulgaribus demonstrat, ut appareat, terminorum receptorum significatum minime mutari: notiones enim suas distinctas ex rebus ipsis derivat, quibus etiam confusæ communes respondeant, nisi quod male eloquantur Autores, quæ bene cogitent. Hisque speciminibus simul patere confidit, quomodo sua lucem affundant iis, quæ obscurius dicta sunt ab aliis, ut plenissime intelligantur, qualia etiam videre liceat in Oratione *de Sinarum Philosophia practica* cum Notis a se edita, & in *Horis* suis *subsecivis*. Notiones ontologicas, quas in præsente Opere offert, directrices appellat ob adjumentum prorsus inexpectatum, quod meditanti ac docenti afferunt. Ostendit autem, quod philosophiam primam methodo scientifica pertractans philosophiam scholasticam non postliminio in scholas revocet, sed eam emendet, etiamsi terminos Scholasticorum retineat, & non accurate definitos accuratius definiat. Notiones ontologicas confusas vulgares constituere quandam Ontologiæ naturalis speciem, quam Scholastici magis completam effecerint; distinctam vero naturalis explicationem dici posse Ontologiam artificialem, quam cum ad scientiam, tum ad vitam utilem non esse Lexicon philosophicum, multo minus barbarum demonstrat, sed principem illam, quam *Leibnitius* vocat, scientiam. Dividit autem Cel. Autor Opus suum Ontologicum in duas partes, quarum prima de notione entis in genere iisque proprietatibus tractat, quæ inde consequuntur; altera vero de speciebus entium & eorum ad se invicem respectu agit.

Partem primam a principio contradictionis & principio rationis sufficientis orditur. Dum notionem contradictionis evolvit, in demonstrandis propositionibus novo quodam Analyseos genere utitur, quo per summationem individuorum colliguntur genera & species, & cujus usus multo latius patet, amplissimus nempe in veritatibus universalibus a posteriori eliciendis. Vi principii contradictionis alia possibilia sunt, alia

impossibilia, & sumi possunt, quæcunque sibi mutuo non repugnant, seu a contradictione libera sunt. Talia inesse omni enti & essentiam rei constituere Autor probat; principium vero rationis sufficientis ita explicat, ut, præter essentialia, quæ sibi mutuo quidem non repugnant, nec tamen per se invicem determinantur, non insit, nisi quod vel per essentialia, vel per ea, quæ enti cuidam alteri insunt, intelligi possit, cur insit. Quamobrem observat, claram & distinctam perceptionem *Cartesii*, si res ad vivum resecetur, esse eandem cum ratione sufficiente, & *Cartesium*, dum qualitates occultas ex philosophia arceri & clare ac distincte philosophari jussit, rationem sufficientem in philosophiam introduxisse. *Leibnitio* attendenti ad differentiam, quæ inter explicationes phænomenorum naturalium scholasticas & *Cartesianas* intercedit, affulsisse notionem rationis sufficientis in abstracto, ut intelligeret, rationem sufficientem esse aliquid amplius quam causam. Ceterum Autor non modo probat veritatem principii rationis sufficientis; verum etiam ostendit, principium rationis sufficientis experientiæ consentire, a singularibus tanquam universale abstrahi posse, ipsum instar axiomatis absque probatione, non refragante exemplo *Euclidis*, sumi, eam esse mentis nostræ naturam, ut in casu singulari non facile quis admiserit aliquid esse sine ratione sufficiente, & sublato principio rationis sufficientis mundum verum abire in fabulosum, in quo voluntas hominis stat pro ratione eorum, quæ fiunt, & qui vernacula nobis lingua das Schlaraffenland appellatur. Dum notionem impossibilis & possibilis explicat, diversos inprimis modos possibilitatem & impossibilitatem probandi exponit: id quod maximi momenti est in discernendis notionibus deceptricibus a veris. Clarissime etiam docet, si in demonstratione apogogica ex propositione alia falsa directe colligitur ejus contradictoria vera; non ex impossibili, sed ex possibili colligi, quod possibile est. A notione possibilis ad notionem determinati evolvendam digreditur, quæ distincta hactenus desideratur. Monet autem indeterminatum esse, de quo nihil adhuc affirmari possit, etsi de eo quid affirmari posse non repugnet, ut adeo notio determinabilita-

litatis prior sit notione determinati. Indeterminatum adeo non esse nihilum, sed ut aptum spectari ad aliquid determinandum, ut potentia sit id, quod actu est, quamprimum determinatur. Determinatum nimirum Nostro est, de quo aliquid affirmari debet. Determinatur autem per id, quo de quodam affirmato ipsum etiam affirmari necesse est, ut adeo determinata sint, quamprimum sunt determinantia. Etsi adeo determinantia sint ratio sufficiens determinati, ac ideo posita ratione sufficiente ponatur id, quod per eam potius est, quam non est, atque in mundo reali non sit determinans absque ratione sufficiente; rationem tamen sufficientem a determinante distingui debere ostendit, cum determinans afferat rei, quae per ipsum determinatur, necessitatem sive absolutam, sive hypotheticam, prout casus tulerit; ratio autem sufficiens saltem efficiat, ut, cur aliquid sit, intelligibili modo explicari possit. Quemadmodum vero Autor ubivis Philosophiam ad vitam & incrementa scientiarum utilem efficere studet, ita notionem quoque determinati pragmaticam reddidit, dum demonstravit, si demonstrari possit subjecto sive absolute posito, sive sub adjecta conditione tribuendum esse aliquod praedicatum, hoc in casu priori per definitionem subjecti, in posteriori per adjectam conditionem determinari, & in priori casu rationem sufficientem, cur praedicatum subjecto tribui debeat, esse definitionem, in posteriori conditionem adjectam, adeoque posita definitione poni praedicata subjecto absolute tribuenda, & posita conditione seu determinatione subjecti poni quoque praedicatum sub eadem eidem tribuendum. Notionem itaque entis formaturus sumere debet, quae sibi mutuo non repugnant, quorum tamen neutrum per alterum determinatur, atque ea sunt essentialia entis, per quae alia determinantur actu, alia vero tantummodo quoad potentiam. Illa Autor attributa; haec modos appellat. Unde attributa constanter insunt & rationem sufficientem in essentia habent: modi vero inesse & non inesse possunt & rationem sufficientem, cur insint, vel in modis antecedentibus, vel in ente alio ab eo, cui insunt, diverso, aut pluribus istiusmodi entibus, vel denique partim in modis antecedentibus, partim in ente alio ab eo, cui

insunt, diverso, vel pluribus etiam entibus aliis quærenda. Atque ex hisce deducit notionem fœcundam eorum, quæ potentia vel proxima, vel remota insunt, ac inprimis ostendit (id quod maximi momenti est) si ens in potentia remota rationem existentiæ sufficientem non nisi in serie entium sibi mutuo succedentium habet; ipsum quidem existere non posse, nisi integra ista entium series præextiterit. Antequam vero ex his notiones generum, specierum ac individuorum deducit, notionem identitatis ac similitudinis explicat: ubi denuo varia theoremata ad praxin profutura demonstrat, veluti quod in utroque casu, in quo eadem ratio sufficiens ponitur, idem ponatur quod propter eam est; quod entibus eandem definitionem habentibus eadem conveniant prædicata absoluta, & sub eadem conditione eadem quoque hypothetica; quod in omni propositione vera eadem semper sit ratio, cur prædicatum subjecto conveniat in casu singulari, etsi non eadem semper sit causa. Varios affert modos, quibus similia distinguere licet, & similitudinem omnem ex identitate determinationis proficisci ostendit, quemadmodum dissimilitudo a diversitate determinationis ortum trahit. Jam quatenus entibus eædem determinationes insunt, eatenus entia universalia formantur, quæ generum & specierum nomina sortiuntur. Ostendit autem determinationes omnes, quæ generum ac specierum notiones ingrediuntur, esse essentialia, ut adeo singularia essentialia eadem habeant, quatenus sub eodem specie continentur, & species atque genera inferiora eadem essentialia habeant, quatenus istæ sub eodem genere, hæc sub eadem genere superiori continentur, hincque species & genera differant per essentialia, quæ manentibus essentialibus ceteris iisdem diversimode determinari possunt. Monstrat præterea, singularia ejusdem speciei eandem genesin habere, cumque eam nihil indeterminati ingredi possit, determinationes numericas esse, sine quibus genesis actu dari nequit; specificas vero, per quas rei genesis sufficienter intelligi, non tamen actu dari potest. Evincit denique, possibilitatem generum & specierum agnosci per genesin rerum sub iis contentarum & ex genesi non minus, quam definitione nominali deduci posse omnia, quæ vel con-

veniunt, vel convenire possunt, cum speciei, tum generi dato, atque rationem reddit, cur ex genesi communi determinationes quantitatum, immo ex notionibus generum ac specierum rationes quantitatum exulent, & cur res ejusdem speciei eadem habeant attributa easdemque modorum possibilitates proximas, itemque remotas conditionate enunciatas; quæ vero sunt ejusdem generis, eadem habeant attributa communia easdemque modorum possibilitates, quæ attributorum communium instar sunt. Entis notione sufficienter stabilita ad notionem necessarii & contingentis evolvendam sese confert. Sumit illud necessarium dici, cujus oppositum impossibile. Atque hinc deducit, si qua subjecto necessario conveniunt, & directe, & indirecte demonstrari posse, quod eidem conveniant & contra; necessarium unico modo determinabile esse & contra; idem esse immutabile & contra. Contingens necessario oppositum definit per id, quod necessarium non est: unde contingens mutabile esse colligit & contra. Evincit deinde nexum necessarium inter determinans & determinatum, atque rationem sufficientem & id, quod per eam potius est, quam non est. Ne tamen quis causetur, sic absolutam introduci rerum omnium necessitatem; ideo distinctius docet, qualis insit rebus necessitas. Nimirum essentias rerum, attributa & modorum possibilitates, quas proximas vocat, & quarum ratio sufficiens in essentialibus vel attributis continetur, absolute necessaria esse; modos vero non nisi hypothetice necessarios esse, nec eorum possibilitates aliam, quam hypotheticam necessitatem agnoscere, si earum ratio sufficiens non in solis essentialibus, sed simul in modis quibusdam præcedaneis continetur. Inde porro modorum contingentem inexistentiam & mutabilitatem, attributorum vero & modorum possibilitatis proximæ immutabilitatem derivat. Necessitatem absolutam oriri ex essentia entis, quod tamen hoc non obstante contingenter existit, quando existentiæ ratio sufficiens in essentia minime continetur: hypotheticam vero esse, quæ aliunde provenit. Solam necessitatem absolutam contingentiæ repugnare; hypotheticam non item. Inprimis vero notatu dignum est, quod ratio sufficiens ne hypotheticam quidem rebus affe-

afferat necessitatem, sed saltem efficiat, ut, cur aliquid sit, intelligibili modo explicari possit; determinans vero afferat rei, quæ per ipsum determinatur, necessitatem sive absolutam, sive hypotheticam, prout casus tulerit: absolute tamen necessarium intelligatur, cujus ratio sufficiens in essentia rei continetur, hypothetice vero necessarium sit, cujus ratio sufficiens in alio, quod ab essentia diversum, reperitur. Maximi autem momenti sunt theoremata, in serie rerum contingentium, quarum una per alteram determinatur, non contineri rationem sufficientem, cur quælibet earum potius sit, quam non sit, eamque non nisi contingenter existere & rationem existentiæ sufficientem in ente alio extra seriem habere, eoque necessario. Multæ quoque utilitatis est theorema, quod absolute necessarium in se immutabile sit; hypothetice autem necessarium in se quidem mutabile sit, tamdiu tamen mutari nequeat, quamdiu salva est conditio, sub qua necessarium. Dum de quantitate agit, non modo axiomata omnia, quæ *Euclides* tanquam notiones communes sumit, ex aliis notionibus simplicioribus a priori demonstrat, verum insuper alia, quæ in Mathesi vulgo supponuntur. Huc referas, quod omnis numerus, cum rationalis & irrationalis integer, tum fractus, eam habeat ad unitatem relationem, quam recta quædam ad rectam datam habere potest, quod numeri rationales integri exponant rationes quantitatum multiplices, quod numeri fracti seu fractiones exponant omnes rationes; quod omnis numerus sit unitati homogeneus, quod numeri fracti & irrationales sint veri numeri; quod quantitatibus distincte intelligendis inserviant numeri, quodque alia assumta in hoc casu unitate alius prodeat numerus; quod quantitates sint numeri indeterminati, quodque per lineas rectas exponi, earumque mutuæ relationes, quas curvæ lineæ determinant, exhiberi possint, & quæ sunt alia hujusmodi. Quoniam vero Autor notiones agnitas simul explicat, ubi notionem quantitatis evolvit; ideo hic etiam de mensura & mensurato agit, inter alia ostendens res omnes mensurari posse, in quibus partes distinguere licet totum quoddam constituentes, & mathematicam earum cognitionem comparari, quatenus eas metimur. Mittimus theoremata

mata artis metiendi generalia, communi usu approbata, etsi distincte non animadversa. A quantitate ad qualitatem pedem movet Noster, per quam intelligit determinationem omnem intrinsecam, quæ sine alio assumto intelligi potest, consequenter a quantitate diversa est. Distinguit autem qualitates in primitivas & derivativas, quarum illæ se priores in ente non agnoscunt; hæ autem rationem sufficientem in se prioribus habent, cur vel actu insint, vel inesse possint. Per primitivas & derivativas necessarias res constanter a se invicem distinguuntur; dato autem tempore per contingentes. In rebus similibus qualitates omnes eædem sunt; in congruentibus præterea ipsæ etiam quantitates. Ultimo loco in Parte prima notiones ordinis, veritatis & perfectionis explicat Autor, longe utilissimas, hactenus tamen fere prorsus neglectas. Per ordinem intelligit similitudinem in modo, quo res juxta se invicem collocantur, vel se invicem consequuntur. Hinc loca rerum coexistentium vel sibi mutuo succedentium eodem modo determinari, si in iis ordo detur, & in modo, quo loca ista determinantur, contineri rationem, cur unicuique hic potius, quam alius assignatus fuerit locus. Quoniam regula Nostro est propositio enuncians determinationem rationi conformem, in omni ordine regulam agnoscit, per quam loca rerum determinantur. Nascuntur autem regulæ plures simul observandæ, si ratio sufficiens in plures resolvi potest, quæ quidem sibi mutuo non contrariantur, per se invicem tamen minime determinantur. Quodsi regulæ ordinis salva rerum ordinatarum essentia aliæ esse nequeunt, ordo absolute necessarius; in casu autem opposito contingens est. Determinationem regulæ contrariam defectum appellat Noster, ut adeo ordo defectu quodam laboret, si inter res ordinandas locus alicui assignatur, quem vi regulæ ordinis obtinere nequit: non tamen ideo defectum in altero ordine esse ostendit, quod defectum in uno arguit, si res eædem diversis modis ordinari possunt. Docet deinde, quomodo ordo cognoscatur; quando sit numeris suis absolutus; quando loca rerum ordinatarum permutari possint; quando in rebus ordinandis rationibus extrinsecis sit locus. Veritatem transcendentalem definit per ordinem

dinem in varietate eorum, quæ ſimul ſunt ac ſe invicem conſequuntur. Hanc enim veritatis a ſomnio differentiam tradit, quod in ſomnio omnia fiant absque ratione ſufficiente & contradictoriis ſit locus; in veritate rerum ſingula ſint & fiant cum ratione ſufficiente nec contradictoriis ſit locus. Ex hac veritatis definitione demonſtrat, ens omne eſſe verum, & fontem omnis in rebus veritatis eſſe principium contradictionis & principium rationis ſufficientis, nec ullam dari propoſitionum veritatem logicam, niſi detur in rebus veritas tranſcendentalis. Ab eadem pendere diſciplinarum poſſibilitatem. Diximus jam alias Autori perfectionem eſſe conſenſum in varietate, ſeu plurium a ſe invicem differentiam in uno. Appellat autem conſenſum tendentiam ad idem aliquod obtinendum ſeu actuandum. In omni perfectione agnoſcit rationem quandam generalem, per quam intelligitur, cur ea, quæ perfecto inſunt, ita ſe potius habeant, quam aliter. Unde infert, omni perfectioni ſuas convenire regulas, per quas intelligi poteſt, cur tales potius ſint determinationes intrinſecæ, quam aliæ. Quodſi ratio determinans unica tantummodo fuerit, perfectionem ſimplicem vocat; ſi plures fuerint, compoſitam. In perfectione compoſita exceptionem admittit, quæ ipſi eſt determinatio regulæ contraria ob regularum ſimul obſervandarum colliſionem facta. Negat adeo, quod pariat imperfectionem, & verum gignat defectum, ſimulque docet, quænam regula in exceptionibus alteri ſit præferenda, ut perfectio in toto conſervetur, & quomodo gradus perfectionis ſint æſtimandi. Rebus autem perfectionem tribui demonſtrat, quatenus determinationes intrinſecæ per certas regulas explicari poſſunt.

Satis prolixe diximus de Parte prima, etſi palmaria ſaltem indicaverimus. Videamus etiam, quænam in Parte altera tradat Noſter. Primo loco exponit theoriam entis compoſiti, ubi una nodos difficiles de extenſione, continuo, ſpatio & tempore extricat. Diſtinguit hic ſollicite imaginarium a reali, quorum iſtud Matheſi convenit; hoc Philoſophiæ. Explicat denique qualitates & magnitudinem entis compoſiti. Quoniam vero mutationes in compoſito contingere nequeant ſine motu,

notio-

notiones quoque generales motus evolvit, etsi hic de caussa & communicatione motus non sit sollicitus, ne ad Ontologiam trahat, quæ ad Cosmologiam pertinent. Theoriæ entis compositi jungit theoriam simplicis, quod a composito quantitatibus prorsus differre probat. Negat sine entibus simplicibus composita existere posse, cumque nec ex composito, nec ex simplici oriri queant, quemadmodum dudum agnovere, qui propagationem animæ per traducem rejecerunt, Noster autem clarissime demonstravit, ens simplex, si existit, aut necessario existere, aut rationem existentiæ suæ sufficientem in ente necessario habere ostendit, ita ut ex nihilo ab eodem producatur. Exponit deinde differentiam, quæ inter interitum entis simplicis & compositi intercedit & hinc ad theoriam omnium difficillimam progreditur de modificationibus rerum, præsertim simplicium, ubi inprimis potentiarum, virium, actionis & passionis notiones evolvuntur una cum notione substantiæ. Substantiam definit per subjectum perdurabile & modificabile, atque inde deducit, in ente composito, cujus essentia meris accidentibus constet, nihil dari substantiale præter entia simplicia, quæ sola veræ sint substantiæ, unde composita aggregantur. Substantiis simplicibus inesse aliquam vim &, si qua in composita detur, eam ex viribus simplicium resultare debere. Sequitur differentia, quæ inter ens finitum & infinitum intercedit, ubi Autor infinitum imaginarium Mathematicorum a reali, quod Metaphysicus considerat, sollicite distinguit ac evidentissime monstrat, quomodo infinite parvum & infinite magnum Mathematicorum sit tantummodo modus loquendi. Notatu digna sunt duo theoremata, quorum primum hujus tenoris: infinite parvum Mathematicorum indefinite exprimere partem inassignabilem in dato quodam quantitatum genere, quæ in casu quolibet singulari varietur, & numerum infinitum indefinite exprimere eum, per quem dividenda illa quantitas, ut prodeat pars inassignabilis; alterum vero tale est: infinite magnum indefinite exprimere quantitatem, cujus respectu alia quædam data pro nihilo haberi potest, ut in dato casu non oriatur error assignabilis. Quod dari nequit, pro nihilo haberi non minus in

praxi communi, quam Mathematicorum. Infinitum reale dum explicat, inprimis evincit, quomodo ea per eminentiam eidem tribuantur, quæ enti finito conveniunt, v. gr. quomodo per eminentiam ſit ſubſtantia, eidemque actio & modificatio tribuatur. Quemadmodum itaque in ente ſimplici finito vim limitatam concipit, qua ſtatus continuo mutatur ea quidem lege, ut præſens contineat rationem ſequentis; ita in ente infinito ſimplici vim illimitatam concipit, qua ſimul actuantur, quæcunque per eſſentiam ejus actu eidem ineſſe poſſunt. Supereſt cauſarum & ſignorum theoria. Priori intelligendæ præmittit Autor doctrinam de dependentia & relatione. Dependet A a b B, quatenus ejus, quod ipſi A inexiſtit, ratio in hoc altero B continetur. Ens autem A referri dicitur ad alterum B, ſi A & B ſimul conſideramus atque ea, quæ ipſis in ſe ſpectatis conveniunt, perpendentes porro inquirimus, an inter ea, quæ ipſi B conveniunt abſolute, quidpiam occurrat, per quod aliquid de A intelligi poſſit, quod abſque eo intelligi non poterat, adeoque non niſi præſuppoſito B. Relationem vero appellat Noſter id, quod rei abſolute nonconvenit, ſed tum demum intelligitur, quando ad alterum refertur; ut adeo enti nullam ſuperaddat realitatem, quam in ſe ſpectatum non habet, ſed non niſi in dependentia quadam entis unius ab altero, ſive vera, ſive ficta conſiſtat. Cauſa cum definiatur per principium, cauſarum theoriam a principio orditur, quod definit per id, quo in ſe continet rationem alterius. Unde deducit vim eſſe principium mutationum, conſequenter ſubſtantiam finitam continere principium mutationum formaliter, infinitum vero per eminentiam. Definit autem cauſam in genere per principium, a quo actualitas entis alterius ab ipſo diverſi dependet, tum quatenus exiſtit, tum quatenus tale exiſtit, ac in ſpecie efficientem appellat, ſi cauſalitas, hoc eſt, ratio iſta conſiſtat in actione. Revocat etiam cauſas reliquas ad notiones diſtinctas & inter alia demonſtrat, in cauſa efficiente dari vim & potentiam agendi, adæquatam actualitatis cognitionem conſiſtere in diſtincta notione ſubordinationis cauſarum, in explicandis effectibus ſubſiſtendum eſſe in cauſa proxima, ſi tantummodo intelligere velimus, quomodo ipſi

actum

actum fuerint consecuti; ad remotas vero progrediendum esse, ubi intelligere volueris, cur causa proxima fuerit apta ad effectum producendum, seu unde eas habuerit determinationes, quæ ad actionem effectui sufficientem edendam requiruntur; in serie causarum subordinatarum proxime præcedentem disponere sequentem ad agendum; quod contingenter existit, a causa quadam efficiente productum esse; effectum partim ab hac, partim ab ista causa socia produci, a nulla earum vero totum; eadem posita causa efficiente eundem poni effectum plenum & vi gradus determinati determinatum respondere effectum; in serie rerum contingentium, quarum præcedens est continuo causa sequentis, res ita invicem subordinari posse, ut sequentes referantur ad præcedentes sicuti finis ad medium & quæ sunt alia hujusmodi. Nota est divisio signi in naturale & artificiale. De utroque principia generalia demonstrat Autor, quæ utiliter in casibus specialibus, ubi nobis cum signis res est, adhibentur. Ita de signo artificiali monet, ex ejus notione nihil colligi posse, quod signato conveniat, cum signatum aliunde notum tantummodo in memoriam revocet, ubi ante edocti fuerimus, cujusnam sit signum. De naturalibus vero ostendit, causam efficientem esse signum effectus & vicissim effectum signum causæ efficientis, & in genere causatum quodlibet esse signum causarum sufficientium, causam vero unam vel alteram signum probabile causati, nec minus unum esse signum alterius, si qua a communi causa pendent. Majoris momenti est distinctio signi in simplex & derivativum, quæ vulgo negligitur: quorum illud sumitur, hoc vero ab aliis signis se prioribus ortum trahit. De signis hisce derivativis demonstrat, quando definitionibus, quando propositionibus æquipolleant. Et hæc principia sunt fundamentum artis characteristicæ, quatenus arti inveniendi ac demonstrandi inservit atque methodo discendi & docendi suppetias fert, quam Autor se explicaturum promittit in Arte inveniendi. Hinc etiam pendet notio linguæ philosophicæ & essentialiter significantis, nec non Logisticæ speciosæ universalis, hactenus desideratæ. In genere autem notandum est, dum Autor totum hoc Opus in definitiones exactas & propositiones de-

praxi communi, quam Mathematicorum. Infinitum reale dum explicat, inprimis evincit, quomodo ea per eminentiam eidem tribuantur, quæ enti finito conveniunt, v. gr. quomodo per eminentiam sit substantia, eidemque actio & modificatio tribuatur. Quemadmodum itaque in ente simplici finito vim limitatam concipit, qua status continuo mutatur ea quidem lege, ut præsens contineat rationem sequentis; ita in ente infinito simplici vim illimitatam concipit, qua simul actuantur, quæcunque per essentiam ejus actu eidem inesse possunt. Superest causarum & signorum theoria. Priori intelligendæ præmittit Autor doctrinam de dependentia & relatione. Dependet A a b B, quatenus ejus, quod ipsi A inexistit, ratio in hoc altero B continetur. Ens autem A referri dicitur ad alterum B, si A & B simul consideramus atque ea, quæ ipsis in se spectatis conveniunt, perpendentes porro inquirimus, an inter ea, quæ ipsi B conveniunt absolute, quidpiam occurrat, per quod aliquid de A intelligi possit, quod absque eo intelligi non poterat, adeoque non nisi præsupposito B. Relationem vero appellat Noster id, quod rei absolute nonconvenit, sed tum demum intelligitur, quando ad alterum refertur; ut adeo enti nullam superaddat realitatem, quam in se spectatum non habet, sed non nisi in dependentia quadam entis unius ab altero, sive vera, sive ficta consistat. Causa cum definiatur per principium, causarum theoriam a principio orditur, quod definit per id, quo in se continet rationem alterius. Unde deducit vim esse principium mutationum, consequenter substantiam finitam continere principium mutationum formaliter, infinitum vero per eminentiam. Definit autem causam in genere per principium, a quo actualitas entis alterius ab ipso diversi dependet, tum quatenus existit, tum quatenus tale existit, ac in specie efficientem appellat, si causalitas, hoc est, ratio ista consistat in actione. Revocat etiam causas reliquas ad notiones distinctas & inter alia demonstrat, in causa efficiente dari vim & potentiam agendi, adæquatam actualitatis cognitionem consistere in distincta notione subordinationis causarum, in explicandis effectibus subsistendum esse in causa proxima, si tantummodo intelligere velimus, quomodo ipsi

actum

actum fuerint consecuti; ad remotas vero progrediendum esse, ubi intelligere volueris, cur causa proxima fuerit apta ad effectum producendum, seu unde eas habuerit determinationes, quæ ad actionem effectui sufficientem edendam requiruntur; in serie causarum subordinatarum proxime præcedentem disponere sequentem ad agendum; quod contingenter existit, a causa quadam efficiente productum esse; effectum partim ab hac, partim ab ista causa socia produci, a nulla earum vero totum; eadem posita causa efficiente eundem poni effectum plenum & vi gradus determinati determinatum respondere effectum; in serie rerum contingentium, quarum præcedens est continuo causa sequentis, res ita invicem subordinari posse, ut sequentes referantur ad præcedentes sicuti finis ad medium & quæ sunt alia hujusmodi. Nota est divisio signi in naturale & artificiale. De utroque principia generalia demonstrat Autor, quæ utiliter in casibus specialibus, ubi nobis cum signis res est, adhibentur. Ita de signo artificiali monet, ex ejus notione nihil colligi posse, quod signato conveniat, cum signatum aliunde notum tantummodo in memoriam revocet, ubi ante edocti fuerimus, cujusnam sit signum. De naturalibus vero ostendit, causam efficientem esse signum effectus & vicissim effectum signum causæ efficientis, & in genere causatum quodlibet esse signum causarum sufficientium, causam vero unam vel alteram signum probabile causati, nec minus unum esse signum alterius, si qua a communi causa pendent. Majoris momenti est distinctio signi in simplex & derivativum, quæ vulgo negligitur: quorum illud sumitur, hoc vero ab aliis signis se prioribus ortum trahit. De signis hisce derivativis demonstrat, quando definitionibus, quando propositionibus æquipolleant. Et hæc principia sunt fundamentum artis characteristicæ, quatenus arti inveniendi ac demonstrandi inservit atque methodo discendi & docendi suppetias fert, quam Autor se explicaturum promittit in Arte inveniendi. Hinc etiam pendet notio linguæ philosophicæ & essentialiter significantis, nec non Logisticæ speciosæ universalis, hactenus desideratæ. In genere autem notandum est, dum Autor totum hoc Opus in definitiones exactas & propositiones de-

 mon-

monstrativas digessit, non modo id egisse, ut notiones ontologicas efficeret determinatas atque fixas, verum etiam omnem iisdem affudisse lucem, qua claritas earum indiget. Cumque Philosophia *Wolfiana* ad se rapiat animos eorum, qui certam ac utilem rerum cognitionem appetunt; ideo Metaphysica germanica, de qua ex instituto diximus in Actis A. 1720 p. 371 & sqq. anno superiori quarta vice prodiit. Huic editioni Autor discursum præliminarem præmisit, in quo clarissime ostendit, quænam in ea arma suppeditaverit ad religionem naturalem defendendam & quænam sint ea, quæ in aliis libris frustra quæsiveris. Docet etiam, quomodo institui debeat Operis illius lectio, ut arma ibidem proposita agnoscantur. Philosophiam primam, quam tanquam Operis sui metaphysici partem primam orbi erudito offert Autor, proxime excipiet Cosmologia transcendentalis eadem methodo pertractata.

OBSERVATIONS MATHÉMATIQUES &c.

i. e.

OBSERVATIONES MATHEMATICÆ, Astronomicæ, Geographicæ, Chronologicæ & Physicæ, partim ex antiquis Chinensium monumentis excerptæ, partim etiam in Indiis & China recens factæ, a Patribus Societatis Jesu; quas in ordinem digessit & publicavit P. E. SOUCIET, ex eadem Societate.

Parisiis, 1729, 4.

Alph. 1 pl. 18 & 8 Tabb. æneæ.

CUm nequaquam ignoraret celeberrimus Autor, quantæ essent utilitatis in rebus physicis & mathematicis observationes, sæpe ac diligenter, in remotissimis quoque terrarum partibus institutæ, atque inter se collatæ, tum vero ægerrime tulit, post duo illa observationum, in Indiis, Siam, & China, a Patribus Soc. Jesu factarum Volumina, quæ P. *Gouye* 1688 & 1692 Parisiis edidit, nihil amplius de hoc genere hucusque comparuisse. Scilicet tantum temporis & laboris impendendum postea illis Pa-

Patribus Missionariis fuit, partim in instruendo ipso Chinensium Imperatore, partim etiam in variis libris Mathematicis ac Philosophicis, sermone Chinensi & Tartarico conscribendis, ut observationibus incumbere atque eas rite continuare nullo modo possent. Sed & aliæ occupationes, & eæ ipsæ, quæ observationes mathematicas necessario requirunt, impedimento fuerunt, quo minus aliqua harum collectio in Europam & Galliam transmitti ex China hactenus potuerit. Jusserat quippe Chinensium Imperator, ut mappam geographicam totius Imperii conficerent Patres Societatis Jesu; ex quorum proinde numero decem vel duodecim per complures annos vastissimas illas regiones peragrarunt, multasque fecerunt observationes, cum ipsa mappa aliquando in lucem edendas; quanquam etiam nonnullæ earum in præsenti collectione jam comparent. Interim de summa observationum utilitate persuasissimus Autor, cum eos omnes, qui aliquid conferre in hanc rem posse videbantur, tum ipsos præcipue Missionarios, qui denuo in Chinam contendebant, identidem sollicitare non destitit, ut ad novas colligendas atque publicandas observationes omne studium serio applicarent. Tandemque sui se voti compotem vidit, postquam A. 1721 in Chinam profecti essent P. *Gaubil* & P. *Jacob*, de quorum dexteritate, eruditione, atque animi ardore non exiguam spem cum *Soucietus* noster tum & alii conceperant: nec frustra: nam & in itinere passim, etiamsi pleraque necessaria instrumenta deficerent, & postea in ipsa urbe *Peking*, assidue observationes cœlestes, aliasque, persequi instituerunt, adjuti etiam ea in re ab antiquis Missionariis, inprimis a P. *Keglero*, Germano, & Collegii Mathematicorum Præside, & P. *Slavisek*, itidem Germano & excellentissimo Mathematico, qui suas cum illis communicare observationes non omiserunt. Itaque singulis deinceps annis, a P. *Gaubilio*, quicquid in promtu erat, collectum & Celeb. P. *Soucieto* est transmissum, cumque rogasset Noster, ut antiquissimæ quoque Chinensium observationes ex ipsorum monumentis excerperentur, porroque & illæ adderentur, quæ reperiri possen a Patribus Soc. J. superioribus annis factæ, neque in collectioni bus antea laudati P. *Gouye* comprehensæ, etiam huic petition ab-

abunde a P. *Gaubilio* satisfactum est. Ex quo facile nunc intelligere licet, quid de præsenti libro judicandum sit, quippe in quo tam variæ & utilissimæ cum recentiores tum antiquiores observationes, ordine commodo digestæ, & annotationibus nonnullis Cl. Autoris celeberrimorumque Mathematicorum, *Cassini* & *Maraldi*, illustratæ exhibentur. Et primo quidem loco comparent generales quædam observationes de Astronomia Chinensium & Indorum; quorum illi, ut ex antiquissimis eorum libris constat, jam ante 2000 annos, & amplius, multa Astronomiæ capita, quantitatem anni solaris, motum diurnum Lunæ & Solis, magnitudines mensium, revolutiones planetarum, ascensiones rectas stellarum, maximam solis declinationem, & alia, satis bene cognovisse videntur, quamvis ipsorum regulæ de retrogradationibus, directionibus, & stationibus planetarum, parum sint distinctæ atque accuratæ; hi vero, etsi Astronomiam, præsertim antiquis temporibus, non plane neglexerunt, atque etiamnum Eclipses mediocriter computant, de systemate tamen mundi conceptus habent oppido absurdos; terram ut discum planum imaginantur cum octo punctis cardinalibus, quibus totidem deos & gigantes & elephantos præficiunt; mundum ipsum ab ingenti serpente sustentari fingunt; septem majores insulas, septem maria, octo montes, septem magnos fluvios commemorant; lunam sole altiorem censent; de obliquitate Eclipticæ dubium est an aliquid comprehenderint; cetera pleraque omnia ignorant. Sequuntur observationes solares, de altitudinibus hujus sideris meridianis, itemque de Eclipsibus ejus & maculis. Inter eclipses reperiuntur decem & sex antiquæ, quas ex Chinensium monumentis desumsit & calculo comprobavit P. *Gaubilius*. Earum prima contigit *Pekini*, die Primo lunationis nonæ, anno primo Imperat. *Tcheng Kam*, non longe a stella *Fang* dicta, quæ est secunda ad austrum lucidæ in fronte scorpii, juxta Sinas, hoc est, A. 2155 ante Chr. nat. Octob. d. 10 compl. hor. 18 min. 46, loco vero solis & lunæ existente (secundum Tabb. *de la Hire*) in 0°, 24′, 3″, ♎. Altera observata est ibidem, lunationis decimæ die prima, cujus diei nota est *Sin Mao*, anno sexto Imperat. *Yeouvam*, hoc est, A. 776 ante Chr. Mense Sept. d. 5

d. 5 h. 23, min. 4, ſole & luna in 4°, 53′, 20″ ♍ exiſtente. Ceteras hic omittimus. Ut vero intelligerentur temporis notæ in eclipſibus illis conſignatæ & ex Autoribus Sinis deſumtæ, cyclum Sinarum duplicem explicandum cenſuit laudatus *Gaubilius*, quorum alter annorum eſt, alter dierum, uterque ſexagenarius, & iisdem literis ac nominibus (e. g. *Sin Mao*) inſignis. Obſervationibus ſolaribus ſuccedunt lunares; inter quas nullæ antiquæ: nam omnes ad eclipſes ſpectant, & inſigniores quosdam lunæ cum fixis congreſſus, quos obſervarunt PP. Soc. J. ab A. 1708 ad 1727. Jam inter reliquorum planetarum obſervationes eæ inprimis notabiles ſunt, quæ ad Jovem pertinent; nam & acceſſus hujus planetæ ad ſtellas fixas, numero XXI, complectuntur, ex antiquis Chinenſium libris Aſtronomicis deſumtos, & complures ſatellitum immerſiones & emerſiones, a PP. *Keglero*, *Gaubilio* & *Jacobo*, Pekini diligentiſſime obſervatas, atque cum iis comparatas, quæ eodem tempore Pariſiis a *Caſſino* & *Maraldo* obſervatæ ſunt: ex quo differentia Meridianorum utriusque urbis deducitur 7 hor. 35′, 26″. Die XI Octob. 1723, paullo ante quartam horam matutinam, Chinenſes, quibus vigiliæ ad turrim tribunalis mathematicorum erant demandatæ, primi conſpexerunt cometam, inter navem & canem majorem, paullo ſupra ſtellam, quam in puppi navis litera *G* denotat *Bajerus*. Caudam porrigebat ſatis longam, ad plagam inter Septentrionem & occaſum mediam, perveniebatque ad meridianum hora 5, min. 15, cum altitudine 11 graduum. Die ſequente apparebat longe infra columbam, meridianumque attingebat poſt horam quartam & dimidiam matutinam. Inde curſu maxime præcipiti partes cœli pervagabatur auſtrales, dieque decimo ſeptimo ejusdem menſis, circa horam 7 veſpertinam, infra capricornum conſpiciebatur. Longitudinem ejus tunc inveniebant Miſſionarii Galli in duodecimo gradu ♒, latitudinem vero graduum 12, cum 50 ſcrupulis primis. Die XIX, eadem hora, ſub Ecliptica obſervabatur, in gradu 8, 49′ ♒. Sequentium dierum obſervationes, in domo Jeſuitarum Gallorum, hora VIII veſp. factæ, exhibentur peculiari tabula, juxta methodum *P. Pardies*. In epiſtola a *Caſſino* & *Maraldo* ad P. *Gaubili-*

um data, ægre ferunt celeberrimi isti viri, quod Chinenses, qui primi viderunt cometam, die XI & XII Octob. in ipso crepusculo matutino, non accuratius situm ejus determinaverint. „Nam, exhibent quidem, inquiunt, transitum cometæ per meridianum, sed verosimillimum est, aut horologium eorum „non satis fuisse ordinatum, aut parum exactum meridianum; „quippe cum rite computatæ illæ observationes nec cum sequentibus observationibus Pekini factis, neque etiam cum Parisiensibus concordent.„ Hactenus Astronomica. Ad Geographica nunc progredimur, quæ tantum summatim in præsentia attingenda, hæc sunt: Descriptio insulæ *Poulo-Condor*, itemque urbis *Canton;* diarium itineris P. *Gaubilii* & *Jacobi* ab urbe Canton ad metropolim Sinensem, Pekinum; epistola *Gaubilii* de longitudine urbis *Astracan*; Ichnographia & descriptio *Pekini*; situs metropolis Coreæ, *Kong-Ki-Tao;* Commentatio de origine fluviorum *Irtis* & *Oby*, itemque de regionibus Septentrionalibus & orientalibus circa mare Caspium; Relatio Chinensis de itinere ab urbe *Pekin* ad oppidum *Tobol*, atque inde in regionem Tourgoutorum, qui ad Septentrionem maris Caspii incolunt, cum annotationibus, ad pronunciationem & scriptionem nominum propriorum, more Chinensi, potissimum spectantibus; Descriptio regionis *Tse-wang-raptan;* Excerpta ex literis R. P. N. de mappa geographica regionis circa promontorium *Comorinum*, itemque Insulæ *Ceilani*. In observationibus Chronologicis primo loco agitur de initio anni apud Chinenses, quod nunc quidem fixum est in die primo lunæ, gradui 15 ♒ proximæ: habetur autem constantissime pro primo lunæ die is, in quo vera contingit solis & lunæ conjunctio, numerarique dies, ut apud plerosque Europæos, a media nocte solent. Deinde compendium Chronologicum annectitur historiæ priorum V Imperatorum Mogolorum, quod ex historia Chinensi excerpsit sæpe laudatus P. *Gaubilius*. Observationes physicæ paucæ sunt, inter quas illæ primariæ videntur, quæ ad acus magneticæ passim ac sæpius annotatas declinationes pertinent, cum Hallejanis quippe satis conformes, & easdem curvas concentricas exhibentes, quarum genus & naturam in posterum fortassis

tassis accuratius definire licebit. Hactenus commemoratis observationibus additamenti loco subnectit Celeb. Autor alias nonnullas ecclipsium recentiores observationes, partim Romæ, a *R. P. Borgondio*, S. J. partim etiam alibi locorum a Patribus Societatis suæ habitas, pollicetur que, se in posterum, ubi novæ Collectiones edendæ fuerint, non modo in China & exteris regionibus, sed & in ipsa Europa, & ubivis terrarum, a Patribus Soc. Jesu institutas observationes, comprehensurum esse. Post illud additamentum observationes quædam supra omissæ reperiuntur, de oris peninsulæ intra Gangem, de Zodiaco Indorum, deque nominibus, quæ ista gens tribuere astris ac planetis solet. Denique postremum libri locum occupat tabula satis ampla, in qua longitudines & latitudines cum præcipuarum urbium Chinensium & Indicarum, tum & omnium aliorum locorum in universo terrarum orbe, ex optimis autoribus collectæ exhibentur.

JUSTI FONTANINI, ARCHIEPISCOPI Ancyrani, de Corpore S. Augustini Ticini reperto Disquisitio.

Romæ, ex typographia Rochi Bernabo, 1728, 4.
Plag. 18.

COnstat ex novellis rerum publice gestarum relationibus, non ita pridem Augustinianos monachos ubique terrarum ac gentium supplicationes instituisse ob repertum Ticini S. Augustini corpus & sepulchrum. Nec vero caruit ea res controversia. *Permultos* enim in ipsa Italia, imo in urbe Ticino, negare, hoc esse sepulchrum sancti viri, quem diximus, Illustrissimus Autor hujus libri in ipsa Præfatione (§. *I*) commemorat, simul (§. *II p. 13*, & §. *IV p. 18*) docens, *typis edita exstare scripta partis adversæ.* In ipso Opere (§. *XVII p. 33*, & §. *XIX p. 37, 38*, ac §. *XLIII p. 103*) refert, Canonicos regulares Ticinenses negare ac pernegare, inventum nuper esse corpus Augustini: quos quidem jubet animis secum reputare illud Christi, *nemini præbendum esse offendiculum, eique, qui hoc faciat, expedire, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in pro-*

fundum maris. Etiam *§. XLIII p. 106*, recitat historiolam de corpore quodam jam A. 1627, pro corpore S. Augustini exhibito a Præposito quodam. Noster vero Autor, vir inclytæ doctrinæ, ab ipso Papa hujus temporis, Benedicto XIII, jussus hunc librum conscribere, omnes intendit nervos, ut nemini non persuadeat, omnino verum Augustini corpus nuper fuisse e terra erutum. Producit ejusdem Papæ literas ad Ticinensem Episcopum, quibus hic jubetur facta quamprimum per idoneos viros de hoc sepulchro inquisitione finem huic imponere controversiæ.

Nostrum est, accurate recensere viri eruditissimi argumenta. Narrat igitur §. 2, sæculo quinto corpus Augustini delatum fuisse in Sardiniam ab Episcopis ex Africa ejectis a Trasamundo, rege Vandalorum. Inter illos vero testes, quos adducit de hoc exilio, nemo unus est, qui adjiciat translationem exuviarum Augustini in Sardiniam: ac fatetur Noster §. 6 cum *Ruinarto*, niti hanc rem traditione, eaque vetusta. Putat autem, veritatem hujus traditionis ex eo probari, quod sæculo octavo ineunte Luitprandus, rex Langobardorum, corpus Augustini e Sardinia advexisse legatur Ticinum. Testes hujus rei producit satis graves, *Bedam* & *Paulum Diaconum*: etsi, quod iisdem plane verbis utuntur, aliquid dubitationis afferre potest lectoribus. Adducit etiam Petri, qui sæculo octavo Mediolani Archiepiscopus fuit, literas hac de translatione scriptas: quas tamen non diffitetur pro suppositititiis rejici & a *Baronio* & a *Pagio*. Hinc alios scriptores commemorantes hanc Luitprandi in Augustini ossa pietatem profert, qui post illa tempora tam gratam illi ætati narrationem suis libris inseruerunt: quos quidem facile constat non propria fulgere auctoritate, sed antecedentes historicos exscripsisse. Relata tum §. 17 sed simul rejecta multorum fabula de sex translationibus corporis Augustini, ob metum hostium factis; §. 18 docet, basilicam S. Petri in cœlo aureo a Luitprando rege constructam esse ob unum Augustini corpus in ejus Confessione deponendum. Non quidem habet testes hujus rei συγχρόνους, sed tamen ex sæculo XIII & XIV par testium ei in promtu est. Sed & illis §. 24 respondet, qui statuunt, eo loco, ubi nuper repertum dicitur corpus Augustini, sepultum esse regem aliquem Gothum vel

Lan-

Langobardum. Regum namque corpora non consuevisse sepeliri in tali loco, sed solos martyres aut confessores, manifestum facit. §. 31 adducit Papas, qui statuerunt, eo loco, ubi nuper repertum est sepulchrum, condita esse ossa Augustini. Imo §. 42 *sqq.* docet, Papas omnes inde a Paschali II., qui ineunte sæculo duodecimo vixit, usque ad Urbanum VIII persuasum habuisse, Augustini corpus jacere in eo loco, ubi nuper, hoc est, A. 1695 repertum est. Denique §. 44 viginti quinque Theologos nominatim laudat, qui nuper *pro Augustini exuviis, ab se in longum examen vocatis, suffragium & sententiam suam literis tradiderunt.*

Habes, Lector, demonstrationem Reverendissimi *Fontanini* historicam, qua effici posse putavit, ut Italia credat, se omnino Ticini & habere & venerari veras sanctissimi Patris exuvias. Præterea vero hic reperies §. *19, 20, 21, 22,* perfectam relationem de reperto A. 1695 corpore Augustini pretiosissime sepulti; accuratam item tractationem de Trasamundi regis persecutione in Africanos Episcopos. Docet etiam Noster §. *16* & *17*, quis locus templorum dictus olim sit *confessio*; & §. *25* exemplis probat, thecis argenteis includi consuevisse ossa eorum sanctorum, qui patroni essent cujuspiam Ecclesiæ. De ritu vetere, sepeliendi sanctos sub ara maxima, disputat §. *28, 29*; & §. *33 sqq.* de phialis oleo plenis, in sepulchris sanctorum reperiri solitis; §. *38 sq.* de velis, ibidem locorum conspicuis. Qua de causa urbs Ticinum dicta sit *Papia*, (id quod Cluverius in *Italia* sua *antiqua* ignoravit,) docet §. *45*. Fuit scilicet hæc urbs colonia ex tribu *Papia*, cujus mentio fit in aliquot pervetustis Inscriptionibus. *Ingruente* enim *barbarie* (sic ait Noster,) *Papia, nomen tribus, pro altero nomine civitatis acceptum est, mediaque syllaba producta, ita hoc nomen obtinuit, ut primævum tantum non obrueril.* Denique §. *44 p. 108* & *109*, duos alios scriptores laudat, *Jo. Casparem Berettam*, monachum Benedictinum, S. Theol. Professorem, & *Michaelem Collium*, item S. Theol. Prof. & Clericum regularem Congregationis S. Pauli: quorum ille singularem librum, hic plures scripsit pro veritate corporis S. Augustini. Quibus quidem nos facile carebimus, perlustrato eruditissimo hoc *Fontanini* Opusculo.

HISTORIA UNIVERSITATIS SALISBURGENSIS, opera & studio R.P. Presbyteri & Monachi Benedictini e Congregatione S. Blasii in Sylva Nigra.*

Francof. & Lipsiæ, apud Onophr. Scillerum, Bibliopolam Scaphus. 1728, 4.

Alph. 3 pl. 8.

EX Præfatione discimus, *Romanum Sedelmayr*, Benedictinum, scribendam suscepisse hanc historiam: eo mortuo nostrum Autorem accepisse ejus collectanea, eaque studiosissime auxisse. Hic igitur, postquam in Præfatione illa perdocte disseruit de monasterialibus Germaniæ scholis Ordinis Benedictini per singula secula, historiam Academiæ Salzburgensis exhibet in tres libros diductam. Ac *libro* quidem *primo* annalium more describit ortum, fundationem, & incrementa illustris hujus scholæ; *secundo* recenset Academiæ Præsides, Assistentes, Rectores, Procancellarios, ac Professores; *tertio* sistit illustriores harum Musarum alumnos.

Lib. I. Cap. I. Nostrum est, potiora inde excerpere. Cognitu igitur dignum, A. 1617 conditam esse hanc Academiam & Ordini Benedictino commissam a *Marco Sittico*, Archiepiscopo Salisburgensi, summo literarum patrono. Is, cujus & literæ fundationis hic exstant, primos Professores delegit e monasterio Ottoburano.

II. Ejusdem auspiciis A. 1618 ædificatum est Collegium Academicum, S. Carolo Boromæo sacratum. Eodem anno complures Abbates Benedictini fœdus inierunt de Academia hac studiosissime adjuvanda & ornanda: atque ex his A. 1619 unus electus est Præses Academiæ, aliquot alii Assistentes. A. 1622 novus Archiepiscopus, *Paris Lodronius*, impetravit ab Imp. Ferdinando II privilegia Academica, &, quod antea Gymnasium fuerat, mutavit in perfectam Academiam. Solennis inauguratio Academiæ A. 1622 facta describitur *Capite III*, exhibitis una privilegiis Imperatoris & Pontificis. Illud notatu dignum, ritum *depositionis* initio statim ab hac Academia exclusum esse in perpetuum; itemque solam Thomæ Aquinatis doctrinam pro norma docendi præscriptam esse Professoribus. A. 1621

IV. statutum, ut nonnisi ex Ordine Benedictino in hac Academia Professores essent Logicæ, Physicæ, Metaphysicæ, Casuum conscientiæ,

tiæ, Controversiarum fidei, Linguarum peregrinarum, Ethicæ, Mathematicæ, S. Scripturæ, Theologiæ, & Juris Canonici: utque nunquam alius, quam Benedictinus monachus, dignitate Rectoris Magnifici fruatur. A. 1634 cum hostis Suecus sæpe propius accederet ad hanc urbem, Studiosis arma data sunt, iique imbuti militaribus exercitiis. *In armis itaque*, inquit Noster, *Studiosi lectionibus interesse compellebantur.* Cumque paulo ante scripsisset, *Studiosis antea non licuisse gestare gladium*, non ita multo post docet, A. 1639 rursus hic loci ademta studiosis fuisse arma Decreto sive Programmate publico. Cognoscimus hinc, non admodum veterem esse morem, qui nunc viget in Academiis, ut insigne Studiosi habeatur gladius. Libeat duo adjungere loca, e quibus lucide intelligitur, ante bellum illud Germanicum, quod tricennale appellari solet, Studiosos non incessisse gladiatos, sed palliatos. Scilicet edita nuper est in *Novantiquis Theologicis*, quæ Lipsia nostra partitim edere solet, *A. 1728 p. 1030 sqq* celeberrimi Theologi Jenensis, *Joannis Gerhardi*, Oratio, eo tempore habita, cum se abdicaret magistratu Academico. In hac *p. 1032* hæc verba reperies: *Belli hujus intestini incendio deberi existimo, quod militare hoc sæculum militarem etiam habitum velut quodam contagio Studiosæ juventuti affricuerit, ut gladiis accincti, palliis exuti, passim obambulare gestiant, ac auditoria, templum ipsum hoc habitu ingredi non reformident, adeoque sese Martis potius, quam Musarum, alumnos exhibeant.* In exitu Orationis hujus *p. 1047*, ita exclamat *Gerhardus*: *Gladios deponite, pallia resumite.* Jam tamen ante Studiosos aliquot cœpisse cingere se gladiis, ex Gymnasii Coburgensis Legibus colligimus A. 1605 publicatis, & nuper in *Historia istius Gymnasii P. II* evulgatis. En eam, quæ huc pertinet, *p. 44* exhibitam: *Gladiis non accingantur. Studiosorum arma sunt non pugiones, sicæ, gladii, sed charta, stylus, libri.* Verum ad historiam Academiæ Salzburgensis redeundum est. *A. 1652* hæc Academia, cui nonnihil calamitatis attulerat bellum tot annorum, renovata fuit, novaque etiam Statuta Academica promulgata. A. 1658 Bibliotheca Academica certam accepit formam, coemtis jam A. 1649 libris a *Besoldo* relictis. A. 1660 theatrum Comicum accepit hæc Academia: pulchrumque duxit Autor, exhibere hic periochas singularum Comœ-

[Marginal notes: Cap. V. (beside "Magnifici fruatur. A. 1634"); p. 78. (beside "bus exercitiis"); 76. (beside "interesse compellebantur"); 79. (beside "sis antea non licuisse"); VI (beside "sica, gladii"); VII. (beside "soldo relictis")]

Comœdiarum usque ad A. 1727 in hocce theatro a Musis Salisburgensibus actarum. A. 1669 alumnorum Archiepiscopalium Seminarium ruina vicini montis ita oppressum est, ut amplius ducenti homines interirent. Eodem anno *Cælestinus Sfondratus*, S. Galli monachus, Professor factus Juris Canonici, tantum nactus est discipulorum affluxum, ut auditorium, licet peramplum, non sufficeret capiendis auditoribus. Eodem tempore maximam consecuta est celebritatem Facultas Juridica. A. 1697 juravit hæc Academia in Mariæ Deiparæ immaculatam conceptionem. A. 1707 dedicatum est templum Academicum *majestate nulli secundum.* Ultimo Capite descripsit Autor Jubilæum Academicum A. 1717 celebratum.

Cap. VIII. IX. X. XI.

In *Libro secundo* non solum Vitæ Professorum exponuntur breviter, sed singulis quoque subjicitur catalogus librorum ab ipsis compositorum. Nobis nominare tantum libet polygraphos, *Ægidium Rambeck, Alanum Pfeiffer, Amandum Pachler, Ambrosium Ziegler, Augustinum Rheding,* (factum deinceps Principem & Abbatem Einsidlensem,) *Benedictum Schmier,* (cujus *Philosophiam quadripartitam* in his Actis recensuimus *A. 1716 p. 461 sqq.*) *Bernardum Ruedorfer, Carolum Jacobum, Carolum Schrenck, Christoph. Blumlacher, Cælestinum Meyer, Cælestinum Pley, Cælestinum Sfondratum,* (factum Abbatem S. Galli & Cardinalem, cujus Vitam & scripta Autor persequitur *p. 323–333*) *Franc. Ignatium de Wolleren, Franc. Josephum Herz, Franc. Matthiam May, Franc. Mezger, Franc. Schmier, Gregorium Kimpfler, Henr. Heinlin, Hermannum Hermetem, Joan. Balth. Braun, Joseph. Bernardum Glettle, Joseph. Bonaventuram Franz, Josephum Mezger, Ludovicum Babenstuber, Matthæum Weiss, Maurum Liechtenheim, Maurum Oberascher, Ottonem Aicher, Paulum Mezger, Romanum Muller, Sebast. Koehr, Simonem Firbas, & Simonem Rettenpacher.* Nec omittendum ducimus *Sigismundum, Abbatem Seonensem,* qui & plures conscripsit libros contra *Fratres roseæ crucis,* & *p. 238* memoratur edidisse *Vindicias Trithemii,* seu *Defensionem apologeticam Steganographiæ a quibusdam male interpretatæ.*

Libri tertii Cap. I sistuntur Statuta Academica pro Studiosis; *Cap. II* exhibetur catalogus eorum, qui in hac Academia creati sunt Baccalaurei, Licentiati, & Doctores; *Cap. III* nominantur Professores ac Convictores postea in Abbates electi; *Cap. IV* producuntur nomina Comitum & Baronum, in Salisburgensem Matriculam receptorum. Postremo loco sistitur hodiernus Senatus Academicus.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Martii Anno MDCCXXX.

JO. FRIDERICI SCHANNAT HISTORIA Fuldensis, in tres Partes divisa &c.

Francof. ad Mœnum, apud Jo. Benj. Andreæ & Henr. Hort, 1729, fol.

Alph. 7 pl. 19, Tabb. æn. 6, & plures passim textui insertæ.

PAuci Fuldensium rerum extitere Scriptores, siquidem præter domesticos illos, quos *Codex probationum* hic sistit, exterorum unicus est *Christoph. Browerus*, quem sequitur Noster in Historia hac Fuldensi & passim emendat. Patrio quidem idiomate eandem congessit *Valentinus Münzerus*, Scriptor exsanguis, & metro satis eleganti *Eberhardus Fabritius*, qui tamen nihil Cel. *Schannato* profuerunt. *Trithemius* quidem vidisse semet testatur *Meginfridi* Monachi *Fuldense Chronicon*, XXIV Libris ad Seculi XI finem usque perductum, cujus tamen hodie extat nihil. Promiserat quoque *Christ. Franc. Paullini* opus historiam Fuldensem complexurum, sed in promissis substitit. Hos vero defectus supplevit tabularium Fuldense, ex quo chartas & diplomata eruit Autor tam grandi numero, ut ea nonnullis Voluminibus præmittere duxerit necessarium. Hinc prodiere *Traditionum sive Donationum tabula*, una cum *Buchonia veteri*, hinc *Clientela Fuldensis* beneficiata elucidata, nobis A. 1725 p. 296, & A. 1727 p. 24 memoratæ. Adversantes habuit *Clientela* Viros Cel. *Eccardum* & *Estorem*, ex quibus hunc ad *Jo. Bapt. Cæsaris Consilia P. II p. 39* remittit, unde Sereniss. Hassiæ Principum Majores concordem cum

Schannato sententiam fovisse constet. Nunc livorem aliorum haud veritus, *Historiam Fuldensem* sistit, tanta fide, ut virtutes Præsulum commendet, nec tamen vitia eorum dissimulet, quorum & monumenta sepulchralia æri incisa repræsentat. Partis I Capite 1 sistit Monasterii Fuldensis initia, structuram, fundamenta atque fata. Fundavit illud A. 744 S. Bonifacius autoritate
p. 2. Carolomanni: Sturmius Abbas primus Monachorum nume-
3. rum brevi 400 excessisse vidit; Baungulfo, Ratgario, Eigile Abbatibus templum variis structuris auctum, quod Rabanus & Helmfridus ad finem perduxere, A. 937 subito incendio consumptum. Augebatur indies restaurati Abbate Marquardo I
4. monasterii fama, & deductis inde coloniis, secundum *Ordinem Fuldensem*, uti tunc vocari sueverat, alia cœnobia foris exstruebantur. Structura recentior debetur Joachimo Abbati, quam ex successoribus, A. 1713 addita insigni Basilica, ampliavit Adalbertus. Hinc recensentur Viri clari, qui ex Fuldensi Monasterio ad diversas infulas sunt promoti, Archi-Episcopi, Episcopi, Abbates. Cap. 2 agit de veteri disciplina Fuldensi, C. 3 de Fuldensium olim Monachorum sorte, conditione, victu, habitu,
12. tonsura & ritibus, ubi *oblatorum, conversorum, monachorum ad succurrendum, barbatorum, inclusorum* nomina curatius, quam ab aliis factum, videbis exposita. C. 4 agit de œconomia Fuldensi ob plures possessiones ipsis oblatas, & *cellas* sive monachorum habitationes hinc inde exstructas, instituta, & nonnunquam insignibus detrimentis affecta; & C. 5 de officiis claustralibus.
34. Claustrum Fuldense, *urbis* tunc temporis, *veteris urbis* nomine hodie insignitum, fœminis intrare non licuit, unde Lothario II quoque & Friderico I Imperatoribus ingressus non fuit concessus, quia Reginæ in comitatu essent, donec Bonifacius IX Pont.
46. A. 1397 fœminis aditum patefaceret. Inter officiales recensentur *Circatores*, monasterium circumeuntes, ne Monachi vagarentur foras, *Exactores* quoque vocati, qui pueros ad Magistrorum nutum virgis castigarent. Deinde *Fideliatores, Magistri Fidelium, Testamentarii, Seelgerether*, penes quos piarum donationum fuit dispositio. C. 6 sistit veterem Academiam Ful-
95. densem, sive Scholam a Bonifacio institutam, paulo post religio-

nis

nis simplicitate, ne scientia inflaret Monachos humiles, neglectam, a Carolo M. tamen strenue restitutam, quæ temporum calamitate, exeunte Seculo XII, deficere cœpit. Sequuntur Viri p. 58.
Illustres Academiæ Fuldensis, magistri & discipuli, monumentis ingenii eandem condecorantes; & descriptio veteris Bibliothecæ Fuldensis. Partis II Capite 1 expenduntur antiquorum Abbatum jura, prærogativæ & privilegia secularia, quo spectat, quod territorio gaudeant X milliaria Germanica in longum, to- 68.
tidemque in latum porrecto, ac summo territorii jure instructo; quod seculo jam XI S. R. I. Principum axiomate sint insigniti; quod fruantur jure conductus, in vicinas usque regiones olim protenso, Archi-Cancellariatus item dignitate apud Imperatricem, a Ludovico Pio & Infante repetenda, indeque olim dependente post Moguntinum Sessione, jure monetandi, una cum Telonio, ac vectigalium exactione, publicoque mercatu, ex Henrici II Imperatoris indulgentia, qua occasione æneæ nummorum figuræ hic exhibentur: his accedunt remissio laudemii in aula Cæsarea; donatio Judæorum Abbatibus ab Imperatore facta in traditionem Fuldensem; assignata in Augustæ coronatione nova statio, ac munus, ex Autoris mente, præcellentius demandatum, de quibus constat ex Jure Publico; jus metallicum, denique quod jus gerendi vexilli Imperialis & munus Archi-Mareschallatus sub Ottone M. Cæsare quondam Fuldensi fuerint commissa. C. 2 sistit Advocatos Fuldæ primarios, Subadvocatos & Mi- 73.
nisteriales. Advocatia ipsis tandem Abbatibus formidanda ab iisdem A. 1344 in Comitibus de Ziegenhayn, qui hæreditario eandem jure possidebant, ære non modico persoluto est suppressa. Pars III exhibet Historiam Abbatum Fuldensium, ex qua potiora saltem seligemus. Ratgarius Abbas primus fuit, qui inconsultis Monachis Canonicorum Secularium Collegium, 119.
ab Haichone Abb. bonis post ditatum, in erecto a se Deiparæ templo instituit. Error *Gretseri* in *Catalogo Episcoporum Eichstedensium* corrigitur, qui Altuwini initia Episcopatus dedu- 99.
cit ab A. 841, cum Altuwinus jam A. 819 Monasterii Solenhovensis Ecclesiam Fuldensium rogatu consecraverit. Rabano, Abbati Ludovici Pii partibus addictissimo, Remorum Archi-Epi- 101.

ſcopus Ebbo, qui deteſtandæ factionis contra Imperatorem autor primarius extiterat, ab Epiſcoporum concilio Theodonis villæ dignitate privatus, cuſtodiendus fuit traditus. Rabanum
p.106. hunc Moguntiæ A. 788 IV Non. Febr. natum, patre Walurammo, matre Waltrata, contra plurium hallucinationes monſtratur. Hatto prid. Id. April. denatus eſt A. 856, unde erroris convincuntur tabulæ Piſtorianæ, quæ menſe Junio A. 857 ab hoc
108. ipſo Hattone conſcriptæ finguntur. Ceterum miramur, quod
126. Autor Cl. tradere haud vereatur, Johannem XII Pontificem, autoritate Ottonis M. ſede Romana fuiſſe dejectum, *more novo, nec*
160. *ſatis probato*, nec Hattonem Abb. Fuld. in conventu iſto tuliſſe ſuffragium; quemadmodum & alio in loco ſchiſmatis accuſat Henricum V Imperatorem, ob litem Pontifici de inveſtitura Epiſcoporum motam; quæ ſatis oſtendunt Autorem ſuæ ſectæ ſtudio facile abripi. Interim recte fabula de Hattone, qui ab
127. Abbatia poſtmodum ad ſedem Moguntinam translatus fuit, a muribus devorato, & iniquum de eodem Præſule *Trithemii* judicium confutantur. Ottonis M. precibus datum, ut Johannes
128. XIII Pontifex Primatu per Germaniam & Galliam Eccleſiam Fuldenſem donaret, vi cujus jus pronuntiandi in Synodo, nec non in Conciliis & conventibus publicis ſeu generalibus ſupra omnes Abbates aſſidendi, Fuldenſi perpetuo competit. Branthoum
131. Abb. A. 981 ſuſcepiſſe regimen, Noſter contra *Trithemium* negat, idque A. 983 contigiſſe oſtendit. Cum Erkanbaldus doleret,
136. ſe ſimul cum Præſulatu Moguntino Abbatiam Fuldenſem retinere non poſſe, nequiſſimos eſſe Fuldenſium mores criminatus, Henricum S. Imp. permovit, ut direpto Fuldenſi Monaſterio ac cœnobitis expulſis, Laurisheimenſes Monachos in locum ſurrogaret, quod paucis notum. Donatio Paderbornenſi Ec-
138. cleſiæ A. 1118 ab Henrico II facta, apud *Schaten. Annal. P. I* p. 429, ex eo redditur dubia, quod Bobbo Abb. Fuld. interfuiſſe eidem dicatur, aliquo tempore jam ante defunctus. Wolkmarus, quem *Ditmarus L. 8* Abbatem Fuldenſem obiiſſe A. 1118
139. tradit, plane expungendus Noſtro videtur, cum nulla usquam ejus occurrat mentio. Baronius ad A. 1014 exhibet Diploma
142. Henrici S. quo poſſeſſiones omnes Rom. Eccleſiæ confirmantur,

tur, sed cum inter testes deprehendatur Richardus Abb. Fuld. qui 1018 demum regiminis initia capessivit, falsitatis illud merito convincitur. A. 1127 Udalricus autoritate Legati Pontificii Ab- p. 163.
batia Fuldensi privatus est, non ob pravos mores, ut volunt malevoli, sed quod a partibus Lotharii Cæsaris alienus fuerit. Gernotus 178.
Abbatibus Fuldensibus merito annumeratur, cum & sepulturæ locum Fuldæ invenerit, licet ob festinatam nimis ejus mortem a Pontifice non fuerit confirmatus. Heinrici III Abb. gesta, quæ atro 186.
plerique carbone notarunt, non dubitat Autor immensis prædicare laudibus. Cunonis Abb. mors in A. 1222 incidit, unde corrigen- 190.
di sunt, qui obiisse ipsum anno præcedenti in Apulia tradunt. Extinctis Burgaviæ Marchionibus terras, quas in feudum tenuerant possessores a Fuldensibus, sibi vindicavit Arthous IV Abb. quod 206.
adeo displicuit Rudolpho Imp. easdem filio Alberto asserere volenti, ut Abbatem occultis artibus ad privatam vitam amplexandam adigeret. Marquardum II Abb. mulier chirotecis venena- 209.
tis ipsi oblatis vita privavit. Philippus Comes Cattimelibocensis, 242.
prole mascula destitutus, & a Fuldensibus bona plurima possidens, opportune egit cum Abbate, qui opus habebat ejus auxilio, ut filia in iis succederet. Hartmannus Abbas ob Abbatiam Hersfeldensem simul possessam, pluribus involutus turbis, Ful- 249.
densibus quoque odio esse cœpit, unde conciliatione frustra sæpius tentata, lis tandem autoritate Cæsaris A. 1521 fuit composita, ut annuis aureis 600 contentus esset & Johannes Henneberg. Coadjutor ipsi subveniret, a quo tempore ad ipsius usque excessum Diplomata hanc formulam continebant: *Nos Hartmannus D.G. Abbas Fuldensis, & Nos Johannes de eadem Gratia Coadjutor Ecclesiæ Fuldensis.* An Johannes Bernhardus Abb. strenui simul 282.
militis maxime in prælio prope Luzenam reportaverit laudem, dubitare sane nos jubet & Autorum fides, qui singularia hujus pugnæ consignarunt, & militare quoddam proverbium, quod nostris non ignotum. Bernardi Gustavi Abbatis A. 1673 ab itinere 294.
Leodiensi, cujus Præsulatum ambierat, redeuntis supellex universa insidianti militi Gallo in prædam cessit; ipse diligenter licet quæsitus, vix cum paucis effugit; damnum ergo plus quam 300000 florenorum passus Bernardus in pertinacem morbum

 inci-

p.297. Incidit, sibi postea letalem. In consecratione *Eleonoræ* Imperatricis, ut præ reliquis Abb. Placidus Augustæ diadema imponeret, Cæsar pronunciavit. Albertus Abb. 1712 immunitatem a
302. jurisdictione Herbipolensi, tum atque olim in dubium vocatam, Rom. Pontificis decreto obtinuit. Historiæ huic Fuldensi subnectitur *Codex Probationum*, in quo ex Chartis antiquissimis, Diplomatibus, & id genus scriptis aliis, & ex MSC. partim nunc primum vulgatis, veritati historicæ lux clarior accenditur, un
1. de hic memoranda censuimus: *Acta vetusta* Abbatum Fuldensi-
3. um ab A. 744 ad A. 916; *F. Cornelii* Monachi Breviarium Fuldense historicum, ex editione *Christ. Franc. Paullini*, ab A. 744
15. ad A. 1468; *Christoph. Broweri*, Soc. Jesu, Acta Abbatum Fuldensium ab A. 744 ad A. 16.6; *Vitam Sturmii* primi Abbatis
67. Fuldensis, per *Ægilem* Abb. ex *Broweri* Syd. Ill. Sanct. per Ger-
79. maniam; Excerpta ex vita *Sanctæ Liobæ*, Abbatissæ Bischoffsheimii, scripta a *Rudolfo* Fuldensi Monacho sub initium Sec. IX;
88. *Vitam Ægilis* Abb. Fuld. autore *Candido* Monacho, ex eodem
117. Broweri Syd. *Vitam Rabani* Abb. Fuld. per *Rudolfum* Presb. ex
203. Broweri Antiqu. Fuld.; Literas Henrici Abb. Fuld. de A. 1253 ad Leodiensem & Lobiensem Abbates, ut juxta statutum Francofurti, ab Innocentio Pont. confirmatum, adversus Margaretham Flandriæ Comitissam ob non petitam a Wilhelmo Rom. R.
234. investituram feudorum, terris privandam procedant; Anon. *Vitam Henrici VI* Abb. Fuld. ex MScto; *Notitiam de bello* inter
311. Abb. Fuldensem & Nobiles a Riedesel exorto, ex veteri Chron.
327. MScto; *Fundationem Ordinis Equestris* utriusque sexus, in honorem S. Simplicii a Joanne Abb. instituti; *Mandatum Maximiliani I* Imperatoris, quo vetat subditos Ecclesiæ Fuld. citari
330. ad Dicasterium Provinciale Ep. Herbipolensis; *Vitam Johan-*
343. *nis II* Abb. Fuld. ex *Spangenberg*. Chron. Henneb.; *Acta publica* circa litem inter Joannem, Coadjutorem Fuld. & Philip-
375 sqq. pum Hass. Landgravium A. 1526 Erico Brunsu. Duce mediante
414. compositam; *Vitam Joannis III* Abb. Fuld. ex *Spangenberg*.
416. Chron. Henneb.; *Philippi Abb.* Constitutionem de moribus Religiosorum observandis, in qua se vocat: *Abbatum ordinis*
434. *S. Benedicti per Germaniam & Galliam Primatem*; *Joachimi Abb.*

Abb. deductionem juris sui adversus Equestrem Ordinem Buchoniæ A. 1648; *Indicem emortualem* Abbatum Fuld. ex MSCto; p. 463.
Necrologium Fuldense avtographum ab A. 779 usque ad A. 1065. 464.

RECUEIL DE DIVERS VOYAGES CURIEUX faits en Tartarie, en Perse & ailleurs &c.

i. e.

COLLECTIO CURIOSA VARIORUM ITINERUM in Tartariam, Persiam & alias provincias susceptorum.

Tomi II.

Lugduni Bat. apud Petrum vander Aa, 1729, 4.

Alph. 3 pl. 14 Tabb. Geogr. 5 & fig. æn. aliæ, passim textui insertæ.

IDem Typographus, qui Itinerum in Indiam Orientalem & Occidentalem Collectionem maximam triginta in 8 & octo in fol. Voluminibus lingua Belgica dedit, jam novam aggreditur Gallico idiomate exaratam, cujus Tomi duo priores (neque vero dubitamus plures prodituros) itinera quædam eaque antiquissima in Tartariam & vicinas provincias suscepta complectuntur. Præmittitur Dissertatio elegans ac lectu digna *de Navigatione & Itineribus ad detegendas & subigendas terras incognitas*, a Gallis maxime & Batavis, *susceptis*, dubium an nunc primum edita, diversa certe ab iis, quæ celeberrimus Huetius, in Historia commerciorum & navigationis veterum Par. 1716 & Anonymus in libello: *Memoires sur le commerce des Hollandois* Amst. 1717 commentati sunt. Sequuntur deinde 1) *Benjamini Iter circa mundum* cœptum A. 1173 & Hebraice primum descriptum, atque inde a Bened. Aria Montano Latine, nunc vero ex eo Gallice versum, quo multa memorabilia passim ab Autore observata continentur, & inprimis Judæorum illo tempore conditio exponitur. 2) *Johannis du Plan Carpin* & *N. Ascelini*, Nuntiorum Apostolicorum Innocentii IV ad Tartaros & alios Orientis populos, *Itinerarium* admodum curiosum, quo harum regio-

regionum ſtatus eccleſiaſticus & civilis accurate exponitur. 3) *Guilielmi de Rubruquis*, Ludovici IX Galliæ Regis ad Tartaros ac Chinenſes A. 1252 ablegati, *Iter* non minus ob ſingularia multa lectu dignum, quod *Petrus Bergeronius* ex Anglico ſermone Gallice traduxit. 4) Ejusdem *Bergeronii* Tractatus *de Tartaribus* eorumque origine, regione, populis, moribus, religione, bellis, victoriis, Principibus inprimis, quorum ſeriem Autor ad ſua usque tempora dedit. 5) Ejusdem *Hiſtoria* ſuccincta *Saracenorum & Muhamedanorum*, quorum maxime Regna & Imperia diverſa, hic illic conſtituta, contemplatur, 6) *Baconis*, Monachi, *Obſervationes* quædam *de Partibus mundi Septentrionalibus*, quibus accedunt Relationes de Tartaria, ex Hiſtoricis *R. Wendoveri* & *Matth. Paris* ſcriptis excerpta, una cum aliis, quibus harum gentium crudelitas accurate depingitur. 7) *Marci Pauli*, Veneti, Scriptoris fide digni, *Iter in Aſiam & Africam ſuſceptum & A. 1252 abſolutum*, cum MSpto Codice Bibliothecæ Regiæ Berolinenſis collatum & multis Notis & Additionibus partim ex eodem Codice, partim ex editionibus Ramuſii, Purchaſii & Vitriarii auctum; quo uti de aliorum gentium Orientalium moribus, ita de Tartarorum præſertim potentia & dominatione per Chinam exacte traditur. 8) *Haitonis*, Regis Armeniæ cognati, *Hiſtoria Orientalis* ſive *Tartarorum*, manu *Saltoni* deſcripta & ex Latina editione *Andreæ Mülleri* Gallice verſa, qua ſtatus regionum Orientalium, qualis circa A. 1300 fuit, graphice deſcribitur. 9) Compendium *Obſervationum* a *Johanne de Mandeville*, Equite & Profeſſore Medicinæ, A. 1332 & ſeq. per Aſiam, Africam &c. factarum, a *Baleo* digeſtum. 10) *Ambroſii Contareni*, Reipubl. Venetæ Legati, *Iter in Perſiam* A. 1473 ſuſceptum. Ceterum quamvis his maxime præſidiis cum fructu uſus fuiſſe in Præfatione dicatur *Nicolaus Witzen* in excellentiſſimo Opere, quod *de Tartaria Septentrionali & Orientali* conſcripſit, non erit tamen injucundum ex ipſis fontibus haurire, iis inprimis, qui harum provinciarum faciem, qualis inde a Seculo XII ad XV fuit, cognoſcere cupiunt. Cum vero hæc Itineraria ſingula jam pridem ſeorſim prodierint, non eſt, ut excerpta inde deſideret Lector.

LA GEO-

LA GEOGRAPHIE MODERNE, NATURELLE, Historique, dans une Methode nouvelle & ai ée.

h. e.

GEOGRAPHIA MODERNA NATURALIS, Historica & Politica ; Autore ABRAHAMO DU BOIS, Geographo.

Tomi IV.

Lugduni Bat. apud Petrum vander Aa, 1729, 4.
Alph. 5 pl. 10 Tabb. Geogr. 92 & 4 aliæ.

LE CURIEUX ANTIQUAIRE, OU RECUEIL Geographique & Historique.

h. e.

ANTIQUARIUS CURIOSUS, SEU COLLEctio Geographica & Historica rerum maxime notabilium, quæ in IV Mundi Partibus occurrunt. Ex Itinerariis celebrioribus collegit P. L. BERKENMAYER.

Tomi III.

Ibidem, apud eundem, 1729, 8 maj.
Alph. 3 Tabb. Geogr. 2 & 24 aliæ.

ABREGE' DE LA VIEILLE ET NOUVELLE Geographie &c.

h. e.

JOHANNIS HUBNERI, RECTORIS SCHOlæ S. Johannis Hamb. Geographia antiqua & nova ad nostra tempora continuata, & e Germanica lingua traducta.

Tomi II.

Ibidem, apud eundem, 1729, 8 maj.
Alph. 2 pl. 5 Tabb. Geogr. 21 & 4 aliæ.

TRes libros ejusdem argumenti, ab eodem Typographo, eodem loco & anno editos uno obtutu vides, rerum Geographicarum cupide Lector: de quibus tribus saltem, quod ajunt, verbis agemus. Ut de Celeb. *Hübnero* plane taceamus, cujus Compendium Geographiæ vernacula nobis lingua impressum toties, ut plus quam quadragies mille ejus exempla vel in sola Germania distributa sint, tantoque plausu etiam ab exteris exceptum, ut jam pridem in Belgicam atque Anglicam, & nunc etiam in Gallicam linguam translatum & Tabulis insuper Geographicis notabilioribus, quibus antea plane caruit, instructum comparuerit; ceteri duo, & in his primus maxime, haud ultimum inter systemata Geographica locum obtinent. Autores sunt diversi, *Duboisius* & *Birckenmayer*, quorum ille Introductionem generalem præmisit in universam Geographiam, qua simul usus globi accurata methodo ostenditur; hinc quatuor Orbis partes ita descripsit, ut, quid ubique notatu dignum gestum sit, diligenter exponatur, erroresque Geographorum identidem ex relationibus hominum fide dignorum, qui passim iter fecerunt, emendentur, maxime in notulis subjectis; hic vero hodœporicos alios plerumque secutus, methodo fere Hubneriana, non tam Antiquarium agere voluit, qui inscriptiones & nummos sectetur, quam viæ ductorem, quales sunt passim in urbibus, qui advenis res singulares & curiosas solent demonstrare, vulgo *Antiquarii* hodie dicti. In omnibus his libris eædem comparent Tabulæ Geographicæ, in aliis quidem plures, ut supra in titulis apparet, in aliis pauciores. Excerptis in hac novorum Librorum copia facile supersedemus.

TRAITE' SUR LES MIRACLES DANS LEquel on prouve, que le Diable n'en sauroit faire &c.

h. e.

TRACTATUS DE MIRACULIS, IN QUO, diabolum ea erroris confirmandi causa edere posse, negatur, & non tantum exemplis, ex historia tam sacra quam profana petitis, ea, quæ eidem tributa sunt, fraudis & soler-

solertiæ hominum esse effectus ostenditur, sed etiam systema contrarium D. Sam. Clarkii, *in libro ejus de religione naturali & Christiana Vol. II C. XIX proditum, examinatur; Autore JACOBO SERCES, Vicario Applebyensi in Comitatu Lincolniensi.*

Amstelodami, apud Petr. Humbertum, 1729, 8.
Alph. 1 pl. 3.

SErenissimo Principi Valliæ Cl. Autor hunc librum dedicavit, & si ipsum in Præfatione audimus, jam ante novem annos eum scribere in animo habuit, illius autem editionem usque ad hoc tempus distulit, ut sua cogitata cum viris doctis prius communicaret, aliorumque scripta hoc argumentum illustrantia consuleret. Ut autem constet, se in explicanda re magni momenti versari, certum habet & exploratum, miracula inter ea, quæ veram religionem confirmant, præcipuum tenere locum, neutiquam autem existere posse certissima veritatis testimonia, si errorum firmandorum gratia edantur. Etenim Cel. *Clarkium* docere, miracula esse effectus ordini naturæ contrarios, atque extraordinario entis intelligentis & homine præstantioris interventu productos; quæ ab Angelis, quorum ministerio mundus gubernetur, & quidem cum a bonis, ut scopus Magistri seu summi Numinis obtineatur, tum a malis, ut hominibus errores & vitia suppeditentur, proficiscantur; ad utraque vero discernenda facere dogmata, una cum iisdem proposita, quæ cum sint vel falsa & impia, vel lumini naturæ convenientia, vel cum ad verum tum ad falsum indifferentia, ea in illis nihil, in his autem plurimum valere; & si duo doctores edant miracula, alter confirmandi, alter destruendi boni dogmatis causa, illum pro cœlitus misso habendum esse, qui magnitudine & copia miraculorum alterum superet. At Noster miracula ex se & sine collatione cum alio, certissima esse veritatis testimonia contendit. Hoc Art. I eo confirmat, quod terminos vis & virtutis Angelorum ignoremus, & illi in facultatum exercitio a Deo pendeant. Si igitur se offerant facta spirituum, quos cognitos habemus, virtutem superantia, cursui natu-

naturæ adverſantia, nullumque characterem, quo eorum Autor clariſſime pateat, ſecum vehentia, illa Deo Opt. Max. æque ut reſuſcitationem mortuorum, lepræque ſanationem & alia minoris generis opera, prout circumſtantiæ ferant, tribuenda eſſe; non diverſas miraculorum cauſas in S. Codice tradi, &, ſi omnia Angelis aſſignentur, multa ex eo abſurda ſecutura eſſe; nec iis dona primitivæ Eccleſiæ peculiaria, vel Prophetarum & Apoſtolorum deferri; & ſi quorundam miraculorum ſoli habeantur autores, ſtatuendum eſſe, illos a Deo vim ea perficiendi conſecutos eſſe, & eum æque eorum, ac a Prophetis & Apoſtolis editorum, eſſe cauſam. Art. II negat, ab Angelis malis edi miracula, quia, virtutem, qua antea fuerint præditi, lapſu amiſerint, & ſi eam retinuerint, & Deus illis poteſtatem exercendi eam concederet, ſimplices in diſcrimen ſalutis perduci, quippe qui non polleant ſcientia exquirendi rationes, quibus Deus ſuam doctrinam probet. Porro cum miracula gentilium æque ac eorum oracula varia fraudum indicia ſecum ferant, nec ullum idololatriæ cauſa editum ſit, ut certamen Baaliticorum ſacerdotum cum vate Elia, ſomnium Nabuchodonoſoris & ſcriptura in pariete Regi Balthaſari comparens oſtendant, neque ullum ad impediendum Evangelicæ doctrinæ progreſſum ſit productum, ex eo conficit, neque Deum permiſiſſe, ut tempore, quo ſe Iſraelitis per nomen *Jehovah* manifeſtaret, a Magis Ægyptiacis quicquam efficeretur. Art. III argumentum ſuæ cauſæ a perfectionibus Dei depromit. Cum enim nihil in animos hominum ita influat, quam miracula, iisque facile moveantur, ut poſtulata faciant, non poſſe non ſequi, ait, Deum ipſum in errorem inducere, id quod repugnet & ejus veritati, qua errores averſatur, qui tamen ejusmodi miraculis ſtabiliantur, ut ſi ex. gr. ſacerdotes Portugalliæ cultus Sanctorum cauſa vera ederent miracula; & bonitati, quæ non concedat, ut cum aureo miraculorum poculo errorum venenum præbeatur, hique veritati exæquentur; & ſapientiæ, pro qua apta & convenientia ad finem obtinendum media adhibenda, nec deſtruendum altera manu, quod altera ædificatum, nec concedendum, ut a ſpiritibus ma-

lignis

lignis ea a præstigiatoribus miracula, quæ Mosaica infirment, producantur. Ostendit inde, in S. Codice verum Deum solum miraculorum perhiberi autorem, Diis ea denegari, atque uti salvationem, productionem ex nihilo, remissionemque peccatorum, ita & miraculorum productionem esse Dei opus, etiamsi per ministerium hominum fiant; Jesum in probanda sua missione adhibuisse miracula, nulla etiam mentione doctrinæ suæ facta, eundemque discipulis Johannis Baptistæ quærentibus, num sit promissus Messias, ea contemplanda præbuisse; Paulum cum Pseudo-Apostolis disputantem nixum esse miraculis, *1 Cor. IV, 19, 20*; rejicientem miracula, &, quæ Jesu sint, diabolo tribuentem, flagitium committere, gravissima pœna luendum; miracula non dici opera diaboli, sed Dei, brachium item & sigillum Dei, finemque eorum esse, ut videntes illa, proposita dogmata, quorum confirmandorum causa sint edita, recipiant & approbent. Art. IV absurditatem contrariæ opinionis expositurus, Sect. I contendit, eum, qui nixus adversa sententia miraculis pondus inesse defendat, oportere statuere, vel inter ea nullum esse discrimen essentiale, & sic divina non plus habere virtutis, quam diabolica, vel si sit discrimen, quod tamen lateat, semper verendum, ne error existat, & quæ sunt Dei, diabolo assignentur. Ac cum constet, probationes æquivocas, quæ ad veritatem pariter & falsitatem applicari possunt, nullius esse momenti, & Romano-Catholicæ Ecclesiæ characteres, amplitudinem, gloriam, & unitatem ad ejus veritatem demonstrandam adhibitos, nihil roboris habere, quoniam ad paganismum, Arianismum & Ecclesiam Græcam applicari pariter possint; ex eo conficit, idem judicium de miraculis ferendum esse. Quod ad dogmata, quorum probandorum causa sint adhibita, constare, ait, ea prorsus ad nullum confirmandum facere posse. Cum enim concessum sit, ea nihil certi addere veris, ex ratione evidenter cognitis, nec impiis & absurdis, etiam hoc dandum, eadem nec possibilia & indifferentia, quorum veritas aut falsitas ex lumine naturæ & recta ratione cognosci non queat, corroborare. Neque controversiam vel per magnitudinem vel per copiam miraculorum tolli prolixe probat. Postremo vult, ut

in consideratione miraculorum ratio personarum habeatur: Doctorum enim hominum, non indoctorum esse, gradus verisimilium & probabilium discernere. Alterum, quod adversam premat sententiam, ait Sect. II, esse circulum vitiosum, qui probatione doctrinæ, per miracula, & miraculorum quæ per doctrinam committatur; cui Sect. III illud addit, quod systematis adversi autores pugnantia inter se statuant, cujus rei probandæ causa varia *Clarkii* loca in medium profert. Art. V accedit ad refellenda ea, quæ contra dicuntur, & inprimis miracula Magorum Ægyptiorum cum Mosaicis comparata operose examinat. Tum tradit *Deut. XIII, 1, 2, 3, 5*, vel conditionem impossibilem, vel miram intelligi; historiam Pythonissæ *1 Sam. XXVIII*, Samuelem evocantis e mortuis, nil nisi fraudes & imposturas continere, mulierem conjecturis pleraque assecutam, multa ex Regis Saulis ministris intellexisse, particulam vero *cras* in ejus sermone *posthac* significare. In verbis Servatoris *Matth. XII, 27, quod si ego Beelzebulem ejicio per dæmonia, per quem ejiciunt filii vestri?* vel argumentum κατ᾽ ἄνθρωπον latere, vel si revera dæmonia a filiis Judæorum sint ejecta editaque miracula, ea tamen neutiquam vel errorum vel vitiorum confirmandorum causa esse patrata, quin concedi posse, Deum quibuscunque causis inductum, etiam inter gentiles ægrotos miraculose sanasse, & extra ordinem nonnunquam eos a malis liberasse. *Matth. XXIV, 24*, non actiones legibus naturalibus contrarias & a supremo Numine ortas, sed admiratione dignas intelligi, & Josephum, res gestas falsorum vatum exponentem, nullius miraculi ab eis editi mentionem facere. His expositis pergit ad decantata gentilium miracula, docetque, quædam fuisse solum effectus naturales, quædam ridicula, puerilia, & ambigua quædam sæpius iterata, ut pluvia sanguinea, monstra, & loca remota fulmine tacta, quibus ad animos populi commovendos imperantes pro arbitrio usi sint, multa ab iis, qui ea literis consignarunt, *Livio, Valerio Maximo*, & *Curtio* in dubium vocata, & a *Cicerone, Hannibale*, & *Alexandro* contempta; duces belli ea pro nihilo putantes secunda omnia, e contrario illa magni æstimantes adversam expertos esse fortunam. Sigillatim monet,

net de curationibus morborum in templo *Æsculapii* factis, eas in theatro publice ludibrio expositas, & fraudes sacerdotum in illis adhibitas, simul esse detectas; de Imperatore *Vespasiano* cœco visum, claudo cruris usum conferente, observat, hæc partim esse ministrorum ejus commenta, qui Jesum in contemptum adducere, Imperatorem vero evehere studuerint, partim Alexandriæ, ubi hæc acta perhibentur, incolas clementiam Imperatoris captasse, partim Imperatorem in instituendis curationibus istis cum a Medicis tum ab ægrotis ipsis adjutum fuisse. *Hadriani* miracula ipsi *Spartiano* esse suspecta; *Apollonii Thyanei* miracula a *Philostrato*, centum demum annos post eum vivente, & quidem ex Commentariis cujusdam Damis, qui cum eo iter fecisse fertur, jussu *Juliæ*, conjugis *Severi Augusti*, literis mandata, qui *Pythagoreorum* sectam fictionum amantem sit secutus, Imperatoris benevolentiam aucupatus sit, stylum non Historici sed Oratoris affectaverit, necessaria cum rebus gestis connexa omiserit, atque autoritati *Apollonii* parum consuluerit, dum eum jactasse refert, se omnes linguas intelligere, voluisseque, ut Dei instar coleretur, quibus accedit, quod ingens inter Jesum Apostolosque, & hunc *Apollonium* discrimen intercedat. Neque prætermittit Noster plurima, de quibus Romano-Catholicorum cœtus gloriatur, miracula, quæ ideo respuit, quod plurima insint absurda, ut ex vitis Sanctorum constet; quod multa plane fieri non potuerint, qualia sint, quæ de iisdem reliquiis multis in locis existentibus feruntur; quod quædam ab hominibus credulis literis consignata, sed a prudentioribus contemta; quod tanta & tam varia nonnullorum Sanctorum narrentur miracula, ut non tantum vates V. T. sed etiam Jesum & Apostolos iis cedere oporteat; quod ea proxime ad gentilium accedant miracula, ut alia taceamus. Tractat etiam sigillatim de sanguinis S. *Januarii* apud Neapolitanos fluxu, qui quotannis conspiciatur, variaque lectu digna de eo affert. Tradit primo, omnes fere latere, quatuor præter illam liquefactiones hujusmodi sanguinis, nimirum S. Jo. Baptistæ, S. Stephani, S. Pantaleonis & S. Patritiæ, diebus iisdem consecratis singulis annis Neapoli confici, ut a *Parrino Celano*que sit traditum, quæritque, qui fiat, ut hu-

huic præcipue loco virtus liquefaciendi ſanguinem congelatum inſit, num forte ea a calore montium ignivomorum ei proximorum pendeat, & annon hæ ſanctæ perſonæ honori S. Januarii quodammodo inviderint, doletque, iis rem ex voto non ſucceſſiſſe, atque attribuit omnia impoſturæ avaritiæque ſacerdotum, quorum quidam callidiores & artis excitandi fermentationem peritiores aliis exiſtant. Tum pronunciat, miraculoſum ſanguinis S. Januarii fluxum ideo ſuſpectum falſumque ſibi videri, quod in præparandis iis, quæ ad eum ciendum pertinent, ſeptem vel octo dies conſumantur, isque conficiatur in ſeparato templi loco, ad quem creduli propius admittantur, non autem peregrini, quibus hoc prodigium e longinquo tantum conſpiciendum concedatur. Deinde dubitat non tantum, an hic ſit verus S. Januarii ſanguis, ſed etiam an plane hic aliquid veri ſanguinis exiſtat; refertque, ſibi Neapoli commoranti permiſſu æditui templi S. Johan. Carbonaræ licuiſſe ſanguinem S. Baptiſtæ, tenenti in manu ampullam, in qua is incluſus erat, cum cura examinare, ac tum comperiſſe ſe, non fuiſſe verum ſanguinem, ſed ſpeciem olei concreti ſeu condenſati (*pommade*) colore ſubrubicundo tincti, ſanguinem mentientis, qua in ſententia a Presbytero Congregationis Oratorii Italo, in colloquio hac de re cum eo Auguſtæ Taurinorum habito, ſit confirmatus. Poſtremo obſervat, miracula, poſtquam cœtus Domini ab erroribus abuſibusque liberari cœperit, non ita copioſe apud Romano-Catholicos edi, conſulitque iisdem, ut, cum non ſuppetat melius remedium, reducendi hæreticos ad ſuum cœtum, miracula publice ſub oculis Proteſtantium edant. Alloquitur etiam eos, qui præ aliis ingenio forti & ſubtili præditi videri volunt, monendo, ne ideo quia multa fingantur miracula, etiam vera, quibus religio Judaica vetus & Chriſtiana nitantur, negent; denique characteres miraculorum falſorum a *Werenſelſio* exhibitos repetit, & ad eos nonnulla illuſtrationis gratia adjungit.

D. GOTTLIEBII GERHARDI TITII JCTI Sereniſſ. ac Potentiſſ. Regis Polon. & Electoris Saxon. in Summo Provocationum Conſilio Conſiliarii, Supremæ Curiæ

Pro-

Provincialis Lipsiensis, nec non Facultatis Juridicæ Assessoris, Codicis in Academia Lipsiensi Professoris publici &c. Disputationes Juridicæ varii Argumenti, publice sub Præsidio ejus in Academia Lipsiensi habitæ, nunc conjunctim editæ, cum Præfatione vitam B. Autoris complectente & Indice triplici locupletissimo.

Lipsiæ, apud Joh. Samuel. Heinsium, 1729, 4.
Alph. 3 pl. 12.

VIvit adhuc scriptis, fama, memoria B. *Titius*, JCtus excellentissimus. In manibus omnium versantur libri ejus philosophici & juridici, quibus de re literaria, præsertim de Jurisprudentia immortaliter meritus est. Ast Disputationes ejus doctissimæ a multis avide, sed, cum paucissimæ amplius prostarent, frustra adhuc quæsitæ sunt. Orbem igitur eruditum & posteritatem bonam mirum in modum sibi devinxit Cons. *Ferdinandus Augustus Hommelius*, dum easdem in unum Volumen collegit suaque cura collectas in publicum rursus prodire jussit; præmissa etiam vita Autoris satis prolixa, quam nos quidem breviter exposuimus in his Actis A. 1714 p. 390. Quandoquidem vero laudatus *Titius* nihil in lucem emittere posse videbatur, nisi quod ingenium sublime spiraret ac solidiori Jurisprudentiæ insignem utilitatem afferret; intererat ad decus & emolumentum Reip. literariæ, publicas tanti JCti Disputationes velut aureas variarum veritatum particulas pretiosasque rerum præstantissimarum gemmas conquirere passim, recuperatasque conservare solicitius. Sunt illæ numero *tredecim*, quas strictim recensere operæ pretium judicamus.

In Disputatione I quæstionem: *An plus valeat, quod est in veritate, quam quod in opinione vel contra?* occasione §. 11 *J. de Legat.* in qua prius, & *l. 15 de Acqu. vel omitt. hered.* ubi posterius asseritur, Noster explicat & decidit, suæque decisionis fundamentum adstruit. Tota Dissertatione in quatuor Capita divisa Cap. I expendit quæstionis præcognita de intellectu, voluntate, veritate & errore § 1 seqq. ac postea de quæstione laudata fert judicium, brevemque simul totius Dissertationis delineatio-

nem facit. Ex ejus igitur doctrina §. 12 sensus quæstionis est: *An ad actionem errore susceptam conservandam vel infirmandam adeoque agenti imputandam vel non, potior habenda sit ratio illius, quod est in veritate, quam quod est in errore?* Ad difficultates, quæ ex diversitate legum modo hoc modo illud asserentium oriri videntur, amovendas §. 15 supponit, decisionem quæstionis absolute dari non posse, sed modo prævalere, quod est in veritate, modo quod est in opinione, prout scilicet ratio diversæ decisionis subest, ut adeo, si veritati in hoc, errori in illo textu prærogativa decernatur, ubique propositiones sint particulares, inter quas nulla contradictio. Fundamentum vero decisionis §. 17 ita breviter repræsentat: scilicet decisionem hic derivandam esse ex consensu agentis. Ut igitur constet, quousque is vel consentire potuerit, vel reipsa consenserit, vel consensus ejus exclusus sit, respici tum ad id, quod est in veritate, tum quod est in errore, & prout agens vel illud vel hoc valere voluit atque velle potuit, ita vel veritatem vel opinionem prævalere dici, rationem autem valoris nec a veritate nec opinione, sed a consensu agentis dependere; de consensu igitur agentis nos esse solicitos non tantum, sed & de facultate consentiendi: de qua ut constet, videndum esse, utrum ad actum aliquem certa quædam requisita desiderentur, nec ne: nam illo casu in valorem actus agentem demum consentire posse, si requisita adsint, si vero absint, frustra consentire, nisi sit ipse superior vel in actibus privatorum lex consensum juvet, §. 17, 18. Applicatio in sequentibus deinde Capitibus instituitur. Cap. II Autor differit de Prærogativa veritatis & opinionis *communis*, Cap. III de Prærogativa veritatis & opinionis *singularis*, in *ultimis voluntatibus*, Cap. IV in *contractibus*, variisque exemplis doctrinam antea memoratam illustrat. Inter alia occurrit ex *l. 3 ff. de offic. Prat.* exemplum servi fugitivi Barbarii Philippi, qui communi errore liber habitus, ad summum Prætoris fastigium evectus fuerat. Quærebatur de valore actuum in Prætura editorum? Valuisse affirmat Ulpianus. Quod recte pronunciatum Noster existimat, quia populus Romanus hoc voluit & velle potuit, ex eo autem causa valoris dependit, error occasionem

nem solum præbuit, & utilitas publica concurrens impulit, C. 1 §. 26—38. Verum si quis rem suam quasi alienam leget, valet legatum juxta §. 11 *J. de legat.* Hic enim sive spectes, quod est in veritate, sive quod in opinione, legatum exitum habere potuisset, cum proprietas legantis requisitum necessarium ad actum legandi non sit per §. 4 *J. de Leg.* adeoque sola quæstio de consensu seu voluntate legantis hic agatur, nec veritate nec opinione prævalente, §. 53. Aliud est in §. 50, ex *l.* 1 *d. Jur. Codicill.* ubi testamentum conditurus putat, se debitam adhibuisse solennitatem, cum adhibita non sit, vultque ut testamentum sub ista conditione valeat, actus non valebit, quia & necessaria qualitas & consensus deficit, adeoque veritas prærogativam tenet; si autem agens velit, ut actus subsistat, utut deficiat qualitas necessaria, voluntas hactenus inefficax erit. Ceterum uti Cap. 1 §. 24 libere judicat, JCtos quæstione de prærogativa veritatis & opinionis utilem, planam & elegantem de valore & imputatione actuum humanorum errore susceptorum materiam fecisse obscuram, difficilem & tædiosam, idque demonstrat ibidem: ita præter ea, quæ hic enodaverat optime, planius tamen & accuratius rem totam explicat in *Jure priv. L.* 1 *c.* 2 *§.* 3, ubi, mentione facta præsentis Dissertationis, quæstionem illam de prærogativa veritatis & opinionis ad difficiles Romanorum nugas refert.

In Disputatione II de *Obligatione ex testamento imperfecto*, iis, quæ de obligationis & juris indole hic supponi debent, præmissis §. 1—21, quæstio, quæ semper interpretum ingenia exercuit, an ex tali testamento naturalis oriatur obligatio, nec ne? deciditur. Primo Noster expedit quæstionem præjudicialem: *An lex positiva impedire possit, ne obligatio naturalis ob factum præcedens oriatur?* eamque tam intuitu delictorum, quæ aliquando unice ob aliquam circumstantiam superioris voluntate mutandam talia sunt, quam intuitu factorum licitorum, affirmat: ratione delictorum, quia circumstantiam tollendo factum alias illicitum ad conditionem indifferentem reducere potest atque sic efficere, ne lex naturalis ad hoc factum applicari, nec obligatio illicita factum sequi solita locum hic ha-

bere queat: ratione factorum licitorum, quia modus impediendi est idem, qui in delictis, inversus tantum, propter factorum diversitatem, & sicut in delictis obligationem impedit legislator, ea ad statum indifferentem reducendo, ita vice versa in factis licitis obligationem oriri haud patitur, eadem prohibitione sua efficiendo illicita. Illam autem prohibitionem habere vim legis positivæ solidis rationibus amplius demonstrat §. 22-31. Deinde obligationis perfectæ & imperfectæ, itemque testamenti indole exposita §. 32-43, Clariss. Autor transitum facit ad quæstionem principalem: *An non heredes legitimi naturaliter seu vi conscientiæ obligentur ad hereditatem heredi in testamento imperfecto nominato relinquendam, vel si eam possideant, restituendam?* §. 42 – 48. Totius quæstionis cardinem in justa potestatis, quæ Imperanti circa obligationis naturalis existentiam competere potest, explicatione, ejusdemque voluntatis suppositione verti docet §. 49 & cum ea omnia, quæ ad impediendam obligationis naturalis existentiam requiruntur, *potestatem* nempe, *voluntatem* & *modum*, hic facile demonstrari posse existimet, *negativam* quæstionis *decisionem* amplectitur atque ab omni obligatione heredes ab intestato absolvit. Quod obligationis naturalis ortum in actibus licitis, quorum exemplum est testamentum, impedire possit Imperans, & quomodo hoc fieri soleat, antea §. 27, uti etiam nos annotavimus, demonstraverat; nunc vero quod Imperans intuitu testamenti imperfecti hoc facere voluerit, probandum erat. Quam probationem §. 50 sic instruit vir judicio validissimus: „Scopus, inquit, ob quem solennia introduxit „superior, fuit, ne temere jus heredum legitimorum interciperetur iique ad relinquendam aliis hereditatem obligarentur, arg. „*l. 19, 24, 28 in f. C. d. Testamentis.* Quodsi jam præscriptis so„lennibus testaturo reliquit facultatem, solennia ista negligendi „ac heredibus legitimis naturalem obligationem testatione imper„fecta imponendi, ejusdem legislatio vel superflua vel injusta est. „Aut enim vult, ut heredes obligationi satisfaciant, aut ut eam ne„gligant: si prius, superflua est, vult enim, ne heredes facile re„stituere vel relinquere debeant hereditatem, & tamen, ut semper

per ad arbitrium testatoris id faciant, maxime cum teneræ,, conscientiæ hominibus obligatio naturalis eodem loco sit, quo,, civilis; si posterius, injusta est, dum suadet, ut heredes pecca-,, tum committant; oportuit igitur legislatorem prohibere testa-,, mentum imperfectum, siquidem noluit nihil agere aut injusti-,, tiæ notam incurrere.,, Immunes ita ab obligatione naturali heredes legitimos habere jus, ob quod non tantum in foro externo, sed & salva conscientia hereditatem petere possunt, eique in herede minus solenniter scripto respondere obligationem, ob quam non tantum hereditatis petitionem, si in possessione sit, recipere, sed & ultro hereditatem restituere teneatur, ita ut secus faciendo peccet in conscientia, ostenditur, rejectis *Soti*, *Grotii* & *Huberi* opinionibus §. 51. Posthæc additur decisionis limitatio, nonnullarum legum explicatio, Triboniani contra *Bachovium* defensio, & Præjudicium Helmstadiense §. 52—56. Denique Autor §. 55 usque ad finem pro decisione sua tam illustranda quam confirmanda consentientium (*Soti*, *Covarruviæ*, *Hilligeri*, *Hahnii*, *Struvii*, *Huberi*) & dissentientium (*Molinæ*, *Manticæ*, *Amesii*, *Fachinæi*, *Ludwelli*, *Bachovii*, *Franskii*, *Vinnii*) rationes adducit, & quid in iis desiderari, his opponi queat, erudite ostendit.

Disputatio III plane contra communem Doctorum opinionem de *Contractu literali* directa est. Vulgo existimant *datione Chirographi* peculiarem *contractum literalem* esse initum. Autori nostro sententia *Bachovii* contraria placuit, eique penitus persuasum est, *Chirographum datum saltem pertinere ad probationem, contractum autem vel nullum, vel mutui similemve subesse, ac inde obligationem debitoris oriri.* §. 1, 2, 3, 4. Cujus sententiæ veritatem probat 1) ex intentione actoris, in mutuo vel simili negotio actionem fundantis, rei, exceptione sua fundamentum illud negantis, ac processus exitu, cum, prout vel actoris vel rei intentio ad liquidum deducta, ita vel condemnatio vel absolutio sequatur; 2) ex eo, quod datio chirographi etiam occurrat circa negotium liberatorium, manifesto indicio, eum per se non esse contractum, sed tantummodo negotium probatorium, quod circa negotia obligatoria & liberatoria versatur;

 satur;

ſatur; 3) ex ſilentio veterum JCtorum. §. 5, 6, 7. Quæ huic doctrinæ opponi ſolent, diſcutiuntur §. 8, & rationes ſententiæ communis prolixe refelluntur, addita ſimul conjectura, qui factum ſit, ut peculiaris Contractus Chirographarius assereretur, nimirum juris civilis ſanctionem, qua actori intra biennium a tempore dati chirographi neceſſitas probandi imponitur, fabulæ anſam præbuiſſe, cum, ſi chirographum ſub conſuetis probandi regulis fuiſſet relictum, nemini tale quid in mentem veniſſet. §. 9, 10, 11, 12, 13. Miſſa deinceps negotii qualitate, Autor ad ſecundum Diſſertationis Caput progreſſus, *quid circa dationem chirographi ſit juſtum*, explicat. Quæ quæſtio ſecundum ejus doctrinam tria continet 1) *an ex chirographo conventus, exceptionem non numeratæ pecuniæ opponere vel alio modo ſe defendere queat?* 2) *quis probare debeat?* 3) *an reus condemnandus vel abſolvendus?* *Prima* quæſtio, ex præcepto de nemine lædendo tam jure naturali, quam civili aſſeritur, *tertia* utroque jure ſecundum probationem faciendam deciditur, numeratione probata, reus condemnatur, non probata, abſolvitur. Verum quod ad *mediam* attinet, ſecundum naturalem æquitatem, excipiens probare debet, quia chirographum contra ipſum pro actore facit præſumtionem. Sed jus civile ab ordinaria probandi regula hic receſſit, actori intra biennium a tempore dati chirographi agenti neceſſitatem probandi impoſuit, addita ſimul contra reum mendacii conveniente pœna §. 14, 15, 16. Ad iſtam juris civilis ſanctionem quatuor notavit Autor, 1) *moralitatem*, æquam illam eſſe plerique contendunt, ſed id falſum & ex contraria parte exceptionem naturalem ſeu non privilegiatam æquam quidem eſſe, non hanc civilem ſeu non privilegiatam, luculentis rationibus Noſter evincit §. 17, 18, 19, 20, 21; 2) *Senſum*, quæritur enim vel de circumſtantiis confeſſionis vel de perſonis, a quibus, & negotiis, in quibus fit confeſſio, quæ omnia latius diſcuſſa §. 22 ſeqq. usque ad §. 40, ac ſpeciatim §. 26, 27, 28 demonſtratum, inſtrumentis paratam executionem habentibus non poſſe opponi exceptionem non numeratæ pecuniæ privilegiatam, obſtante natura proceſſus executivi,

cutivi, aliud esse in exceptione non privilegiata, si reus hanc in continenti probare queat. 3) *Usum*, nempe obtinere illam dispositionem, si recepta, quæ fusius iterum deducta §. 41 usque ad 51. 4) *Epicrisin*, esse illam sanctionem *iniquam*, *inutilem*, *incertam*, hinc rectius prospici negotiis humanis, si ea neglecta merum jus naturæ observaretur. §. 52 53.

Disputatio IV de *Fictionum Romanarum Natura & Inconcinnitate*, occupatur circa fundamenta Jurisprudentiæ a nævis vindicanda. Nimirum Jus Romanum ejusque interpretes, præcipue antiquiores, fictionibus abundant, quod institutum a plerisque (si non præsentis, tamen illius temporis interpretibus, quo scripta Dissertatio) censetur elegans & necessarium, ab Autore ineptum & inutile; hinc in præsenti Dissertatione 1) *Naturam fictionum explicat*, 2) *earum inconcinnitatem ostendit* §. 1. 2. Memorata diversa illa suppositione, Noster observat, fictiones Romanas dupliciter accipi, vel pro ipsa falsi assumtione, vel pro lege, quæ istam falsi assumtionem habet adjunctam; hinc primo respectu eam definit, quod sit *assumtio falsi pro vero scienter & aperte facta, mediante qua ultro dispositio aliqua legis proponitur*; secundo autem *ipsa legis dispositio sub memorata falsi assumtione ultro proposita*, §. 3, 4, 5, 6. Priorem definitionem Autor amplius explicat ac deinceps contra vulgaria præjudicia asserit, *quod fictionis circa leges ferendas aut explicandas nulla plane sit necessitas*, idque duplici modo probat, ostendendo, primo quod in potioribus exemplis fictiones abesse potuerint, secundo quod leges similes adhuc sub fictionibus non propositæ, sub ejusmodi etiam commento proponi possint, §. 7, 8, 9, 10 seqq. Ex hoc supposito porro concludit, *Azonis*, fictiones ad decem prædicamenta revocantis, aliorumque solicitudinem de varietate fictionum v. g. affirmativarum, negativarum, translativarum, supervacaneam esse, vana etiam & inepta Brocardica aliaque dogmata vulgo tradi solita v. g. quod in Statutis fictiones locum non habeant, impossibile fingi non possit, fictio fictionis non detur &c. §. 31 usque 71. Quando vero interpretes causam fictionum impulsivam faciunt *æquitatem* & *necessitatem*, Noster ex iis, quæ antea supposuit, ista

ista omnia falsa & inepta pronunciat, & majori forte jure *Imperitiam*, aut leges antiquas, licet iniquas aut inutiles, *custodiendi pervicaciam* fictionum causam allegari posse existimat §.40. Postquam hæc de *natura* fictionum juris disseruit, earum quoque *Inconcinnitatem* probat. Licet enim magnis elogiis illorum usum extollant v. g. quod, uti *Altesserra* putat, totum corpus Juris, maxime Digestorum, fictionibus ut cœlum stellulis micet, qualia §. 72–75 Dissertatio refert; Noster tamen, fictiones *nullam habere utilitatem, rem vero planam & cognitu necessariam involvere, ac ineptiis ansam præbere* §. 72 seqq. demonstrat, illoque Disputationem obsignat: *Turpe est, difficiles habere nugas, & stultus labor est ineptiarum.*

Disputatione V de *Jure Metallorum*, B. Autor post varios aliorum labores, egregiam utilissimamque præstitit operam. Multa enim in tractatione aliorum hic desiderari poterant, sive ordinem tractandi, sive tractationem ipsam consideres: quamobrem id inprimis negotii sibi sumsit Noster, ut *Utile* & *Justum*, quod hic frequenter misceri solet, recte distingueret, ac deinceps summa capita methodo plana & naturali constitueret, ad quæ omnes quæstiones, ad moralitatem rei spectantes, facile referri queant. Exposito metallorum nomine primo agit de *Utili*, seu de quæstione, quæ sit metallorum habitudo intuitu vitæ civilis, ubi regulas prudentiæ circa metalla investiganda, eruenda ac ad usum vitæ civilis præparanda expendit § 1 usque ad 10. Deinceps Noster progreditur ad expositionem ejus, quod *circa rem metallicam justum aut injustum est*, ubi primo expedit quæstionem de dominio metallorum originario, & cui illud in civitatibus sit tribuendum? quod is Reip. & Imperanti tribuit, quo fundamento idem nitatur, quid sub se comprehendat, quid Germanos impulerit, ut ad Imperantem illud referrent, exponit, Jus Romanum, quod metalla rem nullius esse putat, cum Germanico comparat, dominium metallorum privatum apud Romanos non fuisse universale existimat, *Linckium* aliosque qui Romanorum sententiam juri naturali magis consentaneam ✠ in Germania receptam statuunt, refutat §. 11 usque 23. Postea docet,

docet, Imperantem aliquando sibi dominium reservare, plerumque vero privatis concedere, ac posita hac Imperantis concessione *Jus Regale Metallicum* constare 1) aliqua particula, *quæ ex Dominio originario* superest, quo pertinet jus exigendi Canonem metallicum, jus protimiseos, aliaque, 2) *Imperio*, vi cujus exercitium metallurgicum dirigit Imperans, dum leges metallicas fert, officiales ac operarios constituit, rationem fodinas acquirendi determinat, quid alios facere oporteat, ostendit, ac denique modum procedendi definit, §. 24. Idcirco Noster §. 25 usque ad finem considerat 1) *Officiales*, 2) *Metallicos*, 3) *Jura eorum, qui fodinas colunt*, 4) *Obligationem reliquorum subditorum*, 5) *Processum metallicum*, quibus per modum appendicis subjicit 6) *Obligationem Imperantis*, ac tandem 7) *Quid nam metallicam destruat*, atque hæc capita singula ordine accurato, expositione distincta, decisione solida pertractat. Et hæc hactenus: reliquarum Dissertationum recensionem alio tempore inferemus.

JO. FRIDERICI WEIDLERI COMMENTATIO de Aurora Boreali, d. XVI Novembris, A. cIↄ Iↄccxxix.

Vitembergæ, sumtibus hered. Gerdesian. 1730, 4.
Plag. 9.

CONspectus auroræ borealis perinsignis, quæ mense Novembri anni proxime elapsi longe lateque per Europam enituit, occasionem subministravit Clarissimo hujus Commentationis Autori, illius lucis nocturnæ indolem & causas, studiosius, atque ab aliis adhuc factum esse constat, pervestigandi. *Capite* igitur libelli *primo* historia auroræ borealis nuper visæ concinne traditur, ex qua intelligere licet, eam inter illustriores & durabiliores esse referendam. Nam præter arcum atrum sub septentrionibus, albo margine cinctum, & auroram admodum luminosam isti imminentem, columnas & undas lucidas, mira varietate per maximam cœli partem distribuit, & lucidis sursumque acuminatis virgis, umbellam tentorii specie prope verti-

 cem

cem subinde produxit; inprimis cœli spatia rubicunda, eaque amplissima, prope boreum cardinem, stuporem spectatoribus incusserunt. Motus autem & fluctuatio hujus lucis ab hora sexta vespertina per totam noctem fuit observata. *Capite secundo* disseritur de statu aeris, qui nuperam auroram præcessit & secutus est, & p. 19 index meteorologicus totius mensis Novembris ob lectoris oculos ponitur. Memoratu digna est mutatio status auræ terrestris, quam diebus XVI & XVII Novembris barometrum prodidit. Nam cum die XVI Novembris mane argenti vivi perpendiculum fuisset 27 dig. 6½ lin. pedis Parisini, vespera ejusdem diei idem crevit usque ad 27 dig. 11½ lin. totoque die XVII Novembris, qui inusitatam præ se tulit serenitatem, ibidem substitit. *Capite tertio* legitur historia brevis luminum borealium antehac observatorum, fecitque eodem operæ pretium Autor, dum ex scriptoribus antiquis pariter ac recentioribus auroræ borealis indicia collegit. Quem in finem refert testimonia *Aristotelis*, *Plinii*, *Senecæ*, & ex sequiori ævo exempla plurima luculentissimaque laudat, ex quibus nonnulla ad seculum Christianum VI, IX, X, XI pertinent. Ex seculo XVI enumerat sequentia: A. 1518, 1523, 1560, 1564, 1574, 1580, 1581, 1582. Ex seculo XVII A. 1621, 1629, 1672, 1682, & ex seculo præsente XIIX A. 1707, 1710, 1716, 1717, 1719, 1721, 1726, 1727, 1728. Hac recensione defunctus p. 34 de phænomenis lucis septentrionalis, quemadmodum in Suecia, Norwegia, Spizberga, Grœnlandia, Lapponia & Russia apparuerunt, uberius exponit. Tandemque progreditur ad *Caput quartum*, quod caussis laudatorum antea spectaculorum destinatum est. Injecta igitur hypothesium, quales a *Cartesio*, *Gassendo*, *Halleio* & aliis pro lumine arctoo declarando excogitatæ fuerunt, suam postea sententiam affert, & phænomenis illustrandis accommodat p. 53. Scilicet probat experimento simili effluviorum lucidorum, supra Vesuvium & Ætnam, nocturno tempore, etiam tum, quando montes illi ignes non eructant, conspectorum, lumen aquilonare spargi a materia sulphurea revera incensa. Porro ex Islandiæ, Grœnlandiæ & vicinarum terræ partium descriptionibus, quas viri fide digni dederunt, ostendit, illius generis materiam

riam maxima copia in regionibus arctois reperiri, & inde in aerem imminentem, aliarum more exspirationum, solis, vel, cujus major in illis locis potestas esse videtur, intestini caloris æstu attolli, & a frigore condensatam, ulterius protrudi, in arcus formam componi, & a radiis solaribus, qui pluribus refractionibus & reflexionibus longius propagati sunt, accendi. Postquam sic inflammata est sulphureorum halituum congeries, primum quidem lumen ejus passim a vaporibus aliis conglaciatis, multumque in atmosphæra remotis, repercuti, & sic auroræ speciosissimum tractum, aliasque lucidas & quietas nebulas in conspectum proferri existimatur. Ad explicandam autem mirabilem virgarum, columnarum, & undarum luminosarum diffusionem, commendatur sententia *Halleiana*, secundum quam motu atomorum magneticarum, ex regione poli magnetici, cui fere arcus atri medium, qui totius luminis fomitem continet, incubat, exeuntium, adhærentes iisdem halitus lucentes, longe lateque per atmosphæram dissipantur, & speciatim in meridiem & ortum, diriguntur, ut, dum idem contingit, etiam tentorii prope verticem effigies monstretur. Altitudinem vaporum lucentium supra terram ægre definiri posse Cl. *Weidlerus* censet, quia tanta spectrorum varietate & subita eorum progressione, incerta omnis & dubia redditur observatio. Interim concedit, quod supra atmosphæram, vi materiæ magneticæ, halitus inflammabiles valde attenuati in ipsum usque ætherem abripi possint, quemadmodum cometarum prope solem vehementer incalescentium effluvia, caudarum figura longissime per cœlum porriguntur. Hæc & alia eodem spectantia argumenta copiosius in libello, quem laudamus, explicantur, & sub finem aliqua de hujus luminis infrequentia, & observationum defectu, nec non de vi, qua ad aerem commovendum polleat, in medium proferuntur.

MATTHIÆ GLANDORPII, BREMENSIS Medici Clarissimi, Opera omnia, antehac seorsim edita, nunc simul collecta & plurimum emendata.

Londini, impensis F. Gyles, C. Davis & Vandenhoeck, 1729, 4.
Alph. 2 pl. 9 Tab. æn. 1.

DE pretio horum Operum si non aliunde constaret, satis esset ad eorum commendationem, quod nunc primum junctim ab Anglis recudi meruerunt. In Epistola Amici, Præfationi inserta, ex his ipsis Operibus docemur, natum fuisse Autorem A. 1595 Coloniæ Agrippinæ, patre Ludovico, celebri Chirurgo; Bremæ studiis incubuisse, ac postea in Academia Coloniensi, inprimis vero Patavii, ubi in dissectorum publicorum numerum receptus, ac Doctorali laurea insignitus est; hinc ex Italia reducem anno ætatis 23 Bremæ Medicinæ & Chirurgiæ faciendæ causa sedem fixisse, & postea Celsiss. Principis Archi-Episcopi Bremensis Medicum ac Reipublicæ Physicum constitutum, ibidem, quæ propria experientia & librorum præstantissimorum assidua lectione didicerat, subinde in lucem edidisse. Prodiere vero quatuor illius scripta, nimirum A. 1619 *Speculum Chirurgiæ*, A. 1623 *Methodus medendæ Paronychiæ, cum Decade Observationum*, A. 1628 *Tractatus de Polypo narium affectu gravissimo, Observationibus illustratus*, & A. 1633 *Gazophylacium Polyplusium Fonticulorum & Setonum*: quæ adeo hic uno Volumine continentur.

MULIEBRIA HISTORICO-MEDICA.
i. e.
PARTIUM GENITALIUM MULIEBRIUM Consideratio Physico-Medico-Forensis, Autore D. MARTINO SCHURIGIO, Physico Dresdensi.

Dresdæ & Lipsiæ, apud Christoph. Hekelii B. Filium, 1729, 4.
Alph. 2 pl. 7½.

POst *Parthenologiam*, quam superioris anni mense Decembri pag. 543 commendavimus, *Muliebria* nunc sistit Clariss. *Schurigius*, organa scilicet mulierum, humani generis propagationi primario dicata, id est, pudendi muliebris tam externas quam internas, ut & interiores partes genitales investigando. Inveniet hic Lector curiosus varia de Clitoride, & Tribalismo, de Hymene & Nymphotomia seu fœminarum circumcisione & castra-

ſtratione, tam probatorum Autorum quam propriis *Schurigii* obſervationibus illuſtrata. Quas e propria penu ſuppeditavit obſervationes Noſter, paucis pro more videbimus. Pag.19 commemorat puellam, quæ a quinto ætatis anno ſæpiſſime labia oris magna, turgida, atque inflata quaſi habuit, hocque tumore ſubinde, inprimis decreſcente luna, evaneſcente, vel ſubſidente, pudendi labia tumida patiebatur, hancque viciſſitudinem ad annos pubertatis usque experiebatur, donec apparente demum menſium fluxu ab utroque labiorum & oris & pudendi tumore fuerit liberata. Pag. 65 rupto abſceſſu inteſtini recti excrementa alvina ſimul per pudenda alvina, & urinam per anum prodiiſſe refert. P. 84 puellam vidiſſe ſe refert triennem, cui ad fabæ magnitudinem extra vulvæ labia prominuerit clitoris, a crebriore partis hujus contrectatione & vellicatione tantam molem nacta; quemadmodum & pag.135 nympharum extra pudendi labia propendentium bina allegat exempla: & autopſia edoctus, uteri ſubſtantiam in gravidis non modo in fundo, ſed etiam circa latera tempore partus incraſſari, pag. 244 aſſeverat. Mentionem etiam pag. 289 facit fœminæ, quæ poſt editum fœtum ingentem hydatidum, uvarum racemorum ad inſtar ſibi invicem connexarum, cumulum ex utero ejecit. Denique quæſtionem Medico-Forenſem pag. 117 dirimit: an matrimonium fœminæ, nimia clitoride vel alia excreſcentia præternaturali, cauda dicta, laboranti, ſit interdicendum vel diſſolvendum?

DE LA MANIERE D'ENSEIGNER ET D'ETUdier les belles lettres.

id eſt,

METHODUS DOCENDI AC DISCENDI literas elegantiores, *Autore* CAROLO *ROLLINO.*

Tomus III & IV.

Lutetiæ, apud Jac. Stephanum, 1728, 12 maj.

Alph. 2 pl. 9½.

PRiores duos hujus Operis Tomos, quos A. 1727 p. 117 sqq. recensuimus, eo favore excepit Gallia literata, ut altera jam, eaque emendatior & paulo locupletior, editio prodierit. Tertius hic Tomus quicquid boni habeat, Cl. Autor in Præfatione fatetur, se ab aliis autoribus sumsisse mutuum, atque hic congessisse in unum. Quare nos erimus in recensione breviores, maxime cum iterum *p. 19* doceat, se hæc scripsisse in usum tironum, neque ideo mirandum, quod, quæ afferat, eruditis jam sint cognitissima. Tractaturus autem hoc Tomo studium historiæ, in *Libri IV* (is enim nunc sequitur,) procemio persequitur utilitatem historiæ, &, quicquid statuit, subjectis elegantissimis locis veterum sibi suffragantium perdocte illustrat. Ceterum in *prima* hujus libri *Parte* informat judicium (*gustum* more patrio vocat,) *de vera gloria*. Scilicet visum est Cl. Autori initio ponere fundamenta, e quibus adolescentes historiæ studium tractantes vere judicare queant de pretio humanarum actionum, & veram honestatem discernere a falsa. Docet igitur, magnum gloriaque dignum hominem non facere divitias, luxum, dignitates, nativitatis nobilitatem, victorias, imo ne ingenii quidem doctrinæque excellentiam, sed unam virtutem. Singula hæc illustrat exemplis insignioribus ac testimoniis maximi ponderis copiosissime: nec dubitamus, moralem hanc Dissertationem lectoribus fore perjucundam.
p. 145. *Secunda Pars* est *de historia sacra*. Hujus priore *Capite*, postquam istius historiæ prærogativam præ cetera historia exposuit, indeque confecit, esse hanc historiam omnium minime in scholis negligendam, imo ita tractandam, ut discipulorum animi convertantur ad admirandum & colendum Numen, & ad agnoscendum e typis Veteris Testamenti Christum; regulas præscribit historiam sacram persecuturis. Hic itaque docet, Chronologiæ habendam esse rationem, exclusis tamen subtilioribus Chronologorum disputationibus; Israelitarum ritus & mores cognoscendos esse tironibus, itemque ingenium & indolem illius populi; denique exemplis in sacro codice propositis manuducendos nos esse ad omne vitæ genus sancte & prudenter agendum, & contemplandas Dei virtutes. Illustriora hæc *Capite II* facit exemplis. Ac pri-

primo quidem Josephi patriarchæ historiam pertractat, atque ex ea docet, errare eos, qui pios putent felices esse in hac vita debere; Deum in maximis calamitatibus dedisse Josepho indicia suæ providentiæ; Josephum in sua miseria non fuisse miserum, sed æquissimo & tranquillissimo animo; Deum casibus Josephi usum esse ad optimum finem, ut scilicet fratres ejus in Ægypto victum haberent; tentationes ad peccandum superari debere cogitatione legis divinæ & metu Numinis; non esse odio prosequendos eos, qui nos multis affecerunt malis & incommodis; Deum suos subinde diu relinquere in malis, ut firmiorem reddat ipsorum virtutem; pietatem facere optimos Reip. administratores. Ultimo loco plures ostendit similitudines inter Josephum & Christum. Eodem modo pertractat historiam liberationis Hierosolymæ regnante Hiskia factæ: concionatoribus etiam exemplum præbens, quomodo e sacra cathedra sacram tractare debeant historiam. Tum demonstraturus, quem in modum sint tractanda Veteris Testamenti vaticinia, Danielis explicationem statuæ Nabuchodonosori per somnum oblatæ considerat, ac simul ostendit, confirmari inde lucidissime divinam religionis nostræ originem. *Pars tertia* dicata est *historiæ profanæ*. Etiam hic prius modum commonstrat recte tractandi historiam, deinde exempla sistit ejus, quam veram justamque censet, tractationis. Docet igitur *Cap. I* ordinem hic servandum esse, ut in certa intervalla discerpatur historia; Chronologiam cum Geographia esse cognoscendam; noscendas leges & consuetudines singularum gentium; veritatem rerum narratarum esse investigandam; rimandas causas eventuum; cognoscendas naturas & ingenia populorum, itemque singulorum hominum in historia eminentium; (quod quidem argumentum ita tractasse ait *Bossuetum* in libro suo *de historia universali*, ut satis digne laudari nequeat:) ex historia deduci oportere conclusiones ad sapienter formandos mores & prudenter agendam vitam; denique observari in historiis debere, quæ nos confirment in vera religione. Exemplis aliquot hæc universa persequitur in *Capite II.* Unam de Cyro historiam, quæ primo loco ponitur, considerabimus: ex qua con-

p. 263.

289.

concludit, a bona educatione pendere & sanitatem corporis & rectitudinem animi; sobrietatem esse magnum decus Principis; regum magnitudinem non consistere in magnificentia vestium, conviviorum, comitatus, sed in virtute, in humanitate, liberalitate, fortitudine, scientia militari, sobrietate, continentia, pietate erga Deum, prudentia, studio felices reddendi cives suos. Hinc
p.347. judicium fert de Cyropædia *Xenophontis*, & de *Herodoti* narratione de Cyro, hanc pro fabulosa rejiciens, illam tanquam cum Scriptura S. convenientem veris adjungens historiis. Missas facimus, quas Cl. Autor noster deinceps exponit similibusque meditationibus exornat historias de Rep. Atheniensi, (ubi & exhibet characteres, quos vocant, *Themistoclis*, *Aristidis*, *Cimonis*, & *Periclis*,) de Rep. Lacedæmoniorum, de Rep. Thebanorum tempore Epaminondæ, & de liberatione Syracusarum per Dionem facta & Timoleontem. Illud libenter agnoscimus, pragmaticam historiæ tractationem hic habere specimina egregia. Qua-
517. le & sequitur, cum Autor defertur ad Romanam historiam, ejusque imperii contemplatur fundationem per Romulum & Numam, itemque priscorum Romanorum fortitudinem, sapientiam, frugalitatem, religiositatem, ac libertatis acerrimum studium.

Tomi quarti, ejusdemque ultimi, initio pergit *πραγματικῶς* tractare historiam Romanam, & quidem ex ea primo bellum Punicum secundum, deinde bellum Macedonicum primum, tum bellum adversus Antiochum M. gestum, hinc secundum bellum Macedonicum, postremo conversionem Romanæ Reip.
259. in monarchiam. Hinc Dissertationem exhibet *de fabulis & antiquitatibus*. Et fabularum quidem cum de origine, tum de utilitate disputat paucis. Ortas videlicet fabulas esse existimat partim e corruptione sacræ historiæ, partim ex falsa interpretatione doctrinæ de angelis deque divina providentia, partim ex nimia veneratione Principum & singulari sapientia præditorum hominum, partim ex studio peccata sua excusandi similibus flagitiis Deorum. Utilitatem vero fabularum in eo ponit, ut agnoscamus nostram a tam absurda religione ad veram traductorum felicitatem: ut compositos a Patribus ecclesiæ libros de veri-

veritate religionis Christianæ & falsitate contrariarum religionum intelligere possimus: ut præstantissimos cum Græcos, tum Latinos scriptores, imo & picturas veteres, possimus intelligere. De antiquitatum studio perbrevis est Cl. Autor, differens de ejus abusu pariter ac vero usu. Speciminis gratia ostendit, ex antiquitatibus disci, priscos equites caruisse usu stapedum, veteres item non habuisse vitreas fenestras, non linea indusia. Agit etiam de honoribus, quos vetus ætas viris doctrina claris tribuit, itemque de mensuris temporum & locorum, deque veterum monetis.

Sequitur *Liber quintus*, quo Autor agit de Philosophiæ studio, & adolescentes studiosos exhortatur ad id colendum, repræsentans iis variam ejus utilitatem ad recte formandos mores, ad acuendum judicium, ad cognoscendas causas rerum, denique ad firmandam religionem. Multa hic profert loca ex Autore *Artis cogitandi*, aliisque Philosophis, simul dolens, se adolescentem parum operæ posuisse in Philosophiæ studio. p. 317.

Libro denique *sexto* eam præscribit institutionem scholasticam, quæ ipsi videtur optima. Initio, postquam docuit, plurimum interesse reipublicæ, ut sapienter instituatur juventus, pluribus disquirit, publica an domestica puerorum institutio sit præferenda, subscribens tandem *Quintiliano*, addens tamen, utramque institutionem commode posse conjungi. Hinc rem aggressurus ipsam, monet, se duces hic secuturum esse *Fenelonium & Lockium*, quorum illum constat de filiarum, hunc de liberorum educatione pulcherrimos libros reliquisse. Cum igitur hi libri satis noti sint, etiam in Germanicam linguam conversi conjunctimque editi, brevissima esse debebit nostra recensio. Indicamus proinde, doctissimum Autorem differere 1) de fine & scopo educationis, 2) de cognoscendo educandi pueri ingenio, 3) de necessitate autoritatis magistri apud discipulos, 4) de pœnis & castigationibus puerorum, 5) de tempestiva laudatione discentium, 6) de assuefaciendis pueris ad veracitatem, itemque ad morum elegantiam, 7) de modo studium literarum reddendi jucundum & amabile, 8) de officio magistrorum. Speciatim hinc persequitur officia Rectoris scholæ, (quod munus 413. 439. 521.

R per

perdiu se gessisse, Cl. Autor profitetur,) Præceptorum, parentum, atque discipulorum. Illud postremo loco observamus, *p. 609 sqq.* comœdias scholasticas rejici satis longa hujus argumenti tractatione.

MEMOIRES POUR SERVIR A L'HISTOIRE, &c.

h. e.

COMMENTARII HISTORIÆ CELEBRIum in Rep. literaria virorum inservientes. Accedunt Catalogi librorum a quoque scriptorum, de iisque judicia.

Tomus V, VI & VII.

Lutetiæ Paris. apud Briassonium, 1728 & 1729, 8.

Tomus quisque habet pl. 18 & totidem plag. dim.

CUm jam supra satis cognoverimus doctissimi Autoris consilium, posthac tantummodo nominandi erunt lectoribus nostris ii, quorum vitæ in hisce libris describuntur, addito librorum a singulis editorum catalogo, qui variis distinctus est eruditorum hominum, imo & Autoris ipsius, judiciis. *Tomo* igitur hoc *quinto* habes vitam & libros *Martini Aspilcuetæ*, vulgo dicti *Navarri*, m. 1586 anno ætatis nonagesimo quinto; *Æmilii Ferreti*, m. 1552; *Joannis Seldeni*, m. 1654; *Petri Pithœi*, (cujus & sapientissimum testamentum hic exhibetur,) m. 1596; *Antonii Varillasii*, (quem non esse historicum fide dignum, fatetur Autor, ejusque rei causas producit,) m. 1696; *Octavii Ferrarii*, m. 1682; *Octaviani Ferrarii*, m. 1586; *Dionysii Sammarthani*, m. 1725; *Jacobi Usserii*, m. 1655; *Andreæ Vesalii*, m. 1564; *Josephi Antelmii*, m. 1697; *Gerardi du Bois*, m. 1696; *Titi Livii*, historici Romani; (statuit scilicet Cl. Autor, posthac singulis suis Tomis inserere vitam vetusti cujusdam scriptoris) *Papirii Massonii*, m. 1611; *Mellini de S. Gelais*, m. 1558; *Francisci Villonii*, qui sæculo XV vixit; *Marsilii Ficini*, m. 1499; *Henrici Valesii*, m. 1676; *Augustini Valerii*, m. 1606; *Antonii Teissierii*, m. 1715; *Christoph. Cellarii*, m. 1707; *Francisci*

cisci Eudesii Mezerai, m. 1683; *Jo. Petri Maffai*, m. 1603; *Richardi Cumberlandi*, m. 1719; *Philippi de la Hire*, m. 1718; *Laurentii Bellini*, m. 1703; *Joannis Hudsoni*, m. 1719; *Francisci Seraphini Regnerii Desmarais*, m. 1713; *Theophili Boneti*, m. 1689; *Joan. Baptistæ Boisoti*, m. 1694; *Thomæ Erpenii*, m. 1624; *Michaelis Angriani*, vulgo dicti *Bononiensis*, m. 1400; *Josephi Texeira*, m. 1620. Docendus ultimo loco Lector noster est, tres hic vitas exhiberi nunc primum singulari studio elaboratas, *Titi Livii*, *Æmilii Ferreti*, & *Michaelis Angriani*. Ac hujus quidem de vita & libris potiora repetere volebamus, cum recordaremur, jam satis copiose de eo disseruisse *Oudinum*, cujus Opus *de Scriptoribus ecclesiasticis* hac in urbe paucis abhinc annis editum est, *T. III p. 1035 sq.* quem locum non indicavit Cl. Autor inter eos, quos de *Michaele* illo scriptores commemorat.

Tomo sexto exhibetur vita *Claudii Casp. Bacheti de Meziriac*, m. 1638; *Gilberti Burneti*, (cujus *Historiam sui temporis* Pontificiis non probari, prodit,) m. 1715; *Jacobi Ozanami*, m. 1717; *Joannis Wowerii*, Hamburgensis, m. 1612; *Joannis Wowerii*, Antverpiensis, m. 1635; *Renati le Bossu*, m. 1680; *Francisci Philelphi*, m. 1481; *Gisberti Cuperi*, m. 1716; *Bernardi Lamy*, m. 1715; *Casparis Bartholini*, m. 1629; *Thomæ Bartholini*, m. 1680; *Petri Alcyonii*, m. 1527; *Joannis Begatii*, m. 1572; *Antonii Gallandi*, m. 1715; *Philippi Callimachi Experientis*, m. 1496; *Olivierii Patru*, m. 1681; *Honorati Durfei*, m. 1625; *Bernardini Ramazzini*, m. 1714; *Petri Cunæi*, m. 1638; *Gerhardi Croesii*, m. 1710; *Petri Balii*, m. 1706; *Alexandri Marchetti*, m. 1714; *Joannis Lightfooti*, m. 1675; *Nicolai Perroti Ablancurtii*, m. 1664; *Alexandri ab Alexandro*, m. 1523; *Cornelii Taciti*; *Friderici Commandini*, m. 1575; *Isaaci Jaquelotii*, m. 1708; *Joannis Francisci Sarasini*, m. 1657; *Nicolai Bergierii*, m. 1623; *Petri Sylvani Regis*, m. 1707. Hoc in Tomo sola *Taciti* vita a quodam, cujus nomen literis initialibus indicatur, novo labore composita est.

Tomus septimus continet vitam *Bernardi Justiniani*, m. 1489; *Petri Regis*, m. 1726; *Casparis Barthii*, m. 1658; *Pom-*

ponii Leti, m. 1497; *Francisci Malberbæ*, m. 1628; *Francisci Pagi*, m. 1721; *Jacobi Marsollierii*, m. 1724; *Thomæ Campanellæ*, m. 1639; *Georgii Merulæ*, m. 1494; *Claudii Burdelini*, m. 1699; *Claudii Burdelini*, filii, m. 1711; & hujus fratris, *Francisci Burdelini*, m. 1717; *Georgii Wolfgangi Wedelii*, m. 1721; *Antonii Bynæi*, m. 1698; *Gottfridi Bidloo*, m. 1713; *Nicolai Fabri*, m. 1612; *Franciscæ Bertaltæ de Motteville*, mulieris doctissimæ, m. 1689; *Friderici Frezzi*, poetæ Itali, m. 1416; *Joannis Francisci Niceronii*, m. 1646; *Caroli de Saint Evremond*, m. 1703; *Pauli Colomesii*, m. 1692; *Christiani Lupi*, m. 1681; *Georgii Buchanani*, m. 1582; *C. Plinii Secundi*, majoris; *Georgii Paschii*, m. 1707; *Philippi Guadagnoli*, m. 1656; *Auberti Miræi*, m. 1640; *Joannis Dominici Cassini*, m. 1712; *Andreæ Duchesnii* sive *Quercetani*, m. 1640; *Joannis Mabillonii*, m. 1707; *Jacobi Bracellii*, m. 1450; *Bernardini Corii*, m. 1519; *Davidis Ancillonii*, m. 1692; *Caroli Ancillonii*, m. 1715; *Gottfridi Olearii*, m. 1715; *Augustini Patricii*, m. 1496; *Adriani Junii*, m. 1575. Ex his tres novam nacti sunt vitæ suæ elaborationem, *Plinius*, *Franciscus Pagi*, & *Marsollierius*. Ceterum cum hoc in Tomo reperiamus vitam *Joannis Francisci Niceronii*, quem non dubitamus Cl. Autoris cognatum esse, temperare nobis non possumus, quin honorificam ejus hic repetamus mentionem. Natus is Lutetiæ A. 1613, receptus est in Ordinem sacrum Minimorum undevigesimo ætatis anno. Inter studia literarum post Theologiam maximo ardore incubuit in eam Matheseos partem, quæ Optica vocatur. In hac tantos eum fecisse progressus, ideo mirum videri potest, quod multis implicitam negotiis vitam egit. Tradenda enim ab eo in schola fuit Theologia, bis Romam iter faciendum, aliquando etiam juxta cum Vicario generali Ordinis sui singula obeunda Galliæ monasteria. Tamen, etsi anno ætatis trigesimo tertio exstinctus, præclarum composuit Opus, Lutetiæ A. 1646 editum, cui hic titulus: *Thaumaturgus opticus, sive admiranda Optices, Catoptrices, & Dioptrices*. Dolendum vero, primam duntaxat hujus Operis partem editam esse; reliquas una cum autore suo morti succubuisse. Ediderat autem jam A. 1638 primas totius

tiit Operis lineas ac veluti rudimenta. Nec silentio prætereundum, eum A. 1641 publicasse Gallicam interpretationem libri Italice scripti, quem *de arte decifrandi*, quam vocant, emiserat Ducis Florentiæ Secretarius, *Antonius Maria Cospius*. Multa vero de suo adjecerat *Niceronius*, artemque illam potissimum aptaverat epistolis Gallica vel Hispanica lingua conscriptis.

DE STUDIIS LITTERARIIS MEDIOLAnensium antiquis & novis Prodromus ad historiam litterario-typographicam Mediolanensem, Autore JOSEPHO ANTONIO SAXIO, SS. Ambrosii & Caroli oblato, Collegio & Bibliothecæ Ambrosianæ Præfecto.

Mediolani, apud Joseph. Richinum Malatestam, 1729, 8.
Plag. 17.

DEbetur merito hæc laus præstantissimis ætate nostra Italorum ingeniis, quod, cum nullam omnino doctrinæ liberalioris partem industria ac scriptis inexcultam relinquant, tum illam præcipue, quæ studiorum historiam ac fata curiose inquirit, laudatissimo instituto & æmulatione quasi quadam incensi exerceant, ut majores non minus ipsi suos quam exteros etiam diligentiæ laude multum quidem hac in re superare videantur. Norunt enim vero, qui has cognitionis amœnioris delicias sectantur, nullam fere esse Italiæ provinciam, urbem, scholam paullo nobiliorem, quæ sæculo nostro, & quod proxime antecessit, scriptorem non habuerit, qui luculentis Commentariis ad posteritatis memoriam transmitteret, quid in unaquaque illarum ab antiquissimis inde, ad nostra usque, temporibus pro excolendis optimis bonarum litterarum studiis gestum fuerit. Qua quidem re quemadmodum ipsarum artium culturam mirifice promotam atque auctam fuisse intelligentes probe cognoscunt; ita mirum videbatur, defuisse hactenus nobilissimæ Liguriæ metropoli Mediolano Commentatorem, qui scientiarum hac in urbe non minori atque alibi cum industriæ meritorumque laude exercitarum historiam scriptis conderet. Equidem tentarunt

ex parte hoc argumentum *Philippus Picinellus* atque *Erycius Puteanus*; minus vero pro dignitate operis præstiterunt. Illius etenim *Athenæum Litteratorum Mediolanensium* vernaculo sermone scriptum, præterea quod plurimos viros doctrina & scriptis patriæ suæ nomen collustrantes incurioso silentio prætermittat, in illorum etiam, quos exhibet, vitis describendis adeo imperfectum apparet, ut amplius haud possit; nihil insuper plane de studiorum apud Mediolanenses initiis, propagatione, fatis, institutis artium scholis & similibus habet, quæ tamen, studiose recensita, tum ipsi operi, tum urbi etiam, ornamento esse potuissent. Hujus autem *de Rhetoribus ac scholis Palatinis* historica Commentatio, si flosculos oratorios liberalissime sparsos demas, nihil fere ostendit, quod ad historiæ, titulo tamen promissæ, delucidationem utcunque faciat. Derelicta itaque hactenus provincia ista exstimari poterat non nisi illi subeunda, qui pari cum Clariss. *Saxio* tum doctrinæ apparatu instructus, tum vero patriarum rerum amore incensus, ad perficiendum opus accessurus esset. Ille enim vero, cum *litterariam typographiæ Mediolanensis historiam*, a Clariss. *Maittairio* in luculento alias *Annalium Typographicorum* Opere parce nimis delibatam, condere apud animum instituisset, neque tamen siccam adeo atque exsanguem tantum lectori de librorum in hac urbe ab artis inde initiis impressorum titulis narrationem proponere vellet, factum est, ut ad indaganda simul studiorum præclare sub illud tempus incolis excultorum vestigia cogitationem adverteret. Quæ autem licet optime cederent, nimis angusta tamen iterum ipsi videbatur unius sæculi historia, quam ut lectorum curiositati satisfacere posset, qui quidem cognoscere etiam desideraturi essent, quid præterito & recentiori tempore in litteris ibi actum fuerit. Enata hinc illi est præsens observationum ad historiam Mediolanensis urbis litterariam pertinentium farrago; quæ si minus amplissimi Operis ambitum exhaurient, instituti tamen laude & modesta *Prodromi* inscriptione Autorem apud cordatiores facile excusabunt. Nos vero illud jam agimus potissimum, ut pro annalium nostrorum conditione summas præclari Operis, quod splendido excellentissimæ Comitis *Cleliæ Grillo-*

Bor-

Borromeæ nomine is exire voluit, lineas jucunda brevitate describamus.

Quo tempore litteras quidem colere cœperint Mediolanenses, & quodnam studiis in hac urbe initium statuendum sit, uti reliquarum rerum origines fere consueverunt, obscurissimum longe est. Placuit nobis doctissimi Autoris sententia, qui non ampullosam, sed solidam atque veram patriæ gloriam vindicaturus, repudiavit *Alciati* commenta atque *Puteani* rhetoricationes, quorum ille ex nomine *Mediolani*, ob cultum *Minervæ* Deæ antiquissimis temporibus ibi celebratum, unde *Meydland* seu *Medelland* h. e. *Virginis seu puellæ tellus* primum appellata sit, ab ipsis urbis initiis artes liberales illic floruisse non hariolari, sed asserere confidenter ausus est, risu magis quam confutatione dignus: hic vero, proprio potius ingenio, quam ulla testium autoritate usus altissima studiorum Mediolanensium exordia constituit. Præsto interim sunt firmiora argumenta, quibus Octaviani Cæsaris Augusti ætate, imo proximo ante illam tempore, Gymnasium quoddam Mediolani exstitisse, in quo ad facundiam aliasque disciplinas juvenes erudirentur, evincatur. Constans enim atque perpetua scriptorum viget traditio, præter alios hospites ingenio nobiles, *Virgilium* præcipue *Maronem* juventutis tyrocinia in illo posuisse, atque amicam consuetudinem cum *Asinio* suo *Pollione*, qui Proconsulare tum imperium apud Mediolanenses exercebat, primum contraxisse; & *Plinii* insuper *Junioris* luculentum omnino exemplum confirmat, jam primo æræ Christianæ sæculo declinante propriis sumtibus publicam Bibliothecam Mediolani, dum Proconsul Liguriæ provinciam regeret, instituentis, cujus quidem insignis munificentiæ monumentum marmoreum, *Alciati* industria restitutum, exstare idem voluit. Neque refriguisse posthac civium horum in colendis studiis ardorem, Inscriptio Hadriani Imp. ævo condita, quam princeps exhibuit *Petrus Apianus*, insigni documento est, in qua *novarum Athenarum* honorifica admodum cognominatio municipio huic imposita, quod idem de Durocotoro, Remorum urbe, olim factum fuisse narrat *Strabo*; unde patet, litterarum tum illud fuisse domicilium non e multis unum; quicquid

in

in contrarium dixerint *Jos. Scaliger*, *Isaac. Casaubonus*, *Joannes Meursius* atque alii, quorum argutias solide hic atque ex instituto refellit vir Clarissimus. Equidem abiit vetustate memoria studiorum Mediolanensium ad quartum usque sæculum, si unum *Flagrium Manlium* Mediolanensem, Valentiniani Cæsaris præceptorem, qui eloquentiam ibi publice professus, & Georgicorum *Virgilii* interpretatione celebre nomen consecutus est, exceperis: splendidior tamen iterum exsurrexit divi *Augustini*, quo magis illustrem doctorem nunquam complexa est, nomine; qui Roma tum, ut facundiam ibi publice profiteretur, solenni legatione fuit evocatus. Imo vero neque alios plures tunc defuisse scholæ illi viros doctrinæ laude præstantissimos, *Ausonii*, clarissimi poetæ, ætati huic συγχρόνȣ, in Mediolanum epigramma, pario lapide posthæc insculptum & Gymnasii parieti insertum, luculentissime comprobat, in quo præter alia urbis ornamenta *facunda virorum* præcipue *ingenia* commendat. Quod quinto ac sequenti sæculo barbarorum irruptionibus Italiæ universæ ac litterarum studiis ferale incubuit fatum, hanc quoque urbem non ferire non poterat; quamvis sub mitiori Theodorici regis imperio aliquod adhuc vigentium ibi artium vestigium superesset, quas *Deuterius* Grammaticus, publicus urbis præceptor, summis passim Ennodii, Episcopi Ticinensis, elogiis celebratus, unice fere adhuc sustentare videri poterat, dum magnus ad ipsum audiendum nobilissimorum juvenum numerus longe lateque confluerct, Athalarici etiam auspiciis, singulari Edicto, teste *Cassiodoro*, caventis, ut non honos tantum, sed & annua stipendia disciplinarum professoribus integra atque illæsa constarent, adhuc litterarum res utcunque bene comparata esset. Enimvero sub Athalarici successore Theodato, feroci principe, omnis earum felicitas in extremam prolabi ruinam occœperat; penitus mox sub Vitige rege subvertenda, qui una clade trecentis civium Mediolanensium millibus crudeli ferro absumptis deplorabilem urbi vastitatem intulit. Neque melior sub regibus Langobardis litterarum conditio; qui, cum ipsi summa rerum omnium ignorantia laborarent, nullam unquam de collustrandis subditorum scientiarum cultu animis cogitationem alebant.

bant. Serenior tandem post insigne temporum intervallum sub Regibus Francis pacatiori rerum in Italia statu lux affulgebat litteris, instauratis passim, atque *Mediolani* etiam, publicis doctrinarum scholis, in quibus, si non omnium, amœniorum saltim disciplinarum, Grammatices puta, Rhetorices atque Poeseos studia revivifcere sensim sensimque incipiebant. Neque historiæ nullum plane cultum ibi tum fuisse, *Landulphi* duo, *senior* atque *junior*, *Arnulphus* item atque *Anonymus* opusculi *de situ civitatis Mediolanensis* Autor, seculis circiter IX atque X clari; exemplo sunt admodum luculento, quorum de rebus hujus urbis Commentarios primo *Thesauri* sui Tomo inseruit Cel. *Muratorius*. Poeticæ artis seculo XIII specimen edidit de *vita scholastica* libello *Bonvicinus de Ripa* Mediolanensis, carmine elegiaco scripto & Venetiis MDVII excuso. Jurisprudentiæ hic cultæ vestigia ante XII seculum non succurrunt, Medicæ autem artis initia ad annum demum MCCCLXXVIII referenda esse, demonstravit *Bartholomeus Curtius* in vernacula *Medicorum Mediolanensium Historia*. Eadem hæc temporis periodus splendorem reddidit in hac urbe studiis Galeatiorum Vicecomitum auspiciis atque liberalitate, qui viros doctos in pretio non tantum habuerunt maximo, sed & ipsi bonis litteris excultissimi variis artium scholis instituendis operam dederunt & convocatis præstantissimis hominum ingeniis, quos inter *Franciscus Petrarcha*, & sequenti seculo *Emanuel Chrysoloras*, fere eminent, insigne studiis Mediolanensibus tum augmentum, tum ornamentum conciliarunt. Exstincta demum Vice-Comitum sæculo XV stirpe, cum ad Sfortiarum Ducum illustrem familiam imperii summa tandem transiret, nihil illi quicquam decessoribus amore litterarum concedebant; quos inter Ludovicus Maria Sfortia, Francisci I filius, maxime hac laude undiquaque celebratissimus perhibetur. Malumus illustria hanc in rem horum Principum facta apud ipsum Autorem luculenter exposita legi, cum strictim recenseri vix possint, & hoc saltim addimus, istud præter alia singulare decus Sfortiæ familiæ contigisse, quod sub ipsius principatu Typographia recens a Germanis inventa Mediolani primum A. M CCCC LXV introducta fuerit; tantis rerum successibus, ut decennio fere elapso, primi omnium

S Medio-

Mediolanenses typis exscribere instituerent libros Græcos integros, quod ante illos tentaverat nemo; licet singulas voces aut periodos quandoque minutiores antea excuderent quoque alii. Sæculo XVI sub auspiciis feralibus bellis denuo res Mediolanensium adeoque litteræ etiam misere affligebantur, & armorum strepitu pene suffocabantur; respirare tamen aliquantum cœperant circa medium illius; uti ex *Transformatorum Academia* A. MDXLVI instituta apparet. Post intervallum denique viginti circiter annorum salus ipsis integre restituta videbatur opera potissimum fulgidissimi Præsulis *Caroli Borromæi*, cui merita in Ecclesiam summa & vitæ inculpatissime transactæ ratio Divi nomen inter suos pepererunt. Ille enim, quæ verba sunt vitæ ipsius scriptoris, *Joannis Petri Glussiani*, *cum rudem in sacris rebus populum, rudiorem quoque Clerum, ac primis etiam Latinæ linguæ rudimentis destitutum, regendum accepisset, brevi quidem temporis intervallo, sed improbis laboribus expensisque, tanto divinæ simul humanæque sapientiæ lumine illustravit, ut ceteris Catholici imperii urbibus ecclesiisque in pietatis ac doctrinæ speculum & exemplum etiam in præsens trahatur.* Præterquam enim, quod propriam domum doctrinæ omnis officinam & Academiam quasi quandam constituerat, primus Societatis Jesu Patres in urbem illam introduxit, qui publicis scholis institutis scientiarum magisterium exercerent; seminaria insuper alia atque collegia formandæ ad disciplinas juventuti condidit; singularem denique *Oblatorum*, quos vocant, *Congregationem*, reliquis moderandis, A. MDLXXVIII instauravit. Seculo ad finem propius vergente *Mutius Sfortia Columna Marchio Caravagii* Academiam litterariam fundavit, cujus socii, stemmatis omnes claritate illustres, *Inquietorum* titulo appellabantur. Exordium sequentis sæculi XVII studiis Mediolanensibus tanto magis auspicatum accidit, quanto majorem illa patronum ac statorem in *Federico Borromæo* Cardinali, *Caroli* Consobrino, repererunt. Is enim summa magnificentia usus, Bibliothecam publicam primus condidit, nulli omnino, quas plurimas Italia ostentat, inferiorem, & erudito *Petri Pauli Boscæ* calamo *de origine & statu Bibliothecæ Ambrosianæ* luculento Commentario celebratam; quod scilicet cognomentum illustris conditor,

ditor, loco proprii nominis, per modestiam suppressi, a S. *Ambrosio*, ecclesiæ illius olim doctore, & provinciæ præcipuo patrono, illi imposuit. Præter hæc idem *Federicus Collegium doctorum* duplex largis stipendiis instruxit, & peculiare Typographeum, plurimis in lucem vulgatis libris, Orientalibus maxime, celebre in alterius usum magno sumtu erexit: quod posterius tamen insigne urbis decus, post obitum autoris munifici paullatim rursus interiit. Hoc tam illustri exemplo excitati per ejusdem, quod diximus, seculi decursum quam plurimi sive sacri ordinis eruditi homines, sive opulentiores alii, singulares *Academias, Societates, Collegia* pro amplificandis divinæ humanæque sapientiæ terminis, quasi æmulatione quadam, instituerunt. Abstinemus merito ab earundem operosiori recensu, postquam in clarissimi *Joan. Jarkii specimine historiæ Academiarum Italiæ eruditarum* secundo capite fuse jam satis hoc de argumento expositum fuisse novimus; unde simul, qualis nostra ætate, post seculi scilicet XVIII initia, studiorum Mediolanensium facies exsistat, hauriat, cui volupe est, licet. Nec tacemus hac occasione, Celeb. *Gottlieb Krausium*, Histor. in Academia Vitemberg. Professorem Publ. verum autorem speciminis illius, quod Cl. *Jarkio* suo nomine edendum permiserat, jam in eo esse, ut illud accuratius recenseat & paulo pleniorem Academiarum Italiæ superioris Historiam in lucem proferat. Ceterum ut promissum *de historia typographiæ Mediolanensis* luculentum opus felici sidere absolvat Clariss. *Saxius*, civitatis eruditæ causa maximis votis exoptamus.

LIBRI NOVI NUPER EX ANGLIA ADVECTI.

A complete Body of Divinity consisting of five Parts: 1) of the Being, Nature and Attributes of God and the Evidences of divine Revelation, 2) of the Works of Creation and Providence; 3) of the most memorable Transactions from the Beginning of the World to the coming of Christ, with proper Dissertations upon each; 4) of the Mysteries of our most holy Faith; 5) of the great Precepts of Moral and Evangelical Rightiousnes: the whole extracted from the best Ancient and Modern Writers, but chiefly from the Works of such, as have been reputed the most able Divins and celebrated Preachers amongst us; with two Tables, of the

Matters and Texts of Scripture explain'd. Lond. 1729, fol.

The Works of the Right Reverend Father in God Dr. William Beveridge, *late Lord Bishop of S. Asaph. In two Volumes; with a Preface and three useful Tables. Lond. 1729, f.*

The sacred and prophane History of the World connected. Vol. I from the Creation of the World to the Dissolution of the Assyrian Empire &c. By Samuel Shuckford, *M.A. Rector of Shelton. Lond. 1728, 8.*

A Vindication of the Defence of Christianity from the Prophecies of the Old Testament, in Answer to the Sheme of literal Prophecy considered; by the Right Rev. Father in God Edward, *Lord Bishop of Coventry and Lichfield. In two Volum. Lond. 1728, 8 maj.*

A serious Call to a devout and holy Life adapted to the State and Condition of all Orders of Christians; by William Law, *A. M. Lond. 1729, 8.*

Origenis de Oratione liber, Gr. & Lat. ex nova collatione cum Codice MS. Holmiensi, in Bibliotheca Collegii S. Trinitatis Cantabrigiæ reposito, recognitus & emendatus; una cum Anonymi Scholiis in Orationem Dominicam, quibus subjunctæ sunt eruditi cujusdam Viri Notæ partim Criticæ, partim locorum difficilium exegeticæ, ab Editore *Guilielmo Reading*, A. M. Cleri Londin. in Collegio Sionensi Bibliothecario. Lond. 1728, 4.

Novatiani Presbyteri Romani Opera quæ supersunt omnia, a multis mendis expurgata, & copiosissimis observationibus & notis illustrata. Præmittitur Dissertatio de Filii Dei Homousio, sive coessentialitate uni Deo Patri. Studio *Joannis Jackson*, Eccl. Angl. Presb. & de Wherwell Comitatu Hantoniæ Præbendarii. Lond. 1728, 8.

A new Law Dictionary, containing the Interpretation and Definition of Words and Terms used in the Law; and also the whole Law and the Practice thereof, under all the Heads and Titles of the same; together with such Informations relating thereto, as explain the History and Antiquity of the Law, and our Manners, Customs and original Government; by Giles Jacob, *Gent. In the Savoy, 1729, f.*

A View of ancient Laws against Immorality and Profaneness, under the following Heads: Lewdness, profane Swearing,

Cur-

Cursing and Blasphemy; Perjury; Prophanation of Days devoted to Religion; Contempt or Neglect of divine Service; Drunkenness; Gaming; Idleness, Vagrancy and Begging; Stage-Plays and Players; and Duelling; collected from the Jewish, Roman, Greek, Gothik, Lombard and other Laws, down to the midle of the Eleventh Century; by John Disney, *M. A. Vicar of St Mary's in Nottingham. Cambridge, 1729, fol.*

Ordo Judiciorum sive Methodus procedendi in negotiis & litibus in Foro Ecclesiastico - Civili Britannico & Hibernico, ubi, quæ mendis olim cum innumeris edita fuere, castigate nunc & dilucide digesta, juxta Normam ordinis Judiciarii exhibentur ac Notis & Observationibus illustrantur. Per *Thomam Oughton*, Almæ Curiæ Cantuariensis de Arcubus, London, Procuratorum generalium unum & a multis retro annis supremæ Curiæ Delegatorum Registrarii Regii Deputatum. Londini, 1728, 4.

A new System of the Spleen, Vapours and Hypochondriack Melancholy, wherein all the Decays of the Nerves and Lownesses of the Spirits, are mechanically accounted for; with a Philosophical Essay concerning the Principles of Thought, Sensation and Reflexion, by Nicholas Robinson, *M. D. and of the College of Physicians, London, Lond. 1729, 8.*

Dictionarium Botanicum *or a Botanical Dictionary for the use of the curious in Husbandry and Gardening; containing the Names of the known Plants, in Latin, English &c. their Description; their Culture and Menagement, rendered easy and familiar, whether Domestick or Exotick, so that the Name of a Plant being known, the proper Direction for its Improvement in the Garden is to be found in the same Article; the Terms used in every Branch of Botany explain'd. A Work never berfore attempted. II Volumes.* By R. Bradley, *Professor of Botany in the University of Cambridge and F. R. S. Lond. 1728, 8 max.*

Pomona, or the Fruit-Garden illustrated, containing sure Methods for Improving all the best Kinds of Fruits now extant in England, calculated from great Variety of Experiments made in all Kinds of Soils and Aspects, wherein the Manner of Rising Young Stocks, Grafting, Inoculating, Planting &c. are clearly and fully demonstrated; with Directions for Pruning, Nailing, Thinning,

ning, Preserving &c. likewise several Practical Observations on the Imbibing Power and Perspirations of Fruit-Trees; the several Effects of Heat and Moisture tending to the Growth and Maturity of Fruits: to which is added a curious Account of the most valuable Cyder-Fruits of Devonshire. The whole illustrated with above 300 Drawings of the several Fruits, curiously engraven on 79 large Folio-Plates. By Batty Langley *of Twickenham. Lond. 1729, fol.*

An Attempt towards a Natural History of the Fossils of England, in a Catalogue of the English Fossils in the Collection of J. Woodward *M. D. containing a Description and historical Account of each, with Observations and Experiments. T. I. Lond. 1729 8.*

Fossils of all Kinds, digested into a Method, suitable to their mutual Relation and Affinity, as also several Papers tending to the further Advancement of the Knowledge of Minerals &c. by John Woodward. *M.D. &c. Lond. 1728, 8.*

An Introduction to a general System of Hydrostaticks and Hydraulicks philosophical and practical, illustrated and explained by Sixty Copper-Cutts. Two Volumes. By Stephen Switzer. *Lond. 1729, 4 c. fig.*

Atlas cœlestis; *by the late Reverend Mr.* John Flamsteed, *Regius Professor of Astronomy at Greenwich. Lond. 1729, f. max. fig. 28.*

A general coasting Pilot, containing Directions for Sailing into, and out of, the principal Ports and Harbours thro'out the known World, with a Sett of Sea-Charts, some laid down after Mercator, but the greater Part according to a new globular Projection, adapted for Measuring Distances (as near as possible) by a Scale of Equal Parts, and authorized by Letters patent under the Great Seal of Great Britain. The use of the Projection justified by Dr. Halley. *Also two large Hemispheres on the Plane of the Equinoctial, containing all the Stars in the Britannic Catalogue; of great Use to Sailors for finding the Latitude in the Night. To all which are prefixed Directions to Mariners, whereby the Use of the Globular Charts is made plain and easy to the meanest Capacity; sundry Exemples laid down on the said Charts and the Arithmetical Computations added, whereby the Mariner will be able to judge of the Truth of the said Charts; and the Er-*

rors

vers of the Plain Chart shewn, that so the Mariner may avoid them. *By* Nathanael Cutler. *Lond.* 1728, fol. reg. max. cum Fig. plur.

Isaaci Newtoni, Eq. Aur. in Academia Cantabrigiensi Matheseos olim Professoris Lucasiani, Lectiones Opticæ A. 1669, 1670 & 1671 in scholis publ. habitæ & nunc primum ex MSS. in lucem editæ. Lond. 1729, 4.

A View of Sir Isaac Newtons Philosophy (*by* Henry Pemberton.) *London* 1728, 4 *maj. c. fig.*

The Chronology of ancient Kingdoms amended, to which is prefix'd a short Chronicle from the first Memory of Things in Europe to the Conquest of Persia by Alexander the Great. By Sir Isaac Newton. *Lond.* 1728, 4

Animadversions upon Sir Isaac Newton's Book, intitled: The Chronology of ancient Kingdoms amended; by Arthur Bedford *M. A. &c. Lond.* 1728, 8.

A new Treatise of the Construction and Use of the Sector, being a Work of the late Mr. Samuel Cunn's, *now carefully revised by* Edmund Stone. *Lond.* 1729, 8.

Two Dissertations concerning Sense, and Imagination, with an Essay on Consciousnes. Lond. 1728, 8.

The Procedure, Extent and Limits of Human Understanding. Lond. 1729, 8.

The Lives of several antient and illustrious Men, omitted by Plutarch, viz. Æneas, Tullus Hostilius, Aristomenes, Tarquin the Elder, L. Junius Brutus, Gelo, Cyrus, Jason, faithfully extracted from the Greek and Latin Historians by Tho. Rowe. *Lond.* 1728, 8.

The History of Great-Britain from the first Inhabitants thereof till the Death of Cadwaladar, lest King of the Britains; and of the Kings of Scotland to Eugene V; as also a short Account of the Kings, Dukes and Earls of Bretagne, till that Dukedom was united to the Crown of France, ending with the Year of our Lord 68; in which are several Pieces of Taliessin, an antient British Poet, and a Defence of the Antiquity of the Scotish Nation, with many other Antiquities, never before publishd in the English Tongue. By John Lewis, *Esq. Barrester at Law. Now first publishd from his original Manuscript. Lond.* 1729, *f.*

The History of England during the Reigns of the Royal House of Stuart, wherein the Errors of late Histories are discoverd and corrected, with proper Reflections and several original Letters from K. Charles II, K. James II, Oliver Cromwell &c. The whole collected from the most authentik Memoirs, MSpt and printed; by the Author of the Critical History of England. *Lond.* 1730, *fol.*

Collections relating to the History of Mary Queen of Scotland, in four Volumes, containing a great Number of original Papers never before printed, also a few scarce Pieces reprinted. Revised and published by James Anderson, *Esq. with an explanatory Index of the obsolete Words,*

Words, and Prefaces shewing the Importance and Usefulness of these Collections. Lond. 1729, 4.

A Register and Chronicle Ecclesiastical and Civil, containing Matters of Fact, delivered in the Words of the most authentik Books, Papers and Records; digested in exact Order of Time with proper Notes and References towards discovering and connecting the true History of England from the Restauration of King Charles II. II Volumes. Faithfully taken from the Manuscript Collections of the Lord Bishop of Peterborough. *Lond. 1728, fol.*

Historia vitæ & regni Richardi II Angliæ Regis a Monacho quodam de Evesham consignata. Accesserunt præter alia Joannis Rossi Historiola de Comitibus Warwicensibus, Jo. Berebloci Commentarii de rebus gestis Oxoniæ, ibidem commorante Elisabetha Regina; & D. Richardi Wynni, Baroneti, Narratio historica de Caroli Walliæ Principis famulorum in Hispaniam itinere A. 1623. E Codicibus MSS. nunc primus edidit *Tho. Hearnius.* Oxon. 1729, 8.

Memoirs of the English Affairs, chiefly Naval, from the Year 1660 to 1673, vvritten by his Royal Highness James Duke of York, under his Administration of Lord High Admiral &c. published from his original Letters and other Royal Authorities. Lond. 1729, 8.

Memoirs of Queen Anne, being a compleat Supplement to the History of her Reign, wherein the Transactions of the four last Years are fully related etc. from original Papers and other sufficient Vouchers. Lond. 1729, 8.

Regni Angliæ sub Imperio Serenissimæ, piæ & potentissimæ Reginæ Elizabethæ Religio & Gubernatio Ecclesiastica. Lond. 1729. 4.

The History of the Revolutions in the Empire of Marocco upon the Death of the late Emperor Muley Ishmael; with Observations Natural, Moral and Political relating to that Country and People, vvritten by Captain Braithwaite, *with a Map of the Country. Lond. 1729, 8.*

Batavia illustrata, *or a View of the Police and Commerce of the United Provinces, particularely of Holland, with an Enquiry into the Alliances of the States General, in two Parts; by* Onslow Burrich, *Esq. Lond. 1728, 8.*

The History of the Parthian Empire from the Foundation of the Monarchy to its final Overthrow, compiled from the Greek and Latin Historians and other Writers and the Chronology settled; by Thomas Lewis, *M. A. Lond. 1728, 8.*

Joannis Caji, Britanni, de Canibus Britanniæ liber unus; de rariorum Animalium & Stirpium historia liber unus; de Libris propriis Liber unus; de pronuntiatione Græcæ & Latinæ linguæ cum scriptione nova, libellus, recogniti a *S. Jebb*, M. D. Lond. 1729, 8.

M. Tullii Ciceronis de Finibus bonorum & malorum Libri V, ex recensione *Joannis Davisii*, Coll. Regin. Cantabr. Præsidis, cum ejusdem Animadversionibus & Notis integris Petr. Victorii, P. Manutii, Joach. Camerarii, D. Lambini & Fulvii Ursini. Cantabr. 1728, 8.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Aprilis Anno MDCCXXX.

ATLAS COELESTIS; BY THE LATE REverend Mr. JOHN FLAMSTEED &c.

h. e.

ATLAS COELESTIS; AUTORE JOHANNE FLAMSTEED, Astronomiæ quondam Professore Regio Grenovici.

Londini, 1729, fol. maj.

Constat Tabulis æri incisis XXVIII max.

Præf. & Dedicat. pl. 4.

MEntionem fecimus duorum priorum Voluminum Historiæ cœlestis *Flamstedianæ*, in Actis nostris, mense Octob. 1721; rursusque idem Opus laudatissimum tertio Volumine auctum recensuimus mense Augusti 1727. In quo quæ hucusque desiderabantur mappæ cœlestes, seu novæ atque accuratæ omnium asterismorum, quæ apud nos conspiciuntur, tabulæ, a Celeb. Autore ex ipsius Catalogo constructæ, nunc tandem seorsim prodierunt, cum inscriptione commemorata. Curam earum revidendarum ac denuo delineandarum in se suscepit *Abrahamus Sharpius*; idemque duas adjecit mappas generales, seu planisphæria, quæ tamen, nescio quo pacto, si formas imaginum cœlestium spectes, cum ceteris tabulis non prorsus conveniunt. Neque enim, exempli causa, rationem perspicere possumus, cur ursam minorem cauda truncandam, stellasque ad eam hucusque relatas, cum ipsa polari, in pedes extensi Cephei transferendas duxerit, plane contra figuras,

guras, quas speciales tabulæ *Flamstedianæ* exhibent. Ceterum quod ad has ipsas tabulas attinet, quadruplex potissimum est discrimen, quod eas inter & *Bayerianas*, huc usque notissimas atque usitatissimas, intercedit. Etenim præterquam quod majori forma sunt expressæ, majoresque imagines cœlestes, neque harum quamlibet separatim, sed interdum duas pluresve integras simul, ubi id quidem commode fieri potuit, una cum partibus earum, quæ proximæ sunt, paullo rudius delineatis, sistunt; primo quidem numerum stellarum complectuntur altero tanto fere majorem quam *Bayerianæ*; deinde vera stellarum loca multo accuratius, juxta proprias ac diuturnas Autoris observationes, notant; porro plerasque humanas asterismorum figuras, a *Bayero* perperam inversas, quod B. *Schickhardus*, aliique, jam diu monuerunt, in pristinum situm restituunt; ac postremo juxta aliam ac novam quandam projectionis methodum sunt constructæ, de qua methodo mox plura dicemus. Nunc illud silentio prætereundum non est, artificis, a quo hæ tabulæ æri sunt incisæ, non nimiam apparere industriam: inde factum, ut & ipsæ asterismorum formæ, & magnitudines stellarum, quæ haud paullo minores sunt, quam apud *Bayerum*, & litteræ denique adscriptæ, quæ cum *Bayerianis* de cetero satis conveniunt, atque in tertio libro Historiæ cœlestis *Flamstedianæ* explicantur, passim multo minus distinctæ compareant, quam in Uranometria & tabulis sæpius jam laudati *Bayeri* nostri. Quæ in Præfatione, sermone Anglicano ab Editore conscripta, atque huic Operi præmissa, continentur, partim de origine figurarum cœlestium, ac de variis fixarum catalogis, breviter agunt, partim ad reprehendendum *Bayerum* propter imaginum humanarum conversionem spectant, partim novam projectionis methodum, qua usus est *Flamstedius*, explicant, partim denique in collaudando celeberrimo Autore versantur. Est autem nova illa methodus, partes superficiei sphæricæ internæ in plano exhibendi, hujusmodi: Omnes paralleli declinationum, per singulos gradus ducti, exprimuntur lineis rectis, æqualiter (& in his ipsis quidem mappis quatuor partibus decimis digiti Londinensis) a se invicem distantibus, gradus-

dusque longitudinis in quovis parallelo sunt semper proportionales sinibus distantiarum a proximo Polo, atque adeo omnes, qui ad unum eundemque parallelum pertinent, inter se æquales. Meridianus, qui per medium cujusvis asterismi, & per mediam mappam transit, est recta ad parallelos normalis: ceteri meridiani ad utrumque latus positi sunt curvæ, ex earum genere, quas *Wallisius*, in tractatu de cycloide, curvas sinuum vocat. Quæ ut eo facilius intelligantur, concipe (inquit Præfationis Autor) sphæram circumdatam esse infinito subtilissimorum filorum numero, cum æquatore exacte parallelorum; sint omnes circuli, quorum in sphæra usus est, ut Æquator, Ecliptica, Meridiani, rite ducti ac divisi, ipsæque constellationes decenter expressæ; sit denique etiam ductus meridianus ac subtili filo tectus, qui per mediam quamque constellationem transit, cum tot adjacentibus circulis, quot opus esse videtur. Quo facto intelligantur illa fila, quæ constellationem quamcunque tegunt, a globo auferri, eoque, quod meridiano medio respondebat, in media charta extenso, reliqua utrinque normaliter, sed permutatis partibus dextris ac sinistris, (si scilicet constellatio, ut in interiori sphæræ superficie conspicua, repræsentanda est) eadem distantia, quam in globo habebant, in rectas lineas extensa applicentur, ita ut quibuslibet eorum punctis eædem stellæ ac reliquorum circulorum partes etiamnum adhæreant, quæ cum iisdem antea in globo erant conjunctæ. Ita constellatio, methodo *Flamstediana*, in planum rite projecta concipietur. Et hujusmodi projectione usus est Autor in omnibus suis mappis cœlestibus, si polares excipias, in quibus construendis, cum non ita commode eandem adhibere methodum posset, communem retinuit projectionem stereographicam. Atque ita tandem absolutum est Opus illud *Flamstedianum* egregium ac diu desideratum; de quo non vane sibi polliceri videtur doctissimus Editor, fore, ut per illud nomen ac fama Autoris, in honorem totius nationis Britannicæ, ad seram posteritatem transferatur.

PETRI VAN MUSSCHENBROEK, A. L. M.

Med. & Phil. D. Phil. & Mathes. Profess. in Acad. Ultraj. Physicæ experimentales & geometricæ de Magnete, Tuborum capillarium vitreorumque speculorum attractione, magnitudine Terræ, cohærentia corporum firmorum, Dissertationes, ut & Ephemerides Meteorologicæ Ultrajectinæ.

Lugduni Batavorum, apud Samuelem Luchtmans, 1729, 4. chart. aug.

Alph. 3 pl. 18 Tabb. æn. 29.

CL. Autor recto tramite incedit, dum Philosophiam naturalem per experimenta promovendam esse censet, applicata ad ea, quæ per experimenta stabilita sunt, principia. Admiranda prorsus sunt Magnetis phænomena, eorumque accurata cognitio navigationi per mare plurimum adjumenti affert. Etsi autem integra de iis volumina publice prostent; nondum tamen omnia explorata sunt, ita ut nec theoriæ accuratæ condendæ, nec usui, quem in navigatione promittit acus magnetica, prorsus sufficiant, nec hujus lapidis theoria mathematica in potestate sit, quæ Mathesin applicatam nova disciplina augeat. Laudandam igitur operam sumsit Cl. Autor, qui multo studio in phænomena Magnetis inquisivit; non modo proprio examini subjiciens, quæ ab aliis facta fuerant, verum etiam plurima addens hactenus non tentata ab aliis. Quamvis autem farraginem 146 experimentorum accuratissimorum exhibeat; ingenue tamen (quod præclaris ingeniis solenne est) confitetur, se Magnetis examen tantum inchoasse, & in observationibus ac experimentis adhuc quotidie occupari. Etsi autem olim non plura hisce adderet, quæ jam publicavit; non exiguam tamen gratiam meretur a rerum naturalium curiosis, quod hæc experimenta iis invidere noluerit, sed precibus amicorum adductus publici juris fecerit. Primo loco agit de vi attractiva Magnetis, ubi inter alia ex factis a se experimentis colligit, duos magnetes se attrahere diversis viribus in variis distantiis a se invicem, ita ut quidem crescente distantia vires decrescant; esse autem

autem vires attrahentes in ratione minore, quam quæ est inversa distantiarum: in quo consentientem sibi habet Cl. *Taylorum*. Idem observavit de viribus repellentibus. Ab attractione Magnetum mutua progreditur ad attractionem ferri, ubi ante omnia ferro ex libra una & magnete ex altera suspenso ostendit, actiones ferri & magnetis in se invicem esse mutuas. Colligit deinde ex factis a se experimentis, magnetem fortius ad se trahere ferrum quam alium magnetem; dari in attractionibus ferri ad magnetem maximum aliquod & minimum, seu ferri quandam massam determinatæ magnitudinis & formæ maxime attrahi a magnete magnitudinis determinatæ, ferri massam aliam majorem vel minorem minus attrahi ab eodem, &, quo massæ tam quoad excessum quam defectum plus differunt a massa, quæ maxime attrahitur, eo etiam minus attrahi; non tamen ad eandem distantiam agere magnetem in ferrum, quam quidem agunt duo magnetes in se invicem; vires magnetis attrahentes ferrum esse in ratione reciproca distantiarum; non fieri attractionem ferri ad Magnetem in ratione superficiei, quæ magneti opponitur, sed dari hic quoque maximum aliquod & minimum. Docet porro, nec metalla, nec alia remorari vires magneticas, ubi *Gilbertum*, *Kircherum*, Philosophos Florentinos & *Wolfium* sibi consentientes laudat, quem in sua Philosophia experimentali optime detexisse judicat *Sturmii* ab aere elastico effectus magneticos deducentis errorem. Impugnat autem hypothesin atmosphæræ magneticæ, vi cujus efficiantur attractiones, utpote attractionibus proprie sic dictis favens; & veram phænomenorum magneticorum causam adhuc latere agnoscit. Magnetem variis experimentis chymicis exercuit, lectu sane dignissimis, neque ullo modo efficere potuit, ut vi attractiva prorsus privaretur. Certe in vitrum confectus æque manifesto versorium attraxit, quam ante ullam igne factam operationem. Inquirit etiam in vim communicativam vis attractricis per experimenta plurima & methodum armandi magnetes accurate exponit. Hinc digreditur ad directionem magnetis & ferri super ipso ducti, ubi de declinatione docet, eam in eodem loco terræ non esse tempori proportionalem;

 nalem;

nalem; eam non ſemper progredi, ſed aliquando etiam retrogradi, motum medium progreſſus declinationis quolibet anno eſſe 14 circiter minutorum, progreſſum a vero ſeptentrione ad occaſum eſſe celeriorem, quam ab ortu ad verum ſeptentrionem. Multo ſtudio congeſſit obſervationes declinationis acus magneticæ, quotquot reperire potuit, ut ex earum collatione pateat, quid hactenus de ea pro explorato haberi queat. Nec minori induſtria in phænomena acus inclinatoriæ inquirit. Deprehendit inter alia, acus inclinatorias diverſæ longitudinis etiam varia inclinatione agi eodem tempore & eodem in loco, poſitas in Meridiano magnetico; atque hinc reddit rationem, cur tanta deprehendatur differentia inter obſervationes, quas *Noellius Poundius*que per mare Æthiopicum & Indicum navigantes inſtituerunt. Ipſe profecto vidit, ſuarum acuum unam inclinari 72, alteram non niſi 60 gradibus, nec inclinationem ſere unquam eſſe eandem, licet uno die decem tentamina inſtituantur, ut adeo certo certius exiſtimari debeat, vim magneticam perpetuis mutationibus eſſe obnoxiam. Evidentiſſime oſtendit, quantum fallantur, qui ope acus magneticæ inclinatoriæ longitudinem maris determinari poſſe ſibi perſuadent: id quod etiam viſum fuerat *Wolfio*. Plurimum quoque falli exiſtimat eos, qui in terella magnetica declinationes & inclinationes eodem modo ſeſe habere arbitrantur, quo in terra obſervantur. Explicat verſoriorum fabricam, nihil omittens, quod circa eam obſervari meretur. Ultimo denique loco actionem ferri viribus magneticis donati in aliud ferrum ſive purum, ſive viribus magneticis impraegnatum examinat. Virtutem magneticam eandem manere in ferro, etſi vim ſimilem, ſua tamen minorem, in alio generet, experimentis luculentis probat. Conſiderat quoque vim magneticam, quæ per ſe ferro ineſt: ubi inter alia rationem reddit, cur *Reaumurio* non ſucceſſerit experimentum, quod *Gilberto, Rohaulto, Boyleo* & *Wolfio* ſibique ſucceſſit, quo virga ferrea in igne candefacta & aquæ immerſa ſitu ad horizontem parallelo & in Meridiano magnetico vim magneticam acquirit.

In Diſſertatione de tubis capillaribus vitreis, primo loco examinat

aminat ascensum fluidi in tubos diversarum longitudinum & ejusdem diametri. Notatu dignum est, aquam in eodem tubo eidem profundius immerso non altius ascendisse, quam antea ascenderat: unde colligit, in aqua vasculo contenta non reperiri ascensus hujus causam. Reperit autem causam istam æquipollere vi, quæ aquam ad 20 linearum altitudinem evehere potest, usus tubo perfecte cylindrico, $3\frac{1}{4}$ pollices longo, cujus diameter interna erat $\frac{1}{30}$ pollicis. Observavit quoque aquam eo altius ascendere, quo tubi vitrei fuerint longiores, quamvis *Quadratus* contrarium se expertum fuisse commemoret: unde vim aquam elevantem per totam tubi longitudinem diffusam esse infert. Observavit porro, aquam eo lentius ascendere, quo ad majorem altitudinem pervenit & per hæc experimenta apparere opinatur, quomodo aqua in plantis ascendat. Secundo loco describit experimenta in tubis æque longis diversarum diametrorum capta, quæ ipsum docuerunt, altitudines aquæ esse in ratione inversa diametrorum tuborum in tubis æque altis, consequenter in ratione superficierum internarum, ut adeo tubi ampliores majorem quantitatem aquæ elevent, licet ad minorem altitudinem. Tertium locum sibi vindicant experimenta de ascensu variorum fluidorum in eundem tubum, quibus ostendit ascensum fluidorum non fieri in ratione inversa gravitatum suarum, cum alcohol omnium levissimum ad minimam ascenderit altitudinem, oleum vitrioli admodum grave ad majorem, quam aqua. Unde infert, ascensum fluidorum in tubos capillares non pendere ab aere premente, quemadmodum visum fuit *Quadrato*, *Petito* aliisque. Succedunt quarto loco tubi recti, sed diversam diametrum in sua longitudine continentes: ubi didicit, posito uno extremo diversorum tuborum æquilato, altero autem inæqualis latitudinis, altiorem fieri ascensum in angustioribus, quam in latioribus, & experimentis Cl. *Jurini* repetitis probare conatur, causam suspendentem non posse esse pressionem alicujus fluidi ambientis majorem circa tubum, quam intra eundem. Quinto loco comparent tubi ubivis æque lati, sed vario modo inflexi, ubi vim, qua aqua in tubos elevatur, æqualem gravitati altitudinis perpendicularis aquæ

aquæ deprehendit & siphonum quoque capillarium phænomena recenset. Sexto loco hos excipiunt tubi vario modo inflexi & inæqualis diametri, & septimo denique tuborum capillarium in vacuo phænomena collocantur: constat enim, fluida quoque in vacuo sponte in tubulos capillares ascendere, modo ea fuerint ab aere repurgata, ne bullulæ ascensum impediant. Hinc autem denuo concludit, aerem non esse ascensus fluidorum in tubos capillares causam, sed eam cum Anglis nonnullis a vi attractiva vitri arcessit.

In Dissertatione de attractione speculorum planorum vitreorum experimenta potissimum *Hauksbeji* & *Jurini* repetit, quibus vim vitri attractricem probare conati fuerunt. Scilicet si vitrum planum utrinque politum aquæ puræ immittatur, ea utrinque ad superficiem vitri æque alte ascendit, curvam quandam superficiem formans. Succedit experimentum etiam in vacuo.

Dissertationem de magnitudine Terræ in duas partes dividit. Prima continet ex Eratosthene Batavo *W. Snellii lib. 2 c. 6, 7, 8, 9, 10, 11*, quibus de magnitudine Terræ agit Geometra. Edidit autem hæc capita ex MSC. Autoris, in quo angulos triangulorum secunda vice dimensus multa emendavit. Reperit autem *Snellius*, quantitatem unius gradus in maximo terræ circulo 28500 perticarum Rhinlandicarum. Iteraverat autem laborem, quod in practica Geometria in campo demonstranda occupatus adverteret, angulos nonnullorum triangulorum non accurate fuisse captos, atque male in suo Eratosthene descriptos, imo qui cruribus sinistris interjacebant, inter crura dextra locatos fuisse, confusionemque ingentem in toto opere fuisse commissam. Anno 1622 aquæ omnia pascua camposque circa Lugdunum jacentes inundabant, quas mox gelu mense Januario in glaciem politissimam planissimum æquor æmulantem coegit. Hac opportunitate usus intervallum inter pagum Voorschoten & domum Dousianam super glacie assumens id accuratissime mensuravit & ter mensuram repetiit, atque ita basin omnium longitudinum emendavit. Enimvero cum jam bis calculum trigonometricum absolvisset, tædebat ipsum, tertia illum vice repe-

repetere atque adeo contentus fuit monuisse, quod ultimæ modo mensuræ fidendum sit, non primæ, quam in Eratosthene statuit. Observat autem Noster, *Snellium* in computandis triangulis usum fuisse canonibus Sinuum & Tangentium haud accuratis, & præterea, propter operationes arithmeticas longissimas, commisisse alios errores, ut ipsius calculo sive primo, sive postea instituto, non semper confidi possit. Quamobrem ne labor ingens, quem bis terve impendit *Snellius* in peragrandis plurimis fœderatarum provinciarum urbibus, mensurandisque earum distantiis, irritus maneret; Cl. *Musschenbrækius* ex mensura supra glaciem capta, quam commendat *Snellius*, triangulorum calculos denuo subduxit parte secunda Dissertationis. Reperit autem quantitatem gradus terrestris 29514 perticarum Rhinlandicarum, qui juxta *Picardum* est 57060 hexapedarum. Quare cum 29514 perticæ Rhinlandicæ æquentur 57033 hexapedis Parisinis, differentia tanta non est, ut ideo omnis *Snellii* labor pro inutili prorsus sit habendus, quemadmodum visum fuit Mathematicis Academiæ Regiæ Scientiarum Parisinis. Nonnullos triangulorum angulos ope accurati Quadrantis telescopiisque ornati ipse exploravit, & plurimos accuratissime fuisse captos deprehendit, aliquos uno alterove minuto aberrasse, quos ideo correxit. Admiratur autem dexteritatem *Snellii*, qui absque telescopio tam accurate angulos turrium valde dissitarum & vix nudo oculo distinguendarum observavit.

In Introductione ad cohærentiam corporum firmorum de ea tractat Mechanicæ parte, quæ de resistentia solidorum dici solet. *Galilæus* primus fuit, qui de ea cogitavit, quamvis ex hypothesi a natura aliena bene ratiocinatus in errorem inciderit. *Blondellus* A. 1661 epistolam edidit, in qua ostendit, non solidum parabolicum, quemadmodum vult *Galilæus*, sed ellipticum requiri, ut utrinque fulcrum impositum ubivis æqualis resistentiæ habeatur. A. 1669 *Alexander-Marchettus* librum de resistentia solidorum edidit, in quo doctrinam hanc amplificare conabatur: ostendit autem *Grandus* in Responsione Apologetica A. 1712 idiomate Italico edita, eum ad veritatem liquidam non pervenisse. Similiter *Honoratus Fabry*, non multo

felicior *Marchetto*, eodem A. 1669 in Tractatu Physicæ secundo resistentias solidorum geometrice supputavit: de qua etiam paucas quasdam propositiones in medium affert *Pardies* in Mechanica sua. Enimvero *Mariottus*, memor *Paulum Wurtsium* propositiones *Galilaanas* experimentis explorantem eas, referente *Blondello*, falsas reperisse, per experimenta rem aggressus est atque deprehendit, resistentiam absolutam esse triplam, aut fere quadruplam interdum resistentiæ respectivæ, quia corpora omnia flexilia sunt & successive rumpuntur, cum *Galilæus* perperam omnia rigida eodemque tempore frangi totam crassitiem corporum supposuisset. Hisce innisus *Leibnitius* in his Actis A. 1684 nova demonstratione evicit, resistentiam absolutam esse respectiva triplo majorem. A. 1686 *Franciscus de Lanis* in Magisterio naturæ & artis de hoc argumento egit; sed nihil attulit, quod non desumserit vel ex *Galilao*, vel ex *Honorato Fabry*. In Gallia *Varignonus* regulam universalem dedit A. 1702 determinandi resistentias corporum respectivas ex absoluta, sive ex hypothesi *Galilai*, sive ex altera *Mariotti* aut alia quacunque: qua usus *Parentius* resistentias corporum cavorum examinavit, erroresque *Galilai* ostendit, & *Mariottum* imitatus in Historia Academiæ Regiæ A. 1702, 1707, 1708 & 1710 experimentis cohærentiam variorum lignorum exploravit. *Joannes* autem *Bernoullius* A. 1705 aliam regulam cohærentiæ generalem bene cum experimentis *Mariotti* congruentem dedit. Idem argumentum attingunt *Paulus Hoste* parte altera libri Gallici, cui titulus: *Manœuvre des Vaisseaux*, & *Grandus* in Responsione apologetica adversus *Marchettum*. Noster perpendens desiderari fundamenta, quibus a Geometris regula universalis superstruatur, & experimenta *Mariotti*, quibus hactenus unice inhærent omnes, tanto negotio non sufficere; per experimenta in cohærentiam variorum corporum inquirendum esse duxit. Atque sic enata est præsens Introductio. Postquam igitur modos diversos expendit, quibus corpora soluta secum invicem in massam unitam abeunt, veluti vi externa ad se invicem compressa, vi magnetica vel alia quacunque attractrice ad se invicem tracta, frigore aut calore indurata, & pluribus aliis

modis

modis minus obviis, sed per experimenta in apricum productis; de resistentia corporum absoluta propositiones demonstrativas condit, qua nempe resistunt, ne frangantur &, ubi Geometram egit, Physici quoque muneris partes adimplet, experimenta fundamentalia describens, quibus resistentiam absolutam confirmari posse existimat. Capta sunt experimenta in variis lignorum generibus numero 47. Hisce subjungit alia in omnibus metallorum speciebus facta, ut eorum quoque pateat cohærentia absoluta, atque ex iis probat, *Franciscum Tertium de Lanis* sua, quæ ea de re profert, experimenta tantum ex cerebello suo finxisse, nihil vero tentasse; rectius *Mersennum lib 3 Harmon. prop. 7* experientia metallorum cohærentiam determinasse. Exhibet deinde experimenta de cohærentia funis intorti atque corii, & hinc ad cohærentiam corporum respectivam examinandam digreditur, ubi experimentis in omni lignorum specie sumtis probat, nec regulam *Galilæi*, nec *Mariotti*, quem secutus est *Leibnitius*, nec aliorum, esse universalem, cum dentur corpora, in quibus cohærentia absoluta est ad respectivam ut 18 ad 1, item ut 16 ad 1, & ut 12 ad 1, nec desint, ubi ea est ad hanc ut 3 ad 1 vel ut 2 ad 1, quemadmodum vult *Galilæus*, cujus proportio obtinet in corporibus rigiditati proximis, veluti in vitro, quemadmodum *Mariottiana* in aliis, quæ magis flecti possunt. Fundamentis istis præmissis, *Galilæi* doctrinam de cohærentia respectiva tradit in gratiam tyronum a prima origine repetitam, Geometræ partes in se suscipiens, in subsidium vocato calculo algebraico, ut demonstrationes evaderent faciliores. Hisce absolutis de cohærentia corporum agit, quibus fulcrum supponitur, atque eorum, quæ duobus fulcris imponuntur, nec non de cohærentia corporum compressorum. Sub finem denique exhibet tentamen de corporum duritie, ubi per experimenta determinat numerum ictuum, quibus corpora discissa fuerunt.

Restat denique, ut de Ephemeridibus meteorologicis Ultrajectinis A. 1728 dicamus. *Hippocrates* morbos epidemicos a ventis, aeris varia constitutione & anni tempestate derivat: quod cum Nostro verisimile videatur, observationibus meteorologicis opus esse judicavit. Ne vero tædiosa sit integrarum

ephemeridum descriptio; observationes compendiosa quadam ratione in tabulam æri incisam redigit, ut uno conspectu exhibeantur per totum annum notatu digna occurrentia. Adjiciuntur quoque morbi epidemici, si qui grassati fuerint, & brevitati signorum ope consulitur. In ipso autem contextu non nisi singularia tempestatis phænomena & statum morborum describit.

GEORG. ERH. HAMBERGERI, PHIL. ET Med. Doct. & Prof. Publ. Med. Provinc. Saxo-Vinar. uberior dilucidatio legum suarum adhæsionis, atque transitus ignis ex uno corpore in aliud, qua simul ad ea, quæ nuper contra disputata sunt, respondetur.

Jenæ, apud Francisc. Bortoletti, 1728, 8.

Plag. 9½.

EXpertissimus *Hambergerus* in *Elementis* suis *Physices*, A. 1727 M. Decembri in Actis nostris recensitis, novas leges adhæsionis & transitus ignis ex alio corpore in aliud attulit; quas refutare tentavit Nob. *Perlicius* in *Præfatione*, *Theoriæ* suæ *caloris Mathematicæ* præmissa. Operæ jam erit pretium, ex præsente responsione *Hambergeri* ad *Perliciana*, pauca, sed quæ sunt præcipua, adducere. Noster ergo totus in eo est, ut ostendat, adversarium per experientiam certa cum demonstratis, vel cum iis, quæ in arbitrio hominis posita sunt, vel cum propositionibus theoreticis confudisse, sua obscure & corrupte adduxisse; nonnullaque dilucidet uberius. Argumentatus est Nob. *Perlicius*: si principium adhæsionis *Hambergeri* universale est, omnes adhæsionum magnitudines se habere debent, ut quantitates differentiarum inter gravitates specificas: quia gravitas specifica est unica relatio, ob quam adhæsiones inter se differunt. Ad quæ responsurus Noster, probat, illa cum falsa esse, tum ex suis nullatenus sequi. Necessum ergo duxit, magis explicare §. 157 Phys. suæ. Gravitas ergo diversa specifica Autori est conditio, qua præsente semper adest cohæsio: quam diversam vocat, non quo gradus adhæsionis inde de-

determinet, sed quia, quousque corpus æqualem vel majorem fluido habet gravitatem specificam, eousque fluidum iidem adhæret: quando vero gravitas specifica corporis minor est gravitate specifica fluidi, hoc isti non adhæret. Gravitas ergo specifica minor fluidi adducta tanquam signum, ex quo cognoscere liceret, an cohæsio fluidi & solidi fieri possit, minime vero ideo, ut cohæsionis gradus secundum gravitatem specificam solidorum mensuretur. Objecerat ulterius *Perlicius*, olea, ex legibus Autoris, in densiori gossypio facilius, quam in rariori contra experientiam adscendere debere: id quod vero Autor a numero punctorum contactus majore deducit, simulque annotat, dubium se non ferire. Illa vero *Perlicii* objectio, qua arguit, calcem fortius marmori adhærere debere, quam ligno, quod ob excessum gravitatis specificæ majorem major adsit cohæsio, placuit Nostro: qui & inde experimentum recenset, quo calx marmori adhærens impetratur, & aliud, quo illi non adhæret. Decidit de marmore calx, si tenuis marmori applicetur calcis crusta: eidem vero adhæret, quoties semper plura calcis strata eidem applicantur. In progressu elegantem solvit Autor quæstionem: an scilicet corpora, fluidis innatantia, habere possint partes, fluidis specifice graviores? Cujus affirmativam ubi asserit, eleganter ostendit, ♀ & ☽, Mercurio innatantia, tamen habere partes, Mercurii partibus specifice graviores. Ac primo quidem ex amalgatione eorum deducit, illas his specifice leviores esse non posse: illas vero his re vera specifice graviores ex destillatione eorum demonstrat: quam in rem multas necessarias in hoc libello videas cautelas, multaque dubia soluta. Circa alteram vero adhæsionis legem notandum, *Perlicium* omisisse conditionem, sub qua lex valet, tantopere necessariam, ut Autor ea in re hic multus esse debuerit. Lex vero illa ita se habet: Nullum fluidum specifice gravius, *paullo majore quantitate collectum*, (quæ conditio omissa a *Perlicio*) adhæret solido specifice graviori. Coronidis loco adstruit Autor differentiam, quæ inter suas adhæsionis & Anglorum attractionis & repulsionis leges intercedit: cujus cognitio tanto sit gratior, quo sincerius fatetur Autor, Anglos, & qui eos sequuntur,

 tur,

tur, ex iisdem fere phænomenis suas derivasse, e quibus suas deduxit Expert. Autor. Est vero differentia illa quadruplex. Ac prima est, quod fautores attractionis statuant, illam se quoque in distans extendere: quod vero Autor non nisi in electricis & magnete concedit. Altera est hæc, quod illi vel ex experimentis nullam forment regulam universalem, vel saltim, respectu corporis, quod versus fit actio, indeterminatam. Tertiam notat, quod illi repulsionem nonnullorum corporum largiantur, ab Autore solis electricis & magneti concessam. Ultima est, quod illi tantum individua repulsionis phænomena adducant: Autor vero rem generaliter determinarit. Prinsquam finiamus, dicendum est, Clar. Autorem persæpe reprehendere adversarium, quod toties scripserit, se hanc vel illam rem facile demonstraturum, ni paginarum angustia vetaret. Qua occasione insignem Lactantii errorem ita tectum recenset: qui, cum aliis usui esse possit, & ab aliis in scriptis Eristicis hodie repeti soleat, hic annotari meretur. Lactantius nempe facile demonstrasset, terram non esse sphæricam, nisi liber ejus fuisset finiendus. Ita ergo se excusant, qui, demonstrare nescientes, demonstratores tamen haberi volunt.

SILESIACARUM RERUM SCRIPTORES aliquot adhuc inediti, quibus Historia ab origine Gentis ad obitum usque Rudolphi II recensetur; accedunt Tabulæ Genealogicæ Serenissimæ Celsissimarumque Gentium Lotharingicæ, Lichtensteinensis, Lobkowiziæ, Auersbergicæ ex Monumentis fide dignissimis. Confecit Tomum hunc II, non Silesiæ modo sed & vicinarum gentium res illustrantem, FRIDERICUS WILHELMUS DE SOMMERSBERG, Eques Silesius.

Lipsiæ, sumtibus Mich. Huberti, 1730, fol.

Alph. 6.

FIdem, quam Illustris *Sommersbergius* in primo Scriptorum Sile-

Silesiacorum Tomo, a nobis superioris Anni Mense Martio p. 134 memorato, dederat, opinione nostra fere citius servavit, spes vero nostras, ex prioris Operis præstantia conceptas, abunde implevit hoc secundo Rerum patriarum Volumine. Nostrum nunc est, nostro quoque officio fungi, &, quas Generosissimus Autor bono publico non invidit gazas, harum deliciarum cupidis ex instituto indicare. Sunt autem illæ triplicis naturæ: Scriptores hactenus inediti, Tabulæ Genealogicæ multo studio confectæ, Diplomata.

Inter Scriptores primum locum occupant *Anonymi Annales Silesiæ* breves quidem sed antiquissimi, utpote seculo XIII p. 17.
concinnati. Hos excipit *Boguphali II Episcopi Poznaniensis* 18.
Chronicon Poloniæ cum continuatione Baczkonis Custodis Poznaniensis. Opus Polonis & Silesiis diu expectatum. Autores suam ipsi ætatem non reticuerunt, quorum ille ad A. 1249: *Eodem tempore prima nocte post diem B. Joannis Baptistæ* Ego Boguphalus Episcopus Poznaniensis *audivi, licet peccator, per visum quendam Religiosum mihi dicere*, & reliqua; hic ad A. 1257: *Qualibet quadragesima ut dicebatur cilicio utebatur* (Przemislaus Dux Posnaniensis) *sub vestibus aliis & hoc secreto quidem. Cilicium* Ego Pasko Custos Poznaviensis Ecclesiæ *post mortem ipsius vidi ferre sacerdotem* κ. τ. λ. & ad A. 1265 narratis post Boguphali III Episcopi Poznaniensis mortem in Capitulo exortis dissidiis, *Dominus*, inquit, *Joannes Decanus, & Petrus Scholasticus & alii Fratres Canonici miserunt* me Glodzlaum Custodem ejusdem Ecclesiæ Baczkonem cognomine, *cum literis Domini Papæ & Episcopi Vratislaviensis ad Curiam* & cetera.
Tertio loco legitur *Brevius Chronicon Cracoviæ Anonymi Autoris*, sed quem e media plebe unum non fuisse, Archidiaconi 78.
Ecclesiæ, ut videtur, Gnesnensis dignitas, qua se exornatum ipse ad A. 1372 profitetur, satis confirmat. Pone sequitur *Vita Thomæ I Episcopi Vratislaviensis*, sive ut rectius dicamus, ea quæ ad 155.
preces Simonis ab Hanniwald Sereniss. Polon. Regis Maximiliani Archiducis Austriæ & Ordinis Teutonici supremi Magistri Consiliarii & Secretarii, magno illius Antistitis res noscendi studio accensi, addam insolita felicitate usi, Episcopus Vratislavien-

sis

sis Andreas, Capitulum ejusdem Ecclesiæ, & Joannes ad S. Vincentium Vratislaviæ Abbas, in suis Archivis quæsita, inventa, & totidem Diplomatibus inserta, ad posteritatem transmiserunt.
p. 158. Quintum locum occupant *Joannis Lonini* Canonici Cracoviensis *Episcoporum Smogorzoviensium & Pitzinensium, quæ nunc Vratislaviensis, Ecclesiarum Historiæ & Acta*, quibus suum unusquisque pretium statuet, qui in animum suum revocaverit, hunc Joannem Loninum sive Longinum esse eundem cum Joanne Dlugosso Polonicarum Rerum Scriptore celebratissimo. Novissimas Episcoporum Joannis IV & V Vitas ab alia esse manu, obitus Dlugossi, Michovio teste, in A. 1480 incidens satis indi-
172. cat. Sextus est Codex *Annalium Vratislaviensium* A. 1514, ex vetustissimis libris Civitatis Vratislaviensis, ut verisimile est, a Viro docto, officio apud Vratislaviensium Curiam publico fungente conscriptus, res in Silesia gestas ab A. 1149 ad A. 1491 con-
177. tinens. Majoris momenti opus est septimo loco collocatum, *Anonymi Vitæ Episcoporum Ecclesiæ, quæ olim Smogroviensis deinde Rytzinensis, mutato loco & nomine Vratislaviensis appellatur*, nempe a primo Silesiorum Episcopo Gothofredo ad XXXVI usque, Jacobum a Salza, quibus, quod arma singulorum Antistitum gentilitia suis etiam coloribus distincta in Codice bonæ notæ essent adpicta, hæc ipsa junctis reliquorum Episcoporum, ad Eminentissimum usque Moguntinæ sedis Archi-Præsulem & Electorem, qui rara felicitate ab A. 1683 Ecclesiæ Vratislaviensis infulam gerit, insignibus, una tabula ænea sci-
197. te expressa exhibentur. Superest ultimum sed illud quantivis pretii Historiæ Silesiacæ Monumentum, ordine octavum, *Nicolai Henelii ab Hennenfeld Annales Silesiæ*, quibus Vir ille ob alia in Jurisprudentiam pariter atque Patriam merita laudatissimus & quem ad publica & magna Silesiæ negotia adhibitum, nihil fere Monumentorum latuit, universam Patriæ historiam ab Origine Gentis ad annum usque 1612, sive ad obitum Rudolphi II Imperatoris est complexus. Hos Annales, nemini ex iis, qui Henelii vitam tradidere, visos, nec Operum ab eo vel editorum vel confectorum numero unquam illatos, primus ex obscuro loco eruit Vir longiori vita dignissimus *Ferdinandus Ludovicus*

dovicus de Bresler & Aschenburg, S. C. M. Consiliarius & Reipubl. Patriæ Senator, a nobis etiam aliquoties celebratus, post cujus obitum præmaturum, cum emtionis jure ad Generosissimum Agnatum, *Joannem Gottlieb de Bresler*, post studia in nostra Academia cum laude tractata illorumque perficiendorum causa confectas longinquas peregrinationes in virtutis semita suæ genti jam trita ad similes adoreas pulchre contendentem, pervenissent, pro ingenita humanitate facile Illustri Nostro Autori eximium opus ad editionem concessit.

Tabulæ Genealogicæ sunt plures, sed quæ non nisi quatuor gentes illustrissimas exhibent, quibus aliquæ Silesiæ partes regnantur. Prima est Serenissima *Lotharingica*, cui Ducatus superioris Silesiæ *Tessinensis* paret, Tabulis explicata sex, quibus illa gente sati a Leuthario I Alemanniæ Duce, circa A. 554 mortuo, ad Franciscum Stephanum usque hac tempestate Lotharingicis feliciter imperantem recensentur. Altera est Celsissima *Liechtensteinia*, quæ Ducatu *Oppaviensi & Cackoviensi* gaudet, ab Azone Marschallo & Pincerna Austriæ, A. 1086 vivente, ad Josephum Joannem Adamum Principem ac Regentem domus Lichtensteinienfis, Silesiæ Ducem, Tabulis tribus deducta. Tertia est Celsissima *Lobkowitzia*, quæ Ducatum in Silesia *Saganensem* habet, a Joanne I de Lobkowitz & Zasada Imp. Wenceslai Aulæ Marschallo ad Philippum Principem ac Regentem Domus de Lobkowitz Silesiæ Ducem Tabulis duabus tradita. Quarta est Celsissima *Aurspergica*, quæ Ducatum *Monsterbergensem* possidet, Tabulis quinque, ducto ab Adolpho I Domino ab Aursperg, A. 1060 defuncto, initio, in Henrico Josepho Joannis Principe ab Aursperg Duce Silesiæ exeuntibus. p. 485.

Supersunt Diplomata, præter Civitatis Suidnicensis Statuta lingua Latina & Germanica ex vetusto Codice membranaceo desumta, omnino pauca, Mantissæ instar habentia, Bolconis II Ducis Suidnicensis de Aurifodinarum Reichsteinensium acquisitione Przemislai Tessinensis & Bythomiens. Ducis, quo se Vasallum Regis Bohemiæ profitetur, & alterum, quo alteram urbis Glogoviensis partem, & præterea Stinaviam & Gorano feudi

nomine accepisse fatetur, fœdus Ducum Pomeraniæ cum Joanne R. Bohemiæ A. 1337 sancitum, Guntheri Comitis Schwartzburgici testimonium, Henricum Javoriensem suum Ducatum ab Imp. Ludovico Bavaro feudi nomine accepisse, Literæ fundationis Templi Vratislaviensis S. Dorotheæ sacri, Literæ Henrici ab Haugwitz, quibus pignoris titulo se terram Francosteinensem habere fatetur, Ladislai denique Ducis Opoliensis & Palatini Hungariæ, & Landgraviorum Leuchtenbergensium Literæ, pauca, inquam, Diplomata, sed omnino eximia, & quorum numerum multum augere Amplissimo Senatori facile fuisset, nisi ex justis causis, Diplomatarii Bohemico-Silesiaci continuationem, Tomo III vel ut ipsi Illustri Autori Volumen novum inscribere placet, Supplemento in Scriptores suos Silesiacos, servare malit, in quo, cum præterea Supplementum in Historiam Ducum Silesiæ Genealogicam, Tabulas Genealogicas Excellentissimorum Comitum, qui liberas Silesiæ dynastias sex habent, Henelii Breslographiam renovatam, & Episcoporum Wratislaviensium Catalogum sperare jubeat, avide illud Supplementum exspectamus, & læto ex indefessa diligentia hactenus demonstrata capto augurio, hariolamur.

HERMANNI SCHYN, NUPER MEDICINÆ Doctoris, & verbi divini Amstelodami Ministri, Historiæ Mennonitarum plenior deductio.

Amstelædami, apud Jansonio-Waesbergios, 1729, 8.
Alph. 1 pl. 14.

EDiderat A. 1711 Reverendus Autor *Brevem historiam Mennonitarum* lingua Belgica, a nobis recensitam *T. V Supplem. p. 85.* Postea A. 1723 eam edidit auctiorem, & quidem, ut legi ab exteris quoque posset, lingua Romana. Cujus recensioni *A. 1724 p. 216* factæ cum adjecissemus, desiderari hoc in libro accuratam & copiosam narrationem de vita & scriptis Mennonis, de præcipuis Mennonitarum doctoribus, de sedibus denique ac fatis Ecclesiæ Mennoniticæ; admonitio ista nostra tantum pon-

ponderis apud Autorem habuit, ut singulari libro persequenda susciperet ea, quæ modo diximus, argumenta. Cum vero ante editionem hujus libri vita excederet, amico ejus singulari, Mennonitarum doctori Harlemensi, eidemque Medicinæ Doctori & Practico, *Jacobo van Zanten*, placuit, præmissa sua Præfatione, publicæ luci Opus hoc exponere, nobisque, quod grati agnoscimus, dedicare. *Cap. I* docet Autor, sectæ suæ autorem non esse Mennonem Simonis, sed eam descendere a Waldensibus, idque cum ex κυρίαις δόξαις Mennonitarum & Waldensium communibus, tum ex communi utrisque sanctitatis & humilitatis studio apparere. Qui vero contendunt, Mennonitas esse reliquias seditiosorum Monasteriensium, eos allatis argumentis oppugnat: nec intactum omittens Celeb. Cypriani *Compendium Historiæ Ecclesiasticæ*, in quo falsa tradi de Mennonitis plurima, lectoribus persuadere conatur studiosissime. *Cap. II* de hodierno Mennonitarum in Belgio statu disserens, rejecta etiam vult *Anabaptistarum* & *Catabaptistarum* nomina. Illud concedit, olim eos jure vocatos fuisse Anabaptistas, cum re nondum satis perspecta rebaptizabant adultos: at hodiernos refert non solere eos novo baptismo afficere, qui transeant ad ipsos ex alia quapiam secta. Catabaptistarum appellationem ideo ferri posse negat, quod ritus immersionis apud plurimos Mennonitas non sit in usu, & baptismus adspersione factus satis fundamenti habeat in sacris literis. Hinc de Mennonitarum schismatibus agens, eorum partem ait esse sublatam, reliquam partem etiam facile tolli posse, cum dissensus non versetur in dogmatibus, sed in disciplina ecclesiastica. Speciatim describit tres Mennonitarum greges sive Ecclesias Amstelodamenses. *Cap. III* quatuor ipsorum dogmata propria, scilicet de baptizandis non nisi adultis, de non gerendo munere magistratus politici, de non jurando, de non militando, quibus fundamentis nitantur singula, uberius exponit. *Cap. IV* ex Mennonitarum sex Confessionibus, quas amice inter sese conspirare ait, quartam exhibet totam, instructam quippe probationibus e sacro codice petitis. *Cap. V* est de *Mennonis Simonis* vita & scriptis. Hic, A. 1496 natus, & A. 1561 d. 13 Jan. mortuus, ipse su-

p. 135. am vitam descripsit, quæ hic loci inseritur, indeque ostenditur, nullam Mennoni communionem fuisse cum Monasteriensibus illis Anabaptistis. Hinc Mennonis librorum, qui omnes Belgico sermone conscripti, catalogum sistit Autor, simul docens, A. 1681, fol. prodiisse Amstelodami optimam editionem Operum Mennonis omnium. Nec vero solum titulos librorum exhibet, sed recenset etiam singulorum argumenta: simul confessus, Mennonem more sui sæculi in theologicis concertatio-
162 sq. nibus stylo usum esse duro & acri. Inter alia proponit Mennonis de Christi incarnatione sententiam, quæ, diversa cum videatur a recepta plerisque omnibus Christianis doctrina, logomachia potius est, judice Nostro, quam verus dissensus. Finita recensione librorum Mennonis, Autor exhibet excerptos ex iis omnes articulos fidei, tanquam Confessionem aliquam fidei Mennonianæ. *Cap. VI* de *Diderico Philippi*, collega Mennonis, disserit. Unicum is librum reliquit, inscriptum *Enchiridium Christianæ doctrinæ:* cujus, undecim Opuscula & tres epistolas complectentis, argumenta hic recensentur, observante
197. etiam Autore, Philippium illum in sua *Explicatione tabernaculi Mosis* tam pulchre & ingeniose Coccejanizasse, ac si Coccejí auditor & præcipuorum discipulorum unus fuisset. *Cap. VII* de Protocollis agitur sive libris, in quibus fuerunt consignata colloquia Mennonitarum cum Reformatis. Ea sunt tria, Franckenthalense, Embdense, & Leuwardiense. Recenset Autor singula, & necessariis sibi visis annotationibus illustrat. *Cap. VIII* Nicolaum Nicolai sistit, qui lacessitus ab Herm. Faukelio, Reformato, singulari libro A. 1624 edito exhibuit Confessionem fidei una cum Apologia, in qua, errores Mennonitis a Faukelio tributos non esse Mennonitarum, ostendit. Plures scripsit libros, qui hic recensentur. *Cap. IX* vita & fata Joannis Riesii describuntur, & scripta commemorantur. Natus is Antverpiæ 1553 decessit 1638 Alcmariæ, ubi fere quadraginta annis fuit Doctor Ecclesiæ. *Cap. X* occurrit Regnerus Wybrantius, qui Amstelodami unitorum Vlamingorum & Waterlandorum Mennonitarum Minister fuit, & A. 1640 edidit *Catechesin in Symbolum Apostolorum*, cujus potiora hic recensentur argumenta.

ta. *Cap. XI* multorum librorum scriptorem offendimus, Petrum Joannis Twisckium, Doctorem ecclesiæ Mennonitarum Hornanum, A. 1636 mortuum. Hujus *Concordantiam Bibliorum* Autor tradit magno fuisse in pretio ante *Concordantias Trommianas*. *Cap. XII* Tilemannus a Bracht laudatur, Dordraci Doctor Mennonitarum, cujus inter libros eminet *Theatrum Martyrum Mennonitarum*, A. 1660 *in fol.* editum, & iterum A. 1685 cum nitidissimis figuris æneis. *Cap. XIII* Adrianus van Eeghem, Medioburgi Minister, mortuus A. 1709, primus Mennonitarum edidisse scribitur Systema Theologicum. *Cap. XIV* scripta recensentur Angeli Arnoldi a Dooregeest, quem Noster vocat virum admodum doctum acrisque judicii, & nulli inter Mennonitas secundum. *Cap. XV* justo brevius nobis videtur de Galeno Abrahami de Haan, qui per quinquaginta octo annos Amstelodami docuit, & multa edidit, exstinctus A. 1706. *Cap. XVI* Autor valde laudat Jo. Phil. Schabaelie, Ministri Amstelodamensis, *Harmoniam Evangelistarum* A. 1916 editam. *Cap. XVII* agitur de Petro Petri, Alcmariæ A. 1574 nato, ejusque libris moralibus. *Cap. XVIII* de Samuele Apostolio, a quo secta *Apostolicorum* accepit nomen, disseritur. Fuit is Ecclesiæ Minister Amstelodamensis, & egregiam edidit *Catechesin*. *Cap. XIX* sequitur Douwenus Friderici, Harlingæ prius, dein Embdæ Minister, qui æque, ac Apostolius, scripto impugnavit quodam Galenum Abrahami, tanquam in multis recedentem a doctrina verorum Mennonitarum. *Cap. XX* commemoratur Cornelius van Huyzen, Minister Embdanus, plurium librorum scriptor, quorum ultimus A. 1715 lucem aspexit. *Cap. XXI* prodit Fridericus Toger, qui Lugduni Batavorum docuit suam ecclesiam. Editum est A. 1726 ejus præclarum Opus postumum, *Systema Christianæ Theologiæ*, in quo theologiam tractat ita, ut simul eximium se præstet philosophum. Unde id recenset Autor copiosius. *Cap. XXII* ii laudantur doctores Mennonitarum, qui tantummodo Conciones typis vulgarunt. En eorum nomina: Justus Henricus, Wilhelmus Wynants, Godofridus Tobias a Wyngaard, Joannes Wilhelmi, Omius Jacobus Diderici, Wilhelmus Martini, Joannes Gerardi Buyser,

p.361. Michael Fortgens. Hic loci & Autor noster Conciones a se editas commemorat. Denique *Cap.XXIII* Autor producit *Brevem Catechesin religionis Christianæ*, ex speciali autoritate Synodi Amstelodami d. 12 Junii A. 1697 habitæ conscriptam a se & Angelo Arnoldi Dooregeest, & Petro Beets; itemque edita a se *Rudimenta religionis Christianæ*, hoc est, Catechesin priore breviorem magisque perspicuam.

Habemus igitur, quam optavimus magis, quam speravimus, Historiam Ecclesiasticam Mennonitarum, eo nobis gratiorem, quod plurima tradit, maxime de libris eorumque scriptoribus, quæ vel doctissimis antea fuerunt incognita. Unum in hoc Theologorum Mennonitarum censu frustra quæsivimus, Antonium van Dale, quem certum habemus aliquo tempore docuisse in sacris Mennonitarum concionibus: id quod ipsi *A. 1709 p. 192* commemoravimus.

COLLECTIONS RELATING TO THE History of Mary Queen of Scotland &c.

h. e.

COLLECTANEA AD HISTORIAM MARIÆ Reginæ Scotiæ pertinentia, revisa & publicata a JACOBO ANDERSON, Equ.

Volumina IV.

Londini, apud Fletcher Gyles, Th. Woodward & rel. 1729, 4.
Alph. 7.

CAve putes, hanc Collectionem cum *Jebbiana* illa, quam in his Actis T.IX Suppl. Sect. X p.385 recensuimus, convenire. Nam cum illa libros jam dudum editos, quamvis raro prostantes, eosque vel Latino, vel Gallico idiomate compositos contineat; in hac Acta fere tantum & documenta e publicis tabulis nunc demum protracta, cum paucis libellis rarissime obviis, & omnia quidem, si unicum Latinum excipias, Anglica vel Scotica dialecto exarata exhibentur. Quantis vero præsidiis instructus *Andersonius* noster ad hanc operam accesserit, vel

ex

ex eo dijudicari poterit, quod jam pridem a summo Regni Scotici Senatu dignus fuit habitus, qui ad Archiva & Musea secretiora admissus Regni hujus Diplomata vetusta, sigilla item & numismata vasto ac splendidissimo Opere, cujus jam Tabulæ æri incisæ sunt centum & quinquaginta, in lucem ederet, quod ut favente Lucina quamprimum prodeat, haud dubie nobiscum universa optabit Britannia. Quamvis vero in scriniis Scotiæ publicis, quod ad res Mariæ Reginæ attinet, ingentem hiatum deprehenderit Noster, quod num ex eo factum sit, quod Cromwellus pleraque Scotiæ documenta in turrim Londinensem transferri jusserit, quæ licet a Carolo II remissa, maritimo tamen itinere non exiguum detrimentum passa sunt, in medio relinquit; attamen non modo e Bibliothecis Scoticis, Advocatorum Edinburgensium, Universitatis Glasgoviensis aliisque, sed inprimis etiam ex Anglicis, Cottoniana maxime, rebus Scoticis instructissima, (quo loco Noster observat, ipsum Rob. Cottonum e Brucceorum Scotiæ Regum familia ortum, insigni quoque eorum usum, & Bruceum vulgo dictum, & a Jacobo Angliæ Scotiæque Rege honorifica cognati, *Cousin*, voce compellatum esse) tum ex Comitis Oxoniensis, Vice-Comitis Malpasii aliorumque Bibliothecis non modicas suppetias habuit. Quæ præterea in eadem Præfatione Noster de Parliamenti Scotici facie subinde mutata, de Ducibus, Comitibus &c. inde a tempore Jacobi modo dicti usque ad Regem Georgium I creatis, de Regiis titulis & juribus, ut & de principio anni apud Scotos, quod olim in diem 15 Martii incidebat, sed postea decreto Senatus Regni sub finem A. 1599 facto Calendis Januarii celebrari cœpit, observavit, iis haud immorandum videtur. Nec lemmata omnium, quæ hic continentur, monumentorum (sunt autem prope octoginta, majora, minora) describere operæ pretium fuerit; de nonnullis tantum, raritate & argumenti dignitate inprimis se commendantibus, quæ ab Autore passim observantur, annotabimus. Primo statim loco comparet *Vita Jo. Leslæi* Episcopi Rossensis, Mariæ Reginæ quondam ad varios Principes Legati ac Consiliarii, ab ipso, ut videtur, composita, quam, cum Alberto Austriaco de felici adventu ad regimen provin-

Præf. p. 6.

15.

vinciarum inferioris Germaniæ gratularetur, eidem simul obtulit Bruxellis 1536 editam, quod quidem rarissimum atque unicum Opusculum Latine conscriptum huic Collectioni illatum est. Sequitur post alia Tractatus Anglicus *Defensio Honoris Mariæ Scoticæ* ex editione Leodiensi A. 1571, quæ nomen præfert *Morgani Philipps;* quamvis Noster evincat verum Autorem utique fuisse *Leslæum*, cujus & nomen alibi præfixum legatur. Tomo II eminet Buchanani *Detectio gestorum Mariæ Scotiæ Reginæ*, ab ipso Autore e lingua Latina, qua primum conscripserat, in dialectum veterem Scotorum, dubium quo tempore, translata, hactenus inventu difficillima; cujus libri versio quoque Gallica in Collectione illa *Jebbiana* exstat. Tomus III, præter vitam *Leslæi* Anglicam, complectitur ejusdem *Narrationem de rebus in Legatione sua Anglica ab A. 1568 ad A. 1572 pro Maria Regina Scotiæ gestis*, cum prolixa ad illam Epistola dedicatoria, nunquam antea editam & nunc primum partim e Bibliotheca Advocator. Edinb. partim e Cottoniana productam, quæ multa continet, quæ alibi frustra quæsiveris. Nec minori cura legi meretur Tomus IV, quo ut alia ex archivis nunc primum producta, ita literæ inprimis Mariæ & Elisabethæ reciprocæ & pleraque, quæ ab utriusque partis Commissariis Eboraci, Westmonasterii & Avendoni gesta sunt, exhibentur, quæ etsi omnia Guil. Cambdenus habuerit ante oculos posita, multa tamen singulari in Mariam affectu, aut omisisse aut leviter saltum tetigisse deprehenditur; cujus Viri *Britanniam* uti alibi Noster cen opus incomparabile extollit maxime, ita in Annalibus eum nonnihil partium studio dedisse, non diffitetur. Ceterum nec illud nobis omittendum est, Cl. Editorem Tomo statim primo subjunxisse Indicem vocum veterum obsoletarum, maxime Scoticarum, passim in hoc Opere occurrentium, quas brevi & luculenta simul explicatione exornavit.

REGNI ANGLIÆ SUB IMPERIO SERENISSIMÆ, Piæ & Potentissimæ Reginæ Elisabethæ Religio & Gubernatio Ecclesiastica.

Londi-

Londini, typis T. Wood, impensis Editoris Guilielmi Wekett, Rectoris Bransgethæ in Episcopatu Dunelmi, & prostat apud Guil. Innys, Fr. Fayram &c. 1729, 4 maj.

Plag. 14½.

Libellos duos sub hoc titulo conjunctos, & ingenti Subscriptorum primi ordinis numero quodammodo commendatos, tibi sistimus, nempe *prima Lineamenta*, seu Tabulas XVI, *præsentis Politeiæ Ecclesiasticæ Angliæ*, Opus posthumum *Richardi Cosini*, Legum Doct. Decani Curiæ de Arcubus & Archi-Episc. Cantuar. Cancellarii, A. 1589 primum vulgatum, postea vero auctum emendatumque a *Joanne Cosino*, Episcopo Dunelmensi, & nunc ex autographo ejus recusum, cui præmissus est ejusdem Joannis libellus non inelegans, *Regni Angliæ Religio Catholica prisca defæcata*, inscriptus, qui compositus creditur jussu Caroli II, cum is in exilio ad varios Principes Catholicos divertens ab iis ad reditum ad Ecclesiam Romanam sollicitaretur. Quamvis vero utrumque Opusculum jam pridem prodierit, nihil tamen exinde vel in politeia Ecclesiastica vel in formulis fidei Ecclesiæ Anglicanæ mutatum est, & quæ in Liturgia immutata sunt, haud magni momenti videntur, ut adeo has plagulas vel nostri homines cum voluptate, nec sine fructu, legere possint.

MARTINI WARREN AD AMICUM EPIstola, in qua curandi methodus & ratio in febribus nuper grassantibus, ac corticis Peruviani periculum, incertitudo & insalubritas breviter explicatur.

Cantabrigiæ, apud C. Crownfield, G. Innys, & Joh. Crownfield, 1729, 4.

Plag. 7½.

Cum superioribus annis febres versatiles & incerti genii hinc inde grassatæ, illam, qua olim polluit Cortex Peruvianus, sanandi vim & certitudinem illusissent, ansam inde arripuit Autor Clariss. de cortice hoc disserendi. Cujus usum licet

in debellandis febribus intermittentibus non satis se prædicare posse profiteatur, periculosum tamen eum & insalubrem pronuntiare nullus dubitat; ita ut his crura & venter intumescant, illis tonsillarum aliarumque partium dolores, inflammationes, abscessus, gangrænæ, sphaceli, cephalalgiæ, cardialgiæ, phthisis, icterus, rheumatismus, infantibus rachitis, senibus diabete, fœminis maniæ species, puerperis nulla non mala inde accidant. Causam sinistrorum horum effectuum rejicit in præposteram febrifugi exhibitionem, quatenus scilicet vel in nimia quantitate, vel justo maturius propinatus fuerit cortex. Communem enim Medicorum approbat sententiam, chinam chinam inducias potius morbo impetrare, quam eundem debellare, materiamque febrilem, quæ expelli debuerat, tanquam hostem intra mœnia inclusum, nisi illius usus debitis intervallis repetatur, certo certius novos daturam tumultus. Quapropter illi insistendum existimat medendi rationi, quæ materiam istam omnino eliminet, plusque habeat certitudinis, minus autem fastidii & moræ. Consistit autem hæc in eo, quod data febris remissione, imo etiam urgente febre, ubi diutius inhæserit, nec integra aliqua intervenerit crisis, potio cathartica alternis diebus ad duas vel tres vices cum haustu paregorico repetenda præbeatur; qua sola methodo res ægri magis magisque in tuto collocabitur, aut saltem Medico ansa concedetur, ut opportunius & certius corticis usu morbum feriat, & confodiat. Imo ipsi cortici rhabarbarum admiscet Autor, crebra experientia edoctus, eo certius & efficacius hac ratione expugnatum iri febrem. Quo facto ut eo magis in tuto collocetur, & a recidiva securus servetur æger, ad ipsas materiæ febrilis reliquias everrendas & radicitus extirpandas, vel in brachiorum vel crurum alterutro fonticulum inurit, & virium imbecillitati subveniendo coronidem curationi imponit. Ceteris vero omnibus remediis, quæ ad sanguinem exaltandum, spiritus refocillandos & firmitudinem partibus solidis conciliandam faciunt, palmam præripere dicit Vinum Viperinum sequens: Rec. Viperas fœmellas N. x. limat. Mart. unc. ij. succ. Aurant. N. iiss. Nuc. Mosch. Cinam. ana drachm. j semis, Vin. Hispan. lib.

lib. x. Digere in balneo arenæ per 12 dies, & filtrati liquoris unciæ duæ bis terve in die capiantur.

D. MARTINI SCHURIGII GYNÆCOLOGIA Historico-Medica, h. e. *CONGRESSUS MULIEBRIS CONSIDERATIO Physico-Medico-Forensis.*

Dresdæ & Lipsiæ, in officina Heckeliana, 1730, 4. Alph. 2 pl. 9.

UT promissis suis satisfaciat Clariss. *Schurigius*, quæcunque supererant de sexu sequiore dicenda, præsenti *Gynæcologia* exhibet, duabus Sectionibus circumscripta, quarum prima tam marium quam fœminarum salacitatem, imo & castitatem ac pudicitiam exhibet. Sectio secunda congressum mulierum delineat, & septem Capitibus absolvitur; quorum 1) de coitus voluptate, de virginum ante nuptias coitu licito, de cohæsionis in coitu causa, nec non de coitus moderati usu medico, ac immoderati noxa agitur, simulque disquiritur, num virgo tempore menstruationis coitum admittens virgo maneat? seu an virginitas actu venereo perdatur? *Caput* 2) coitum ob vaginæ uterinæ obstructionem vel imperforationem impeditum, atretarum impraegnationem, matrimonium, divortium & curam variis exemplis & relationibus proponit. Alia ab uteri prolapsu & variis ejusdem morbis dependentia coitus impedimenta cum certi casus & divortii relatione ob oculos ponit *Cap.* 3. *Cap.* 4) vero coitum ob virorum salacitatem membrique virilis nimiam crassitiem, item ob aversionem vel odium conjugum ab uxoribus denegatum cum relatione & casu Juridico communicat. *Cap.* 5) coitus violenti differentiam, exempla, signa & pœnas declarat. De stupratione vero in somno exempla cum Facultatum Medicarum Responsis atque Jureconsultorum Deductionibus varia ex Actis publicis collecta in *Cap.* 6) reperiuntur, & in *Cap.* 7) coitus nefandus seu Sodomiticus v. g. fœminarum cum fœminis, mulierum æque ac virorum cum brutis & personis

peste infectis, cum cadaveribus, cum dæmone, flatuis &c. commissus, taliterque peccantium pœna, item Sodomia cum Baal Peor & peccatum Onaniticum huic Tractatui finem imponit. Ex observationibus Clariss. *Schurigii* propriis sequentes allegasse sufficiet. Pag. 25 virginem commemorat, quæ juvene quodam potiundi spe alebatur, post ejus vero tergiversationem ad amorem insanum adacta, frustra adhibitis aliis, frequentiori amasii facta mentione & præsentia sanitati restituta fuit. Pag. 83 fœminam refert, quæ rarissime in coitu voluptatem perpessa, ideoque quovis modo & precibus cohabitationem viri deprecata, aliquot tamen liberorum mater facta est. P. 108 cohæsionem in coitu, postquam situla aqua frigida plena neonymphi natibus fuit affusa, solutam dicit. Pag. 151 fœminæ mentionem facit, quæ secunda vice puerpera ex partu difficili coalitum pudendorum passa, largam quidem postmodum a Chirurgo factam incisionem admisit, paulo tamen post consolidatas iterum partes observavit, ut per aliquot annos nullam viderit menstruationem. P. 168 atretam allegat, quæ imprægnata, facta paulo ante partum membranæ incisione, fœtum vivum in lucem protulit. Et pag. 388. Chirurgum cum sponsa peste infecta infaustum celebrasse coitum perhibet.

FRUTEX, AD VERUM SUUM GENUS relatus a J. F. S.

HAbitum diu jam notus Botanicis frutex, ob inconspectum florem, ad nullum speciatim genus recte, pro rigore cujuscunque systematis Botanici, hactenus referri potuit. Primus ipsi ex habitu nomen imposuit *Plumier*, notante *Tournefortio* p. 654. qui & illum in eo secutus, dum *tithymaloidem, frutescentem, foliis nerii*, dixit. Primus ejus iconem dedit *Plucknet Phytogr*. 304. 3. Ic; sed nec hic florem ejus viderat unquam. *Boerhaavius* vero in *Indice altero plantarum, quæ in horto Lugduno-Batavo aluntur* T. I p. 259, fruticem illum dubius ad tithymaloidem retulit. Evenit tandem, ut frutex ille in ornatissimo horto Ampliss. *Kleinii*, qui a secretis civitatis Dantiscanæ,

TAB. II ad A. 1730 M. April. pag. 173.

















æ, haud ita pridem floruerit: unde jam ejusdem ad verum suum genus facilis reddita reductio. Communico ergo hic Gedano transmissam iconem, licet, ob tabulæ angustiam, ad minorem formam reductam. Patet ex inspectione ipsius figuræ, stirpem hanc recte a Botanicis dictam fuisse frutescentem, nam in TAB. II.
fruticis modum adsurgit: ut & nerii foliis, quæ multis conspicua neruis. Fig. 2 totum florem exhibet, cujus calix *a* est Fig. 1. 2.
cylindricus, integer, ad margines quinquefidus *d*, (vide Fig. 3) 3.
plures flores, discum conficientes, includens. Flosculus quisque est quadrifidus, unde duæ tubæ recurvæ exeunt *c*. Flosculum quemvis inferius ambit pappus *b*, perianthii instar, qui pappus hic ita se habet, prout in planipetalis descriptus a Botanicis. Interim & hoc notandum, omnes ramos floriferos semper esse dichotomos; uti in valerianella observatur. Fruticem hunc quicunque jam expendat: experietur, illum ex systemate Botanico quam proxime ad *cacaliam* accedere: unde jam ab Ampliss. *Kleinio* vocatur *Cacalia, aizoides, nerii foliis:* quibus tamen a *cacalia* in immensum differt. Unde non inconvenienter novum condi potest genus, quod, ex systemate *Boerhaaviano, cacaliastrum* appellari potest. Ceteroquin eundem fruticem hic Lipsiæ in instructissimo horto Bosiano lustravi, qui nec ibi floruit unquam, ibidemque, *titulo tithymali, nerii foliis*, notus est.

HIERONYMI RORARII, QUOD ANIMAlia bruta sæpe ratione utantur melius homine, libri duo: quos recensuit, Dissertatione de anima brutorum, annotationibusque auxit GEORG. HEINR. RIBOVIUS, Lib. Art. M.

Helmstadii, impensis C. F. Weygandi, 1729, 8.
Alph. 2 pl. 7½.

OMnino non debebat liber hic recudi, nisi adjectis annotationibus, in quibus non solum fontes indicarentur, e quibus exempla sua hausit *Rorarius*, sed etiam illa exempla illustrarentur pluribus. Laudandus igitur hoc nomine est Cl.

Ribovius, qui nihil reliqui fecit, quod ad ornandum *Rorarii* opus pertinere videretur. Initio igitur *Vitam* exhibet *Rorarii*, quantum quidem ejus haurire licuit ex ipso hoc *Rorarii* opere; docetque, eum patriam habuisse Portum Naonis, præceptoribus puerum usum esse *Franc. Amalthæo* & *Sabellico*, juvenem in Academia Patavina operam dedisse juri civili, tum in aula Papæ tantam adeptum esse gratiam, ut & ad Ferdinandum, Romanorum Regem, & in Poloniam mitteretur legatus; ad ultimum in patriam se recepisse, ibique octogenario majorem, incertum quo anno, exstinctum esse. Sequitur Editoris Præfationem Naudæi, qui primus hunc librum A. 1645 edidit, Præfatio; hinc epistola *Rorarii* ad *Ant. Gravellanum*, cui legendum hoc suum opus mittit; denique Dedicatio. Ex utraque discimus, quam levi momento impulsus fuerit *Rorarius* ad conscribendum tam longum Opus. Scilicet audiverat nonnullos, qui negarent, Carolum V Impp. Ottonibus Fridericove Ænobarbo comparari posse. Cum igitur sibi persuasisset, longe majorem iis esse Carolum, ira incensus judicavit, istos homines brutis animalibus esse ratione inferiores: ac statim se accinxit ad componendos duos hosce libellos de præstantia rationis brutorum. Hi complent *paginam 17* & sequentes usque ad *p. 296*. Ad dicendi quidem genus quod attinet, facile apparet, *Rorarium* non modicam orationi poliendæ navasse operam; at simul patet, huic elaborationi defuisse manum ultimam. Occurrunt enim subinde periodi haud satis connexæ, & quasi hiantes, quas accurata retractatione Autor fuerat emendaturus: nisi forte credere libet, codicem illum MS. e quo Naudæus hosce libros edidit, minus diligenter fuisse scriptum, vel a typographo eum non expressum esse fideliter. Argumentum ipsum lectu jucundum est. Affert enim initio exempla hominum crudelitate feras superantium, hinc exempla ferarum studio laudis & honoris flagrantium, ferarumque insigni amore prosequentium fœtus suos, dominos item suos, vel parentes, vel alios bene de se meritos. Tum aliis solertiæ & prudentiæ animantium exemplis productis, *libro primo* imponit finem. *Secundo libro* adducit exempla amoris summi belluarum erga homines, etiam fœminas;

casti-

castitatis; intelligentiæ; longæ memoriæ & recordationis; amoris erga musicam. Hinc exemplis docet, animalia nos præstare sensibus, visus acrimonia, &c. Quid? Allatis aliquot exemplis efficere studet, in brutis sæpe rationem dominari appetitui. Hæret inde diu in admiratione *apum*, omnis generis virtutibus instructarum. *Singula si ponderemus*, inquit *p.* 254, *haud ambigo, quin, ut hominem parvum mundum, sic apem parvum hominem nuncupemus: imo aliquid homine majus, quando nullus adeo perfectus, in quem ad unguem cadant, quæ de apibus retulimus.* Postea describit solertiam aranearum formicarumque: ostensoque, brutis nonnullis inesse sensum Numinis, postremo loco disserit de brutorum arte medica, deque eorum præscientia tempestatum. Hæc omnia ex antiquorum monumentis depromta (perpauca enim profert suæ ætatis suæque experientiæ exempla,) eleganter exponit *Rorarius*, non tam philosophi, quam oratoris & dialectici, sumta persona. p.242–254.

Dissertatio Historico-Philosophica, quæ *Rorario* subjungitur, maximam libri partem constituit. Quantos fecerit Cl. *Ribovius* in Philosophia, Historia literaria & Theologia progressus, abunde docuit, cum causam Celeb. *Wolfii* ageret contra adversarios ipsius in scripto Germanico, quod sub titulo: Fernere Erläuterung der vernünfftigen Gedancken Herrn Hof-Rath Wolffens von GOtt, der Welt und der Seele des Menschen publici juris faceret. Etenim non modo thesium in perversum sensum adductarum sensum genuinum dilucide exposuit atque rationibus firmis stabilivit, verum etiam ab objectionibus Anti-Wolfianorum vindicavit earumque cum doctrinis Theologorum orthodoxorum consensum commonstravit. Nec alium se probat in præsente, quam de anima brutorum conscripsit, Dissertatione, ubi cum eruditione multa scientiam solidam conjunxit. Docuit *Wolfius* tum in Logica minore, quæ Germanico idiomate prodiit, tum inprimis in Opere Latino majore, quænam in Historia literaria conscribenda observari mereantur, ut nomen suum tueatur, eaque in re consentientem habet Cel. *Bülffingerum* in specimine doctrinæ veterum Sinarum

narum moralis & politicæ. Eam igitur ideam secutus est in historia dogmatis de anima brutorum conscribenda *Ribovius*. Primum igitur ostendit, quomodo contigerit, ut veteres animam brutis tribuerint, tanquam principiis usus asserto *Wolfiano*, omnes scientias ortum a notitiis vulgi trahere, cum primi inventores non alias habuerint notiones, quam vulgi notitias, unde prima scientiarum stamina deduxerunt, & argumento ab analogia tantopere commendato ab *Hugenio*, *Newtono* item atque *Leibnitio*. Ut vero appareat, in quibus analogia quærenda sit & quænam ad species atque genera constituenda sufficiat, evolutione notionis entis *Wolfiana* utitur, quam in Opere Logico, mox autem in Ontologico pleniorem dedit. Hinc diffusa ipsi enata est de argumento ab analogia ducto ejusque multiplici in disciplinis usu tractatio. Hisce præmissis ad veterum sententiam de anima brutorum confirmandam digreditur. Inquirit autem in sententiam Sinarum, Ægyptiorum, Chaldæorum, Indorum, Persarum, Scytharum, Celtarum, Germanorum, Gallorum aliorumque populorum, inprimis etiam Sabæorum, Phœnicum, Hebræorum, scholæ Orphicæ, antiquorum Poetarum, inprimis Græcorum, scholæ Jonicæ, Italicæ, Eleaticæ, Heracliteæ, Academiæ, Cynicorum, Stoicorum, scholæ Peripateticæ, Scepticæ & Epicureæ, Cartesianorum, Eclecticorum & recentiorum. Nimis prolixum foret de his singulis dicere: remittimus adeo lectorem ad ipsam Autoris Dissertationem lectu dignam. Sufficiat igitur exposuisse, quænam sit ipsius de anima brutorum sententia. Ne quid in ea sit lectori obscurum & ut vis concludendi percipiatur, terminorum explicationem præmittit, quibus in eadem explicanda utitur. Retinet definitiones, quas dedit *Wolfius* in Metaphysica Germanica: absonum est, mutare velle, quæ ab aliis bene posita sunt. Dudum mos ille obtinuit inter Mathematicos, qui adeo continuo ad ulteriora progrediuntur, usi inventis antecessorum tanquam principiis, cum ex adverso philosophi constanter in limine hæreant, propterea quod sibi persuadeant, ab aliis dicta vel reperta ita esse immutanda, ut ab aliis accepta non videantur. Monet etiam in ceteris, quibus utitur, principiis, Metaphysicam *Wolfianam*

esse

esse consulendam, ne quid gratis supposuisse videatur. Suppositis adeo istis principiis a *Wolfio* evictis ostendit, bruta habere animam, esse sibi conscia, non tamen habere rationem, sed tantummodo sensum & imaginationem, appetitum sensitivum & affectus, nullam vero libertatem, neque virtutes, in quo ultimo demonstrando utitur quoque principiis ex philosophia morali *Wolfii* desumtis, quem laudat. Refellit metempsychosin: animam autem brutorum vegetativam & vim plasticam rejicit. Unionem inter animam & corpus brutorum non aliam admittit, quam quæ per harmoniam præstabilitam explicari potest, cum ea hypothesis ipsi semper probabilior visa fuerit. Sed cum Cel. *Bülffingerus* de harmonia præstabilita ex instituto commentatus sit, lectorem ad ejus libellum remittit. Ceterum e Præfatione Cl. Autoris cognoscimus, ipsum de anima bruti plura dicturum in annotationibus propediem edendis ad Cl. *Apini* Dissertationem *de causis nondum finitæ controversiæ, an bruta habeant sensus & rationem.*

DI SANTA COLOMBA, VERGINE SACRA Commentario.

h. e.

DE SANCTA COLUMBA, DEO DEVOTA Virgine, Aquilejensi, quæ tempore Leonis M. Pont. Max. & Attilæ Hunnorum Regis floruit, Commentarius; Autore JUSTO FONTANINI, Archi-Episcopo Ancyrano.

Romæ, apud Pagliarinum, 1726, 4.

Plag. 18 cum fig.

QUod solenne esse consuevit Reverendissimo *Fontanino*, ut in libris, quos plurimos hactenus quidem vulgavit, exquisitissimæ doctrinæ, antiquariæ præcipue, apparatum liberaliter profundat; idem hoc præsenti etiam *de S. Columba Commentario* cum laude præstitit. Illum adornandi occasio inde ipsi enata fuit, cum A. 1717 Octobri Mense sacellum virgini huic divæ sacratum ad Osopi montis radices in Forojuliensium tractu forte

 invi-

inviſeret. Curioſo hic oculo Epitaphium Columbæ perilluſtrans, dignum illud cenſuit, quod ſcripto expoſitum ſingulari publicaret, variique generis obſervationibus, quæ tum hiſtoriæ Italiæ univerſæ, tum vero antiquitati ſive ſacræ ſive profanæ lucem afferunt, exornaret copioſe. Nos, quæ ad ipſius virginis notitiam luculentiorem pertinent, illis relinquentes, quibus memoria ejus ſancta habetur, aut qui ſupplendis *Sanctorum Actis* operam addixerunt; ex illis tantum aliqua jam decerpemus, quæ ad monumenti, quod diximus, intelligentiam & antiquariæ rei illuſtrationem potiſſimum comparata, maximæ lectorum partis attentionem promereri nobis quidem videbuntur; quem in finem ipſum quoque *Epitaphium* aeri inciſum exhibendum non importune ſtatuimus.

†

+HIC IN PACE REQVI
ESCIT COLVBA VIRGO
SACRATA DI QVE VI
XIT IN DNO ANNOS
PL M NONAGINTA
DPS VBD VIIII IDVS
AGVSTAS OPILIO
NEV C CONS IN SEC

†

Equidem quo minus genuinum illud habeatur, nihil plane impedire exiſtimat Vir celeberrimus; cum notas omnes ac formulas, quibus ætatis illius, ſæculi ſcilicet quinti, feralia inter Chri-

Christianos monumenta instruebantur, ostendat. Videas enim hic simplici sermonis genere defunctæ conditionem, ætatem, obitus definitum Consule tempus, rel. exposita breviter ac distincte, & additam in fine piam acclamationem. Ad externam scripturæ formam quod attinet, maxime illa abesse deprehenditur ab antiqua litterarum Romanarum elegantia; sed talis omnino apparet, qualis declinante ad occasum æternæ urbis imperio jam ante sæculi quinti fere initium esse occœpit, inæqualis scilicet, impolita rudis ac barbara. Littera A triplici modo hic expressa cernitur, vel ad antiquum Latii morem, vel linea transversa destituta Λ, vel denique linea intermedia divisa A, & sinistra hasta longius propendente, eodem plane modo, quo *Gothos* hanc litteram pinxisse in *Alphabetho Mæsogothico* ostendit *Georgius Hickesius*, & in *Runico Olaus Wormius*. Linea litteræ L transversa, quam æquali ductu extensam effingebant Romani veteres, brevior hic aliquanto & extra versus spatium propendens deprehenditur, (L) quam tamen figuram jam in sæculi tertii monumentis observavit *Philippus Buonarotti*. Similis est litteræ G formatio atque τῦ C ut difficulter utramque invicem dignoscas; rel. Exulant porro ex hac Inscriptione diphthongi omnes; quem morem ita ætate illa invaluisse, ut ad Poetas quoque transierit syllabam diphthongo instructam pro brevi adhibentes constanter, *Casaubonus* atque *Salmasius* in Spartiani Pescennium observant. In vocibus COLVBA pro *Columba* & DI pro DEI perperam omissæ litteræ error sculptori tribuitur ex Autoris nostri sententia; qui studio neglectas potius contendit, quod tum minime ad illas in pronunciando homines attendere consuevissent; & innumera fere similis scriptionis prostent exempla. Hoc quoque attendi meretur, singulas lapidis voces, non singulis punctis, uti alias fieri haud raro consuevit, interdistinctas conspici; lineolas etiam vocibus abbreviatis superimponi solitas $\overline{\text{DNO}}$, $\overline{\text{PLM}}$, $\overline{\text{VC}}$ & $\overline{\text{DP}}$ minutas hic valde apparere. Ad *triplicis crucis* figuram quod attinet, observat doctissimus *Fontanini*, præterquam quod familiaris maxime illius usus priscis Christianis fuerit, sepulchris præcipue atque sarcophagis imponi in memoriam Servatoris crucifixi pia religione con-

consuevisse. Præmissis his ad ipsas Epitaphii formulas collustrandas Celeb. Autor procedit, atque primo quidem, cum *in pace requiescere* dicitur defuncta, annotat, tum illud indigitari, quod non interiisse penitus, sed *dormiture* tantum, olim iterum excitanda, pie crederetur; tum vero quod ecclesiæ catholicæ membrum mortua sit; unde alibi hæ etiam formulæ: *in pace fidei catholicæ, in pace cum sanctis, in pace Domini, in pace & Christo* &c. eodem sensu occurrant. Antiquissimi itidem in ecclesia usus est formula, qua *virgo sacrata* D I hoc est *Dei* appellatur *Columba*, ut significetur, divino cultui sub perpetuæ virginitatis voto dedicatam fuisse. Qua occasione plura de more velandi & consecrandi virgines apud veteres usitato erudite afferuntur. Quæ claudunt Inscriptionem verba IN' SEC' acclamationem exprimunt solennem *in secula vivas*, quam superstites defunctorum tumulis inscribebant, partim ut affectum atque benevolentiam erga illos testarentur, partim ut spei, quam de ipsorum beato statu concepissent, indicium exhiberent.

ACHATES ISIACUS ANULARIS, Commentariolo explicatus. Prodit ex Museo Illustrissimi Marchionis ALEX. GREGORII CAPPONII.

Romæ, e Typogr. Rochi Bernabo, 1727, 4 maj.

Plag. 2½ Tab. æn. 1.

AUtorem hujus scripti nisi multiplex doctrina, atque rerum antiquarum peritia, quæ undique elucet, eruditis proderet, certe subscriptio ignorare non patitur. In fine enim notatur absolutum hoc esse, *Romæ ex ædibus palatinis in Quirinali*, & deinde: *J. Archi-Episcopus Ancyranus*. Unde intelligimus, Virum modo memoratum & aliis libris dudum celebratissimum, *Justum Fontaninum*, ad Ancyram, nobilem fatis Galatiae urbem, Archiepiscopum, hujus gemmæ interpretationi vacavisse. Scilicet is antiqui operis achatem, ea magnitudine, quæ annulo includi, digitoque commode gestari posset, (cujus duplicem imaginem, alteram gemmæ adæquatam, alteram grandiorem,

TAB. II. Fig. 4 & 5.

per-

perspicuitatis causa, addimus,) invenerat in museo Marchionis *Alex. Gregorii Capponii*, quod nomen inter eruditos obscurum non est. Ea jam ante oculos eorum, quicunque in urbe Roma antiquitatis eruditæ studiosiores sunt, mire paverat: & est sine dubio antiqui operis, eleganterque exsculpta, ideo dignissima, cujus emblema ab eruditis consideretur. Docet elegantiam exemplum ejus, quod delineatione exhibitum a *Daniele Antonio Bertoli*, municipe suo, laudat celeberrimus *Fontanini*. Aliquantum vero gratiæ venustatisque, ut ea quidem in typo minutulo conservata est, in imagine majori, augendo singula, deperiisse videtur. Caput mulieris non invenustæ insculptum est, Ægyptio habitu, ave Numidica obtectum, atque variis concharum & unionum argutiis oneratum. Ideo Isidem adornari Celeb. *Fontanini* putat, egregiaque doctrinæ abundantia evincit. Nec vel nobis dubium esset; nisi in hac gemma desiderarentur *lunaria* illa *cornua*, quæ, præter tabulæ Bembinæ lineamenta, unde hic simul exemplum dedimus, Isidis simulacro diserte tribuit etiam Ovidius, qui Metamorphoseon Libro IX versu 687: TAB. II. Fig. 6.

— — — *inerant lunaria fronti*
Cornua, cum spicis nitido flaventibus auro,
Et regale decus.

Deinde 782: — — — *imitataque lunam*
Cornua fulserunt.

Et ne quidem *Persicæ* cum fructu *folia*, quæ & ipsa vertici supposita in illam speciem, veluti cornua, sinuantur, (ut est sæpius in *Leonardi Augustini* præsertim gemmis hæc Dea) nec sistri aliquid hic apparet; nisi tres illos clavos, e summo vertice prominentes, quos interpretari supersedit Noster, esse aut sistri extrema, aut foliorum, intelligas. Ea autem omnia, cum in umbilico mensæ illius Isiacæ, quam *Pignorius* interpretatus est, valde accurate expressa habeantur, non credibile est, vel universa, vel saltem aliquid eorum, facile omissum esse in hac gemma, quæ de cetero imaginem exhibet magna cura elaboratam. Numidicam, quæ expansis alis caput Isidis foveat, satis evidenter agnoscimus; nec suspicamur, hanc mulieris imaginem eandem

dem ratione ave insignitam, qua futura esset Pici, Latinorum regis, si extaret, secundum Ovidium Libro XIV v. 313:

Illa mihi niveo factum de marmore signum
Ostendit juvenile, gerens in vertice picum.

Neque dubitamus, quod & doctissimus *Fontanini* monuit, debuisse hac imagine vultum reginæ alicujus Ægyptiorum adumbrari: verum de Iside, an per omnia hinc appareat, in medio relinquimus. Postquam de Iside sententiam suam confirmavit hujus Commentarioli Autor; de Numidicis quærit, & qua ratione a Meleagridibus distinguantur, disputat: refutataque *Josephi Scaligeri* ad Varronem sententia, reprehensoque Plinio, ejusque interprete *Harduino*, decernit, Africanas atque Numidicas gallinas speciem esse Meleagridum. Nobis contra, si liceat, videtur, admitti posse judicium atque emendationem *Scaligeri*, nec erroris accusari debere in re domestica & quotidiana Plinium: potius & hunc & Varronem judicio critico atque emendatione quadam adjuvandos esse. Id si persuaserimus, in Varrone quidem de re rustica Libro III Cap. 9 autore *Josepho Scaligero*, modestissima interpunctione adhibita, legemus: *Gallinæ Africanæ sunt grandes, variæ, gibberæ. Quas Meleagridas appellant Græci, hæ novissimæ in triclinium genianum introierunt e culina, propter fastidium hominum.* In Plinio autem Libro X Capite 26, postquam unum versum, quem suo loco esse motum censemus, in ordinem restituimus, hac potissimum ratione: *Hoc idem quinto quoque anno facere eas in Æthiopia circa regiam Memnonis, exploratum sibi Cremutius tradit. Africæ hoc est gallinarum genus, gibberum, variis sparsum plumis. Simili modo pugnant Meleagrides in Boeotia, quæ novissimæ sunt peregrinarum avium in mensas receptæ propter ingratum virus. Verum Meleagri tumulus nobiles eas fecit.* Id si admittamus, jam non adversatur his autoribus Columella, & quæ sententia est maxime expedita, apparet, secundum ea, quæ *Scaliger* tradidit, Meleagridum genus plane esse diversum a gallinis Numidicis atque Africanis, has quidem exquisiti habitas fuisse saporis, inter epulas Romanorum, pro testimoniis Poetarum sat frequentibus, quæ accurate in medium produxit Noster: Meleagrides contra fastidio gulonum

non

non æque a principio æstimatas, propter aliquid peregrini nidoris, qui carni inesset, quemque Plinius *ingratum virus* vocat, nobis ein wilder Geschmack, qualis forte hodie nostro palato in Anate sylvestri deprehenditur. Nec desunt hodieque, qui delicato fastidio ea tanquam virosa aspernentur, quæ ceterorum consensu inter delitias epularum numerantur: possitque facile contingere, ut Romanorum palatum in iis carnibus saporem gravem atque virosum deprehenderit, quæ nobis hodie non eodem modo ingrate sapiant. Ut & illis quædam impendio exquisita, veluti glires, quæ nobis sine dubio virosa habentur. Potuerunt etiam, quæ revera virosa, ideoque ante tempora Varronis jure fastidita fuerant, deinde, ut hodieque fit, cum gula quasi in gratiam redire, atque stulto Gnathonum studio, æque impense commendari, ac antea spreta jacuerant, quemadmodum hodie testudines, cochleas, ostreas, conchas, ranarum lumbos, alia id genus, a quibus proavi nostri nimium quantum abhorruerant, multi vulgo, ut exquisiti saporis, liguriunt. Ne Plinium in re adeo pervulgata peccasse putemus, Ceterum conferri atque legi de Meleagridibus meretur *Laurentii Begeri* libellus (qui fugit, nisi fallimur, notitiam *Fontanini* nostri) singularis, *Meleagrides & Ætolia* inscriptus, editusque Coloniæ Brandenburgicæ A. MDCXCVI.

De capite autem Isidis ut dispicere sit integrum eruditis lectoribus, ipsam, ut innuimus, gemmæ *Capponianæ* imaginem ære cælato expressam exhibuimus, & una aliud idque locupletius ejus Deæ simulacrum, collo tenus, desumto e tabula Bembina exemplo. Quo pacto, si contulisse liceat, facilius suum cuique antiquitatis studioso arbitrium constabit.

ANASTASIS VETERIS GERMANI GERmanæque feminæ, cum integro vestitu comparentis; quorum effigies rarissima in urna prope Bostampium cum aliis reliquiis inventa est, explicata a GOTTL. SAMUELE TREUERO, Polit. Moral. & Histor. Prof. Publ.

Helmstadii, sumtibus Christiani Frid. Weygandi, 1729, 4.
Plag. 6 c. fig. æn. 2.

Annus

Annus jam tertius agitur, ex quo Generosiss. Dominus *de Marwitz*, Vir apud Brandenburgicos sago in primis inclytus, prædii suburbani ad Bostampium partem renovari curans, urnam sub tumulo quodam deprehendit. Hæc quanquam a fossoribus incautis fracta, integrum tamen Germani Germanæque simulacrum aliquod, quod in Figura 7 & 8 exhibemus, cum nonnullis fibulis exhibuit. Ex orichalco fusum erat, pondere trium unciarum & semidrachmæ, quod Experientissimo *Heistero* pro cura donatum pervenit tandem ad manus Cl. *Treueri*, Collegæ, antiquitatum scientissimi. Hic itaque sibi visus est in hac imagine deprehendisse, quod vestitus antiqui apud Germanos rationem, rem hactenus fere ignotam, pulchre illustraret. Observat vero Germanos veteres artis mechanicæ fuisse studiosos, idque jam temporibus Taciti; unde & ipsius icunculæ præsentis memoriam prope ab hujus Romani scriptoris temporibus repetit. Germanum nostrum gente Suevum fuisse, tunc temporis mortuum, quo Suevi Marchiam mediam occupassent. Antiquitatem certe ultimam confirmare illud existimat, quod carbones nulli in urna fuerint inventi. Viri vestimentum Rhenonum genus dicit, cujus Tacitus Lib. VI C. 21 de M. G. meminit. Addit, vestimenti hujus partem superiorem tam in longum fuisse porrectam, ut capiti tegendo quoque suffecerit, qua in re Plutarchum de Cimbris in Mario differentem habet consentientem. Verosimile autem est, ejusmodi vestis genus tunc temporis invaluisse, cum milites belluarum pelles ita corpori adaptarent, ut pars pellis de capite animali tracta capiti tegendo inserviret; quæ vestimenti ratio antiquissima fuit. Porro cum Germanus, icuncula expressus, frontem revelet, & barba destituatur, recte Noster ex Diodoro Siculo animadvertit, non omnes Germanos fuisse incomtos, barbaque horridos; & jamdudum probasse Rhodium observat, etiam apud Cimbros cultum elegantiorem locum invenisse. Reliqua pars Germani nostri, quemadmodum ex icuncula patet, braccis involvitur, quæ tibialibus soleisque, in rostrum desinentibus, adsutæ sunt. Convenire vero braccas has cum illis, quas in Actis nostris 1684 p. 255 sq. in Achate Tiberiano exhibuimus ipsi, nisi quod strictiores paululum dixeris, Noster putat; quanquam nec ipsi

TAB. II. Fig. 7 & 8.

ipsi eo loco quicquam de braccis notavimus, & adhuc sub judice lis est, an Germani in inferiore parte gemmæ, an potius Armeni captivi repræsententur. Germanos autem multo ante Christianismi initia rostratis pedum tegumentis incessisse; inde inter alia probat, quod Concilium Parisiense demum A. 1212 habitum homines eorum usu interdixerit. Deinde ubi Cl. Autor ad feminæ habitum venit, comprobat, non omnes nudato capite incessisse, ornatas etiam fuisse amictu laxiore ad pedes usque pertingente: quam posteriorem sententiam Tacitus confirmat, Plinius atque Strabo illustrant. Quo loco non immerito Noster *Cluverium* & *Lazium* notat, quippe nimia audacia in fingendis veterum Germanorum vestibus usos. Etsi vero vix putaveris, Germanos veteres, pro summa ipsorum simplicitate, honori quoque manuum dextræ & sinistræ locum fecisse, confirmat tamen Noster, sinistræ locum dextra fuisse honoratiorem: propterea, quod ad sinistram viri in icuncula feminam positam videmus. Habuisse enim Germanos feminis ab antiquo summum honorem, probat: utpote quas divinandi artis capaces quoque judicaverint. Qua de causa vero sinistræ quam dextræ major dignitas fuerit concessa, sibi haud constare fatetur. Forte tamen aliquid præsidii hæc sententia inveniret, si cum *Piccarto* asseramus, Germanos esse fratres Persarum, huncque morem ad Germanos pervenisse a Persis, qui non nesciebant, lævam corporis partem magis insidiis expositam esse, quam dextram. Fusius deinde probat, Germanum nostrum e Suevorum gente fuisse, quippe quibus cadavera mortuorum cremare solenne fuit, quod quidem de Slavis & Venedis asseri haud possit: ubi simul contra Celeb. *Schurzfleischium* disputat, & ejus argumenta, quibus Slavis ritum cremandi cadavera addixerat, destruere nititur. Inventus erat præterea prope urnam cuneus, ex lapide griseo scalptus, de quo animadvertit, bellicum id fuisse instrumentum ad similitudinem mallei contusoris Dei *Thor*, tonitruum apud Germanos præsidis, cujus in Edda Islandica memoria injicitur, fabricatum; & fluxisse inde sententiam eorum, qui ejusmodi cuneos pro malleo fulminari habuerint, quos quidem Noster a vero longe abesse evincit.

כָּל הַנְּבִיאִים לִפְנֵי מָשִׁיחַ נִזְהָרִים בְּקַרְנַיִם׃

hoc est,

BIBLIA HEBRAICA ACCENTUATA, SIve Codicis Hebræi, accentuum radiis collustrati, ultra bis mille specimina, quibus vexatissima loca, reliqua hermeneusi non neglecta, nodis solvuntur; præmissis IV Dissertationibus in hanc rem, cum accentuationis utriusque tabula. Additis, post spicilegium, conjecturis de accentuum origine divina, & obsignationis ratione apud priscos. Opera & curis M. GEORG. CHRISTOPH. DACHSELII, Past. Techbnitii prope Dœbelam. Accedit Præfatio SALOMONIS DEYLINGII, SS. Th. Doct. & P. P. Celeberr. Lips. Præsulis &c.

Lipsiæ, in ædibus Riesianis, & apud Joh. Sam. Heinsium, 1729, 4. Alph. 9 pl. 10.

UT suspecta sæpius & tantum non nauseosa videtur accentuum Codicis Ebræi indagatio, quam inter lusus & crepundia eruditorum numerandam, aut non magis ac fœcundioris ingenii gymnasium, admirandam esse, arbitrantur nonnulli: ita egregium profecto & commemorabile opus molitus est Pl. Rev. Autor, Technicensis primum, nunc Geringswaldensis Ecclesiæ meritissimus Pastor, dum prolixa hac commentatione, a seculi tædio vindicare eandem, facemque & lumina plurimis Scripturæ effatis accentuum inprimis jubare, præferre fuit aggressus. Non præcipitatum opus, sed deliberatus labor; viginti & quod excurrit annorum fœtus est, multis vigiliis, indefesso studio, varia doctrina & laudabili perspicacia perpolitus. Ornat eundem præmissa S. R. *Deylingii* Præfatio, de accentuatione quædam dis-
p. 1—10. serens. Excipit illam Autoris *de differentia interpunctionis*
11—52. *V. & N. T.* Dissertatio, distinctionum beneficio plura N. T. ora-
53—76. cula illustrans: quam *Anti-Brunsmannianarum* Disputationum biga comitatur; & alia *de unctione Elisæi & reliquorum Prophetarum ex 1 Reg. XIX, 6*, disceptatio, illud gloriæ genus Prophetis denegans. Adjecta tandem utriusque accentuationis tabula est. Opus ipsum ultra bis mille S. Codicis pensa, per ordi-

ordinem librorum ſacrorum diſpoſita, in aciem producit. Eruditorum, quos recentior ætas vidit, doctas de oraculis quibusdam & enarrat diligenter & dirimit quandoque lites. Ea hic reperies, quæ inter S. R. *Abichtium* & *Joh. Franckium* de accentibus & locorum quorundam interpretatione fuerunt diſputata; allatas *Buddei*, *Zeibigii*, *Starckii*, *Ruſii*, *Clerici* aliorumque Philologorum, & in compendium miſſas expoſitiones, quo vel unico de exegetica theologia bonisque litteris præclare meritus eſt Autor doctiſſimus. Neque tamen tenax adeo accentuum eſt, ut non varia ſimul inſpergat, quæ grata Lectori & accepta perquam, non poterant non eſſe.

Initium a commate primo *Geneſeos* factum, & in jura præcipue Athnachi inquiſitum; quem in voce אלהים, ad ſignificandam perſonarum in eſſentia divina unitatem, adjectum ſtatuit Cl. Autor; cum alias, ſi gentis Iſraeliticæ ingenium ad idololatriam adeo proclive ſpectes, vix ſine periculo plurale nomen fuiſſet adhibendum. *V. 7* aquas ſupracœleſtes, nubes notare adſtruit & confirmat; *v. 20* aves ex undis prodiiſſe negat; *v. 26* voces רמות & צלם non per hendiadyn, ſed *κλίμακα* potius, accentuum virtute interpretari mavult. *Cap. III, 3*, illud ולא quod interdicto divino addere videbatur Eva, pro verbo prægnante habet, ut non generatim attingendi libertas negetur, p.104.
ſed tactus ſaltem ad deguſtandum comedendumque pomum compoſitus interdicatur. *V. 8 τὸ* מתהלך non ad Jehovam, ſed 106.
vocem per hortum ambulantem ſpectare, iterum interpunctio docet: *Aura diei* vero, ſive רוח היום Autori tempus veſpertinum eſt, quo ingruente latebras quæſiverint Protoplaſti, non quidem ut Deum laterent, ſed ut tremendum ipſius conſpectum, fulgura ac tonitrua, quantum daretur, effugerent. Ad *v. 14*, quam 108.
juſta fuerit Numinis in ſerpentem animadverſio, docet; in eam tamen pronus eſt, quod mirabamur, opinionem, aliquam corporis mutationem execrationis divinæ vigore illum ſubiiſſe: *Quidni vero etiam*, ait, *potuit amittere pedes? V. 21* Deum illico ipſum veſtes Protoplaſtis, & ex lana quidem confeciſſe, ut, quam promtus ſit ad ſalutis veſtes concedendas, hoc ipſo declararet. *Clericum* ſimul confutat, cui tunicæ iſtæ tabernacula

 ſunt

ſunt pellibus tecta. Quæ *v. 22* occurrunt: *ecce homo factus eſt ſicut unus ex nobis;* dolentis & commiſerantis eloquia eſſe pronunciat. *Cap. IV, 1* Evam medios inter partus dolores inconcuſſam in Meſſiam fidem profiteri, neutiquam vero, quod per omnem modum abſit, pro Meſſia habuiſſe Cainum, opinatur. *V. 7* contra *Hederi* & *Abichtii* inprimis ſententias inſurgit. *V. 13* Cainum non deſperantem, ſed de gravitate עון ſ. pœnæ peccati
p. 122. conquerentem ſiſtit. *V. 15* ita exponit, ut de poſterorum impietate & pœna vaticinium tradi, priori tamen hemiſtichio prædicatum, alteri ſubjectum deeſſe exiſtimet, hoc modo: *Certe propterea omnis occidens Cainum* ſcilicet iterum occidetur: Cain vero, *per ſeptimam generationem vindicabitur;* h.e. non violentum Caini aggreſſorem, ſed Cainum ipſum vindicandum & in ſeptima generatione pœnas fratricidii Caini a poſteris eſſe ſumendas; eam vero in diluvii tempora incidere, cum in Lamechi proſapia, ſpurciſſima mortalium fece, ſanguinem undis ul-
125. ciſceretur Jehovah: coll. *Sap. X, 4. Signum Caini* Autori Cl. promiſſio Numinis eſt, de vita Caini adverſus invaſoris injurias tuenda. Lamechi verba *v. 23 num quid ego occidi virum?* pro negantibus habet. Occurrit *Cap. V, 29*, duabus diſtinctionum notis inſtructa vox זה quæ quidem accentuum geminatio ipſi emphaſeos ſingularis, Nobis diverſæ tantum lectionis nota eſt; uterque enim ex conſecutionis lege accentus ſedem illam occupare poterat. Noachus *Cap. IX, 25* in verba tam dira, ex hariolatione Cl. Autoris erupit, non quod nudum viderat patrem Chamus, ſed quod laſcivioribus forte in parentem verbis uſus fuerat. Ad *C. X, 14* notat, Philiſthæos neutiquam ex Kaphthoræis ortos, ſed ex provincia Caphthor eductos eſſe. *Comma 24 Cap. XIV* accentibus prævIis ita reddit: *Abſit a me, tantum quod comederint iſti pueri* ſ. ſervi, grandævi Patriarchæ intuitu ita dicti, *iſti habeant; imo portionem* accipiant *homines, qui iverunt mecum: Aner, Eſcol,* & *Mamre* quod concernit, *ipſi accipiant portionem ſuam. Cap. XV, 13* Athnachus docet, quadringentos annos, non ſervitutis modo, ſed & peregrinationis tempus complecti. Angeli ad Abrahamum orationem *Cap. XVIII, 10*, ita reddit: *revertar ad te* כָּעֵת חַיָּה h. e.

ſecun-

secundum tempus puerperæ f. obstetricis, exactis novem mensibus. Eodem sensu Ægyptiacas obstetrices de Ebræorum fœminis pronunciare, eas חיות, non quidem vivaces & robustas, aut cum b. Luthero, *harte Weiber*; sed potius *obstetricandi notitia instructas*, sicque sine omni Ægyptiarum ope pueros enixas esse. *Ex. I, 19*, coll. *2 Reg. IV, 16*. De uxoris Lothi fato ad *C. XIX, 26*, statuit, eam in perpetuam salis statuam fuisse conversam. Difficile illud oraculum *C. XX, 16* ואת כל ונכחת ita transfert: *Et hoc omne*, scil. factum est, *ut reprehenderetur*, & præcedens הוא, vel ad maritum, vel ad argenteos referre jubet. Ad *Cap. XXII, 14*, an nomen Jehovæ monti accreverit? docte disquirit. *Capitis XXIII, c. 18*, emendatiori hac versione, ab immeritis & precariis plane *Clerici* criminationibus liberat, absona nempe & imperfecta ratione propositionem distingui: *Abrahamo* scil. cessit, vel emancipatus est ager *in possessionem coram filiis Chet*: Et quidem ipsi cessit *inter omnes, qui ingrediuntur portam urbis illius*. Circa Isaaci nuptias *C. XXIV, 63, 64*, observat, eum לשוח meditationis causa egressum esse: illo autem conspecto Rebeccam procidisse, h. e. sponte sua cum sedili ex camelo in terram se demisisse. In Jacobi voto *C. XXVIII, 21* verba והיה יהוה לי לאלהים ad Protasin rectissime refert. Felix non minus, quam ingeniosa est *C. XLIV, 5*, translatio: *nonne hoc* scil. poculum vel scyphus est, *ex quo bibit Dominus meus? Et* nonne *illud* est, *de quo observando observaverit*; i. e. prudenter colligit Dominus meus, non indigenas, sed advenas & peregrinos scyphum abstulisse? Cum incurvasse se super caput lecti, scil. pulvinar & cervical dicatur Jacobus *C. XLVII, 31*, illud ita factum fuisse contendit, ut coll. *Ebr. XI, 21*, super baculum simul suum se imposuerit. Nec ultima Patriarchæ hujus verba, quæ *C. XLIX* nobis servata leguntur, intacta dimisit doctissimus Commentator. Potiora dabimus. *V. 3, Ruben, primogenitus meus tu es, virtus mea, & primitiæ roboris mei: Excellentia dignitatis, & excellentia potentiæ*, scil. es, vel esse deberes, primogenituræ beneficio, quæ sacerdotii & Imperii jura tibi decernit. *V. 4 Rapiditas* seu festinatio *sicut aquæ*; i. e. verum, tam inconsiderato & præcipiti animo in peccatum, in belluinam libidinem illam ruisti; *ne excellas*; i. e. ut minime obtineas sacerdotium & in fratres imperium, *quia conscendisti cubilia Patris tui: Tunc*

 pol-


polluisti te nefando facinore; *stratum* enim *meum ascendit* scil.
p.228-233. Ruben! *V.18 in salutem tuam*, o tribus vel fili mi, Dan, *expecto Dominum. V.19 Gad* quod attinet, *turma populabitur eum; sed*
234. *ipse populabitur tandem* alios. *Comma 22* ad duas tribus e Josepho oriundas pertinere credit, longe lateque vitis instar aut hederæ ad murum plantatæ, ac super illum eminentis, ultra & cis Jordanem diffusas; & ipsum Jordanem per hæreditatis portionem manantem. Sensus inde talis prodit: בן פרת *Ramus*(ob Masc.G.) crassior & fœcundus, *fructiferæ* arboris, est *Joseph*, imo *ramus fructiferæ* arboris, *juxta fontem*, Jordanem puta, plantatæ, ut sic rami ejus super aquam se extenderint: בנות *Ramusculos tenuiores* (ob Fœm.G.) quod attinet, *prominebat* quilibet eorum *super murum*, ut arbos vel hedera, in muro surgens. *V.24* ad Josephum ita fatur venerandus Senex: *E manibus potentis Jacobi*, i.e. ab ipso Deo, *inde pascens*, scil. tu Joseph in Ægypto *lapidem Israelis* angularem Syr.49,17. i.e. me meosque, 74 illas animas, & deinceps longe plures, quas in Ægypto aluisti, & quæ fundamentum domus
241. Israelis, & totius populi Judaici erant. *Exod.II, 10*, onomathesian Mosis non filiæ Pharaonis sed matri infantis deberi judicat h.m.: *Sed vocaverat* ipsa mater, jam antea, quam ad filiam Regis adduceret puerum, *nomen ejus Mosen, & dicebat; quia ex aquis extraxisti*, vel ex aqua extrahendum curasti; scil. tu filia Pharaonis,
262 sqq. *eum. C.XX,3* illud על־פני interpretatur *præter personas meas*; i.e. præter filium meum & Sp. S. non habebis Deos alienos: vel generatim: *præter me*, i.e. Deum Patrem, Filium & Sp. S. Ubi de
265. præcepto IX *v. 14* agendum est, Calvinianam decalogi distinctio-
261. nem impugnat, simulque de accentuatione decalogica egregie
266. differit. *Ex. XXI, 8* ita illustrat: *si mala* visa fuerit ancilla *in oculis Domini sui, quam non desponsavit sibi; redimere faciet eam.* Germ *er muss machen, dass sie sich lösen kan*; simulque de Keri & Ktibh circa לא & לו varia docte disputat. *Cap. XXXII, 24* Aaronis sermonem ita exponit: *Cumque dicerem ad illos, cui est aurum*, scil. afferat illud; *abruperunt* statim monilia aurea, & *dederunt mihi; sie liessen mich nicht einmahl recht ausreden, so war Gold schon hauffenweise da.*

Sed nimis prolixum foret omnes huc transferre lepores, & felicia perquam in difficiliores Codicis S. sententias, meletemata.

Ita

Ita ſane comparatum deprehendimus *Dachſelianum* hoc Opus, ut ſine voluptate & ſingulari fructu illud a nemine eruditorum lectum iri, prorſus exiſtimemus. Reſtant memorandæ de origine accentuum conjecturæ. Adjecta nimirum calci ſunt *Excerpta ex* P. II, p. 622.
conjecturis ſanctioribus de accentuationis Ebrææ autore divino, ejusdemque ſolenniori introductione, ubi obſignationis ritus apud priſcos deteguntur; item ſcopo & uſu; & de Keri & Chetib origine atque uſu; ex amici epiſtola, ejusdem præſcitu communicata. Res eo redit. Accentus, pronunciationis vivæ imagines, a Patriarchis ante diluvium divina ope eſſe inventos, ut diſtinctiones & pauſæ, ſedes toni, emphaſis & pondus, elevanda & demittenda 624. §. 2, 3.
vox, notis hiſce indicarentur. Attollendam vocem, accentus ſupra lineam poſitos, demittendam ſubjectos lineæ poſtulare; & ſi in uno vocabulo junctim occurrant, altum & imum tonum ſociandum eſſe. Sakeph gadol majorem inprimis vocari, quod fratre ſuo majorem inter pronunciandum vim habeat. Metricam accentua- 4, 6.
tionem proſaica antiquiorem eſſe, canticis forte filiorum Dei in ſacris conventibus uſitatis accommodatam. Hoc ipſum librum Jobi, poſt priorem Geneſeos partem antiquiſſimum, teſtari, cujus uni quidem parti metricos accentus autor ipſe; alteri proſaicos aliena manus adjecerit. Idem & primævorum Patriarcharum hymnos confirmare, Henochi aliorumque, in Pſalmorum volumen relatos, v. c. *Pſ. I, II, XL, XLV, L, LXXV, XCVII*, quod *§. V p. 628* uberius peroratur. Metricam ergo, Proſaicæ ab *Henocho* vel *Semo* cum litteris excogitandæ, occaſionem dediſſe; utramque autem ante diluvii tempora viguiſſe. Metricæ veſtigia Moſis tempore *Ex. XV, 1 ſqq. Joſua, c. X, 13, Davidis 1 Sam. XVIII, 7, 2 Sam. I, 18,* p. 630.
quærit Autor, per ספר הישר ſive *librum recti*, tabulam Pſalmodi- 627.
cam intelligens, ad quam in circo geſta heroum fuerint decantata. Accentuum antiquitatem 1 ex duplici decalogi accentuatione ad- §. 8.
ſtruit. Eam duplicis pronunciationis argumentum eſſe: *Iratæ ſ. Præceptivæ*, Deique irati detonantis, & hanc in prioribus fractisque tabulis ſolam fuiſſe conſpectam; & *gratioſæ ſ. verſicula-* p. 632.
ris, Chriſti digito in poſterioribus tabulis adſcriptam & priori ſuperadditam *Gal. III, 19, 20.* Eandem diſtinctionum vetuſtatem 2 ex hiſtoria obſignationis librorum apud veteres hebræos ſolennis. 3 Iſraelitarum erga Libros ſacros reverentia, 4 & 5 ſapientia tandem §. 9.
&

§. 10. & providentia Dei, deducit. Sed & quo pacto invecti fuerint in omnes librorum sacrorum codicillos, accentus, monstrandum erat. Scilicet *Pentateucho*, *Josuæ*, *Danieli*, *Esræ*, *Jobo*, *Psalmis*, *Proverbiis*, *Jesaiæ* ipsos autores; reliquis *Esdram* adjecisse interpunctionis notas pronunciatur. Hinc de obsignatione librorum agitur.
p.632.
§.10, 11. Scribebant in tabulis singula veteres, ne tamen arcana, tabellariis aliisque paterent, obsignatione cavebatur. Divellebantur a quadratis litteris vocales & accentus, membranosis ligamentis inscribendi, quæ convolvi seorsim & substerni iterum litteris poterant. Ligamentis illis clavium codicillarium nomen erat.
13. Tales 1 voce תעודה *Jes. VIII*, 16, 20 innui putatur: probari non minus 2 punctis, quæ sine litteris in textu sacro apparent, ex ejusmodi codicillo seu clavi depromtis: 3 verbo חתם quod separationem vocalium a litteris sub excisionis tropo sistit: 4 *Ap. X*, 4, ubi Johannes hebraicis characteribus elementa quadrata scribens, voces tonitruum separatim consignare, & scriptione non manifesta, libello Apocalyptico inserere, ex Anonymi nostri fictione, jubetur.
14—18. Huc & 5 historiam emtionis agri anathotæi *Jer. XXXII*, 10-12, 14, 44, detorquet. Tria se volumina hic invenisse sibi visus, instrumentum obsignatum, stipulationis librum & clavem convolutam: quæ ex mente ejus, post reditum ex captivitate fuerunt reperta. Plura sententiæ præsidia 6 in verbo סתם, 7 in Keri & Chetib; quin & 8, 9 locis Scripturæ de obsignatione præcipientibus conquirit. Nominat *Gen. I*, 4, coll. *Zach. IV*, 10, 2 *Tim. II*, 19, it. *Ex. XXVIII*, 11, 36, *XXXIX*, 6, 14, 30, *Deut. XXXII*, 34, *Job. IX*, 7, *XIV*, 17, *XXIV*, 17: ex N. T. *Luc. XI*, 52,
23. *Joh. III*, 33, *VI*, 27, *Rom. IV*, 11, 19, alia plura. Keri & Chetib, obsignationi codicis a Deo per Jesaiam mandatæ deberi ait: & Keri quidem ex clavi ad minus solennem codicem spectante depromtum, quæ ad antiquissime obsignatum Codicem non pertinuerat.
p.627, 631. Alia quoque occasione ex *Mal. II*, 4, 7, *Ps. LXXXI*, 6, &c. demonstraturum se Noster promittit, Geneseos librum a Josepho continuatum & ad umbilicum perductum esse, cum Jobi forte libro, certe cum canticis quibusdam antediluvianis, maxime cum Henochi Psalmo Prophetico Ep. Judæ citato; eumque in manus Levi, una cum sacerdotio totius gentis a Josepho nutu divino traditum, & in Amrami familia ad Aaronem usque fuisse asservatum. Plurima omnino in his conjectanciis monenda essent. Indubiæ Codicis autoritati & βεβαιώσει cordis adeo necessariæ, an hoc pacto consuli possit? ipse Autor videat: Et si quidem serio hæc protulit, ut in justum systema sententias compingat; solidius confirmet; ab intestina, qua laborare videntur, simultate liberet; justasque cordatiorum accusationes amoliatur; sedulo allaboret. Eam ad ultimum seculo nostro exoptamus felicitatem, ut prodeat tandem Vir quidam doctus, qui Accentuationem Ebraicam indubiis principiis muniat, & quicquid adhuc difficultatum, non sane levium, superest, tollat aliquando nebulasque pellat.



ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Maji Anno MDCCXXX.

ATLAS MARITIMUS ET COMMERCIALIS; or, a general View of the World &c.

h. e.

CONSPECTUS GENERALIS TOTIUS terrarum orbis, in relatione ad commercium & navigationem, describens omnia littora, portus, & insigniores fluvios, juxta recentissimas explorationes & exactissimas observationes; una cum amplissima descriptione commercii, quod inter varias orbis nationes per mare & navigabiles fluvios exercetur, itemque originis, incrementi & decrementi ejusdem. Additæ sunt Directiones navigationum ad omnia nota littora & insulas globi terrestris, cum insigni apparatu mapparum maritimarum, partim juxta methodum Mercatoris, partim juxta novam projectionem sphæricam, ab HALLEJO approbatam, constructarum. Denique etiam adjuncta sunt duo ampla Hemisphæria cœlestia, quibus omnes stellæ catalogi Britannici continentur.

Londini, apud Knaptonos, Guil. & Jo. Innys, &c. 1728, fol. forma Atlantica maxima.

Conft. Alph. 6 pl. 2 & 55 Tabulis.

SPlendidum ac plane eximium Opus hic exhibemus, quod in duas præcipue Partes dividendum duxerunt Autores. In una res propositæ ita historice pertractantur, ut primo

quidem de ora maritima Europæ, de regionibus ac urbibus ad oram istam ac prope insigniores fluvios sitis, commercioque opportunis, deinde de ipso Europæorum commercio, de rebus cum naturalibus tum arte factis, quarum in commercio usus est; porro de ora Asiæ, & de commercio regionum ibi sitarum; post de ora Africæ, commercioque Africano; denique similiter de America atque ejus commerciis, copiose, diligenter, accurate, & juxta recentissimorum præstantissimorumque scriptorum fidem, agatur. Pars altera Directiones navigationum exhibet versus insigniores portus orbis cogniti, cum compluribus mappis nauticis, quarum pleræque juxta novam projectionis methodum sunt constructæ, præmissis Directionibus in usum nautarum, ubi variis problematibus docetur, quo pacto mappis utendum sit. Tota inscriptio hujus partis ita se habet; „*A general coasting Pilot* &c. i. e. Nauclerus littora legens; quo „directiones navigationis exhibentur, ad præcipuos portus or„bis cogniti, itemque ex iisdem; cum fasciculo mapparum ma„ritimarum, quarum nonnullæ juxta *Mercatoris* methodum, „sed pleræque juxta novam projectionem sphæricam sunt con„structæ ita ut distantiæ locorum, ope scalæ partium æqualium, „quantum fieri potest, accurate mensurari possint, approbante „hanc projectionis methodum D. *Hallejo*. Addita sunt duo he„misphæria per planum Æquinoctiale, quibus universæ stellæ ca„talogi Britannici continentur; præmissæque sunt Directiones „in gratiam nautarum, ubi usus mapparum sphæricarum faci„li methodo traditur, exemplisque & computo arithmetico „illustratur; opera & studio *Nathanielis Cutleri*.„ Directionum igitur nauticarum Autor est *Cutlerus*; mappas invenerunt & construxerunt *Jo. Harris*, *Jo. Senex*, & *Heinricus Wilsonius*; num qui etiam alii, præter hos, in conficiendo hoc opere studium suum contulerint, quique illi sint, incertum. Indices quoque, ne quid deesse videatur, adjuncti sunt satis copiosi atque accurati. In Præfatione diligentiam a se adhibitam animumque a partium studio alienum exponunt collectores. Sed & aliam adjecit succinctam Præfationem *Hallejus*, ubi inprimis de mappis earumque accurata constructione & projectionis methodo

thodo differit. Scilicet dubium non est, quin exacta descriptio oræ maritimæ, portuumque orbis habitabilis, justo loco & distantia exhibitorum, inter summa numeranda sit, ad quæ pertingere humana industria ac scientia queat: maximeque hanc artem ac scientiam perfici earum interest nationum, quarum salutis & felicitatis non minima pars a flore commercii dependet. Neque vero infitiandum judicat Celeb. *Hallejus*, quin Lusitanis ac Germanis plurimum hac in re debeatur, qui primi ejusmodi littorum descriptiones, & navigandi vias exhibuerunt. Ceterum cum his recentissimis temporibus, ope observationum Astronomicarum, sub directione cumprimis Societatis Regiæ Anglicanæ, & Academiæ Scientiarum Parisiensis, quamplurimi sint detecti ac correcti errores, circa verum locorum situm in globo terrestri, utique his correctionibus atque observationibus rite utendum est; quibus etiam adjutus ipse Celeb. *Hallejus*, circa annum 1700, occasione novi sui systematis variationum magneticarum, egregiam exhibuit universi Oceani tabulam, harum rerum studiosis satis superque notam. Nunc his rebus commoti atque excitati præsentis Operis collectores etiam longius progrediendum duxerunt. Itaque novas construxerunt mappas nauticas, cum recentissimis observationibus quam accuratissime respondentes, ac præterea juxta commodiorem projectionis methodum, quam quæ hucusque fere in usu fuit, elaboratas. Etenim vulgo nautæ mappis sive tabulis planis uti solent, quibus ita exhibentur partes etiam majores globi terraquei, tanquam ipsa terrarum ac marium superficies non sphærica sed plana esset. Atque id non aliam ob causam faciunt, quam quia hoc modo locorum quorumque distantias ope scalæ partium æqualium se dimetiri posse confidunt, rejicientes ideo mappam vere nauticam, quæ *Mercatoris* vocatur, propterea quod crescentibus in ea continuo gradibus latitudinis (meridiani enim rectis parallelis, ac lineæ rhumbicæ itidem rectis designantur) non licet unam atque eandem scalam in omnibus ejus partibus adhibere. Ceterum cum absurda mapparum planarum intelligentibus satis pateant, ut & hæc evitarent nostri Autores, & simul tamen iis, quantum licet, satisfacerent, qui una eademque

ſcala diſtantias metiri cupiunt, nova atque artificiali quadam projectione in conficiendis tabulis ſuis uſi ſunt, ab ea non multum diſcrepante, de qua Ptolemæus in extremo primo Geographiæ meminit. Scilicet gradus latitudinis ſunt omnes inter ſe æquales, perinde ut in ipſo globo; meridianus per mediam fere mappam tranſiens linea recta deſignatur; meridiani ceteri ſunt curvi, polos verſus ad ſe invicem inclinati, & in ipſis polis, ut par eſt, concurrentes; gradus longitudinis in circulis parallelis ſenſim decreſcunt; atque ipſi illi paralleli non rectis lineis ſed curvis deſignantur, eamque habent inter ſe & cum meridianis proportionem, ut diſtantiæ locorum, ſaltim non nimis magnæ, ſatis certo menſurari poſſint ſcala partium æqualium. Poſtremo, ut hæ mappæ omni nautarum ſcopo reſpondeant, inſertæ etiam ſunt loxodromiæ, ſeu lineæ rhumbicæ, quæ curvæ ſpirales ſunt, in ipſis polis terminandæ. De cetero primarium pretium mapparum hujus generis in eo poſitum eſt, ut rectiſſime judicat Celeb. *Hallejus*, quod littora, portus, & loca ...evis deſignata, juxta veras ipſorum longitudines & latitu...es ſunt expreſſa; neque adeo multum refert, cujus generis ſit projectio, dummodo iſtud ipſum rite obtineatur.

ISAACI NEWTONI, EQ. AUR. IN ACAdemia Cantabrig. Matheſeos olim Profeſſoris Lucaſiani, Lectiones Opticæ, Annis 1669, 1670, 1671, in Scholis publicis habitæ, & nunc primum ex MSS. in lucem editæ.

Londini, apud Guil. Innys, 1729, 4.
Alph. 1 pl. 16 Tabb. æn. 24.

NUlla commendatione opus eſſe libro, qui magnum *Newtonum* autorem habet, non injuria cenſere videntur doctiſſimi hujus Voluminis editores. Continentur in eo Prælectiones publicæ, quas Vir immortalis memoriæ in Academia Cantabrigienſi habuit, poſtquam *Barrovius* A. 1669 ipſi conceſſit cathedram *Lucaſianam*. Notiſſima jam ſunt orbi erudito egregia ejus inventa de luce & coloribus, quæ tunc primum publi-

publicis hisce lectionibus proposuit, ac postea maximam partem in opus incomparabile *Optices*, A. 1704 publicatum, transtulit, multisque novis repertis auxit. Quamvis vero hoc ipsum, & immaturæ quædam, statim ab initio exortæ imperitorum cavillationes, in causa fuerint, quo minus ab ipso Autore adhuc superstite hæ lectiones ederentur, rem tamen gratissimam harum rerum peritis præsenti editione factam esse, nulli dubitamus, partim quod summorum ingeniorum præclarissima inventa in ipsa origine intueri jucundum est, partim quod omnino non pauca hic reperiuntur egregie demonstrata atque explicata, quæ in libro *Optices* sunt omissa, & quorum etiam nonnulla in Lectionibus opticis *Barrovii*, sed sine demonstrationibus, jam sunt proposita. Et cum ipse olim *Newtonus* exemplum harum prælectionum *Gregorio* dedisset, id inprimis sequendum atque exprimendum editores duxerunt; qui tamen, cum post impressum jam librum audivissent, atque ex ipsa collatione invenissent, codicem manu exaratum & in Academiæ Cantabrigiensis archivis asservatum, magis esse absolutum, quam ipsum quidem exemplar Gregorianum, differentias etiam istius codicis, una cum erroribus typographi sat multis, sub finem libri annotarunt. Denique ne quid deesse videretur, paucæ quædam annotatiunculæ, partim post Præfationem, partim sub ipso textu adjunctæ sunt. Nunc ut ipsam libri dispositionem ac tractationem paullo luculentius exhibeamus, sciendum est, eum in partes duas, rursusque unam partem in quatuor, & alteram in duas Sectiones dividi. Et statim quidem in Sectione prima prioris partis de radiorum diversa refrangibilitate, de imagine solis, in obscuratam cameram per exiguum foramen rotundum intromissa, ac deinde per prisma vitreum trajecta, de imaginis hujus figura, magnitudine & distinctione, agitur. Sectione altera mensuræ refractionum, variique modi explorandi rationes sinuum & ipsas vires refractivas corporum cum solidorum tum fluidorum, exponuntur ac demonstrantur. Positisque hoc pacto genuinis refractionum legibus, in sequentibus duabus Sectionibus ad explicandas varias refractionum affectiones progreditur Autor, ita ut in Sectione tertia de planorum refractionibus, item-

itemque de punctis, ad quæ convergere, & per quæ transire debent radii omnis generis refracti; Sectione autem quarta de refractionibus curvarum, & inprimis sphæricarum superficierum, de determinando foco istarum superficierum ope radii curvaturæ, tandemque de radiorum refractorum a principali foco errore, partim ex ineptitudine figuræ sphæricæ, partim ex inæquali refrangibilitate radiorum heterogeneorum oriundo, disquirat. Reperit autem utrosque errores inter se comparans, priorem in parvis sphærarum portionibus, atque adeo etiam in vitris telescopiorum objectivis, longe minorem esse quam posteriorem, quippe cum hic ad illum se circiter habeat ut 1521, vel potius (ut editores errorem, qui in hunc calculum irrepsit, correxerunt) ut 984 ad 1. Ex quo concludit, heterogeneitatem lucis, non vero ineptitudinem figuræ sphæricæ in causa esse, quod telescopia in majorem perfectionis gradum nondum promota habeamus, eamque perfectionem a conicis sectionibus frustra expectari. Jam in altera harum lectionum parte ad exponendam & per multa prismatis experimenta demonstrandam naturam atque originem colorum pergit *Newtonus*, principioque aliorum hac de re opiniones, an errores, breviter perstringit, quippe in communi illo ac plane falso dogmate inter se plane consentientes, quod modificatio lucis, qua singulos colores exhibet, ei non sit insita ab origine sua, sed inter reflectendum vel refringendum acquiratur. Inter radios lucis nullum hi discrimen agnoscunt, priusquam incidant in corpus aliquod colorificum, opinati tantum, quod, pro varia dispositione corporis istius, variis modis reflectantur vel refringantur, & pro specie modificationis, quam sic acquirunt, varia deinde colorum phantasmata spectantibus exhibeant. Mixtura lucis & umbræ, gyratio globulorum, vel varia vibratio medii, non supponuntur inesse radiis antecedenter ad eorum reflexiones vel refractiones, sed per istas actiones generari creduntur; quemadmodum & Peripatetici statuunt, colores a corporibus originem ducere, quorum dicunt esse qualitates. At contrarium in sequentibus demonstrat *Newtonus*, quippe qui reperit, modificationem lucis, unde colores originem sumunt, luci omnino connatam esse, neque

que a reflexione aut refractione oriri, neque a qualitatibus corporum aut modis quibuslibet, nec denique ab iis vel destrui posse, vel ullo modo mutari. Ostendit igitur 1) quod radiis diverse refrangibilibus competant diversi colores, maxime refrangibilibus purpura seu violarum color, rubor minime refrangibilibus, mediocribus vero viriditas vel potius confinium viridis & virescentis cærulei; ipso cæruleo purpuræ & viriditati, flavo autem viriditati & rubori intercedentibus; 2) quod nullius radiorum generis forma sive dispositio colorifica, vel refractione vel alia quacunque causa, mutari possit, sed quod potius unicum tantum sibi proprium colorem unumquodque radiorum genus semper conservet & exhibeat, si modo a radiorum diversi generis mistura non conturbetur; 3) quod color albus & niger una cum cinereis seu fuscis intermediis fiant ex radiis cujusque speciei confuse mixtis, & similiter quod ceteri omnes colores, qui non sunt ex primitivis, per varias horum radiorum misturas producantur; 4) quod etiam primitivi colores per misturam radiorum alterutrinque confinium exhiberi queant; viridis e. g. ex flavo & cæruleo, flavus ex adjacente viridi citreoque, & sic porro; 5) denique quod omnes omnium corporum colores non aliunde generentur, quam e dispositione quadam, qua apta sunt, ut alios radios reflectant, & intromittant alios; ita ut corpus rubrum sit, quod radios ad rubedinem aptos reflectat maxime, & plerosque ceteros intromittat; purpureum, quod radios isti colori generando proprios reflectat, intromissis aliis; album, quod fere omnes reflectat; & nigrum, quod omnes pæne intromittat, paucissimis, sed omnium tamen specierum radiis repercussis. Positis hoc modo fundamentis, quibus colorum phænomena nituntur, jam deinceps in altera hujus partis Sectione nonnulla istorum phænomenorum atque effectuum sigillatim autor persequitur. Et primo quidem de iis agit, quæ cum prismata tum alia corpora pellucida, planis superficiebus terminata, exhibent; deinde etiam de iis, quæ a refractione curvarum superficierum, ipsarumque partium oculi, inprimis tunicæ corneæ, oriuntur postremo de iridis sive arcus cœlestis vera constitutione solidissime disquirit. Imaginem solis oblongam & colo-

coloratam, quæ in pariete obscuratæ cameræ ope prismatis depingi solet, quam curiosissime dimensus, reperit, spatia a singulis coloribus occupata non æque magna esse, sed proportionem quandam musicam, a certa alia proportione geometrica non magnopere discrepantem, inter ea locum habere. Prismate ante oculos collocato, non modo in aliis locis apparere res quasque visas variisque coloribus tinctas, sed interdum etiam contra fieri ostendit, scilicet ut res colorata, velut imago solis jam sæpius commemorata, si per aliud prisma, e justa distantia aspiciatur, coloribus istis plane denudata appareat. Irides sive coronas coloratas, quales nonnunquam circa candelarum flammam videntur, a rugis quibusdam seu plicis tunicæ corneæ (quas etiam aliquando in crystallini superficie existere posse non prorsus negandum putat,) accurate deducit. De radiis a lucidis corporibus hinc inde ad instar trabium in longum protensis, cum oculis pæne clausis ea aspicimus, ita censet: humiditatem, quæ inter cilia & tunicam corneam versatur, secundum extremitates ciliorum, velut aquam ad parietes vasis, quibus terminatur, nonnihil assurgere; atque hinc fieri, ut aliqui radii ab hac humiditate prius refringantur, quam attingant tunicam corneam, & sursum detorqueantur in confinio superioris cilii, ac deorsum in confinio interioris. Jam quod ad mirum illud cœlestis arcus spectaculum attinet, cujus originem post *Antonium de Dominis* egregie demonstravit *Cartesius*, sed causam physicam minus feliciter indagare aggressus est, ea hic a *Newtono* commemorantur, quæ plane rem omnem conficiunt. Ostenditur nimirum, radiorum in sphæram pellucidam incidentium nonnullos quidem statim transire, alios vero post unam, alios post duas, alios post plures reflexiones demum emergere; porro propter parvitatem guttarum pluvialium solos angulos considerandos esse, quos radii incidentes cum emergentibus comprehendant: nam ubi anguli illi sunt maximi vel minimi, emergentes radios esse confertissimos, atque adeo prævalere ad colores proprios exhibendos. Itaque angulis istis maximis vel minimis, quos singulorum generum radii, post unam vel duas reflexiones emergentes, cum incidentibus possunt constituere,

ex

ex doctrina superiori accurate determinatis, determinantur etiam diametri & crassities utriusque iridis, cum interioris tum exterioris. Sub finem harum lectionum paucis verbis etiam eorum phænomenorum meminit Autor, quæ observari solent, dum per tenues lamellas pellucidas radii transeunt, quæque hic prætermissa in ipso postmodum *Optices* Opere copiose satis ac præclare explicuit. Ita igitur statuimus, si cum Lectionibus, hoc loco propositis, ipse liber *Newtoni* de Opticis, *Barrovii*que similes Lectiones conjungantur, accuratissimum ac plane perfectissimum universæ theoriæ opticæ systema haberi.

A NEW TREATISE OF THE CONSTRUCtion and use of the Sector,

hoc est,

TRACTATUS NOVUS DE CONSTRUCtione & usu Circini proportionum, Autore SAMUELE CUNN, *Matheseos Lectore, revisus ab* EDMUNDO STONE.

Londini, apud Joannem Wilcox & Thomam Heath, 1729, 8.

Plag. 14 Tabb. æn. 2 cum figuris multis ligno incisis.

CL. Autor jam A. 1714 edidit tractatum omnibus numeris absolutum de doctrina fractionum vulgarium & decimalium, in quo ipso *Hallejo* judice doctrinam de fractionibus decimalibus plurimum promovit & multas regulas novas easque utilissimas dedit, quæ in hac Arithmeticæ parte desiderabantur. Idem Circinum proportionum nova ratione construxit, omissis lineis, quarum non adeo frequens erat usus, & in ceteris ejus usum multo ampliorem fecit, ut adeo præsens tractatus plurima contineat, quæ in aliis ejusdem generis frustra quæsiveris. Ita ope lineæ sinuum ellipsin, parabolam & cycloidem describere & in Geographia, ex duorum locorum latitudine ac differentia longitudinum, distantiam eorum invenire; ope lineæ tangentium ex iisdem datis locorum distantiam reperire, hyperbolamque intra asymptotos & mappas hydrographicas describere;

bere; imo ope circini proportionum omnia Trigonometriæ tam planæ, quam sphæricæ, problemata solvere, projectionem sphæræ perficere & horologia solaria construere docet. Ne tamen quicquam prætermisisse videatur, illarum quoque linearum, quas ex circino suo omisit, usum breviter capite ultimo exponit. Omisit autem lineam tetragonicam, lineam corporum sphæræ inscribendorum, lineam reductionis corporum regularium, lineam segmentorum, lineam superficierum, lineam solidorum, lineam metallicam. Inscripsit autem lineam logarithmicam, non modo pro numeris vulgaribus, verum etiam pro sinibus & tangentibus.

JOANNIS POLENI AD VIRUM CELEberrimum JACOBUM HERMANNUM, in Imperiali, quæ Petropoli est, Academia Matheseos Professorem eximium Epistola, in qua agitur de organica curvarum Tractoriæ atque Logarithmicæ constructione. Accedunt problematum ac theorematum de curva tractoria a celeberrimis Geometris propositorum Demonstrationes.

Patavii, typis Seminarii, 1729, 4, chart. aug. Plag. 14 Tabb. æn. 6.

Curvæ tractoriæ descriptionem & naturam a se detectam primus publici juris fecit *Hugenius*. Primam hujus ideam sibi venisse a *Perralto* monet *Leibnitius* in Actis A. 1693 mense Februario: neuter tamen constructionem dedit, quæ judice *Poleno*, Mathematico celeberrimo, harum rerum peritis satisfacere potest. Quamobrem ipse cogitavit de instrumento, quo curvam hanc utilissimam accurate describere daretur. Nec infelici sydere rem aggressus est: reperit enim instrumentum, quo non modo tractoriæ accurate describuntur, sed simul didicit, eodem parumper immutato Logarithmicam quoque describi posse. Instrumentum utrumque satis accurate describit, idemque æri incidi curavit, ut facile ejus fabrica intelligatur. Demonstrat etiam, quod curva

væ sic descriptæ sint tractoriæ, & logarithmicæ, nimirum quod illæ habeant tangentem, hæ vero subtangentem constantem. Descriptio instrumenti prolixior est, quam quæ commode huc transscribi possit: lectorem adeo ad ipsum Autorem remittimus. Ostendit etiam, quomodo priore instrumento describatur curva, cujus æquatio differentialis $2aydx - 2yxdx + aady + xxdy - 2axdy - yydy = 0$, hoc est, cujus abscissa, subtangens (jacens a parte opposita ei, a qua abscissa proficiscitur, & extra hanc atque etiam in directum cum hac producta) & tangens æquales sint ubique rectæ datæ lineæ constanti. Similiter ope instrumenti alterius curvam describere quoque docet, cujus æquatio differentialis est $adx + bdy = aody:y$. Quamvis autem Cel. Autor sibi conscius esset diligentiæ suæ; suo tamen judicio stare noluit, sed oculatos testes, omni exceptione majores, esse voluit Mathematicos clarissimos, Abbatem *Antonium* Comitem de *Comitibus*, Patricium Venetum, *Gabrielem Manfredium*, & *Jacobum* Comitem *Ricatum*, missis ad illos instrumentis ipsis, quibus uterentur ad explorandum. Testantur literæ, quæ subjiciuntur, viros præstantissimos instrumenta illa exactissima deprehendisse. Primus eorum testatur, in Logarithmica per instrumentum *Polenianum* descripta sumtis tribus continue proportionalibus, quæ media illarum erat, ne punctum quidem defecisse a media proportionali, quæ ducebatur in semicirculo, cujus diameter ex duabus aliis ordinatis constabat. Alter aperte profitetur, nihil in organica illa descriptione curvarum ad simplicitatem, nihil ad utilitatem praxisque geometricæ incrementum desiderari, ita ut ipsarum sectionum conicarum per vulgata illa instrumenta delineationem nequaquam cum *Poleniana*, quoad operis facilem tutamque executionem, comparandam esse judicet. Tertius idem prorsus cum *Manfredio* sentit, instrumentis nempe *Polenianis* Logarithmicam ac Tractoriam adeo clare ac distincte describi, ut ne notæ quidem vulgo coni sectiones certius in plano ac luculentius delineari ratione ulla ipsi posse videantur, nec illis quidpiam ad rem aptius vel utilius excogitari possit. Quamobrem & inventorem hortatur, ut ad alia quoque instrumenta excogitanda ani-

mum applicet, quibus Cycloïs, Linea sinuum, aut alia quædam analoga describatur, ut rectificationes circularium arcuum perinde obtineantur, ac quadratura hyperbolæ datur, tractoria descripta. Epistolæ subjungitur Commentariolum de Tractoria, quo problemata ac theoremata demonstrat, quæ a celeberrimis Geometris, *Leibnitio, Grando* & *Hugenio* absque demonstratione propositæ fuere. Utitur autem in hisce demonstrationibus concinnandis æquationibus differentialibus, quibus curvam hanc definire licet, prout eam vel ad asymptotum, vel ad axem retuleris: neque enim curva transcendens æquatione algebraica definiri potest.

METHODUS GENUINA ET GEOMEtrica, diu satis multumque hactenus desiderata, quantitatem fluidi in dolio ex parte jam evacuato adbuc contenti, in hypothesi compositionis dolii ex duobus conis truncatis, inveniendi, eruta a JOH. WILH. THEOD. LEICHNERO, Erffurtensi, Ph. M. & Dicasterior. Electoral. Erffurtens. Adv. Ord.

NOn est ignotum, quantopere Mathematici talem Methodum ob insignem in praxi usum exoptarint, nemini tamen, quantum mihi constat, hunc usque in diem hanc adire licuit Corinthum, quod etiam novissime testatus est Celeberr. *Wolfius* in *Elem. Mathes.* tam lingua Latina, quam vernacula vulgatis. Præsertim miratus sum, quantam operam circa hanc rem nuper insumserit Clariss. Dn. *Haasius* in *Theoria sua nova Stereometrica*, cum nihilominus genuinum scopum attingere ipsi haud licuerit, cui interim laudes suas non diffiteor deberi, ob haud spernenda complura Mathematica meditamenta, hinc inde in scripto ejus obvia: unde etiam gratum mihi est, quod per tantum temporis spatium inventum meum (siquidem jam ante decennium, & quod excurrit, eodem sum potitus) presserim, cum procul dubio, si nulla interposita mora illud vulgassem, Cl. *Haasius* laboribus suis hocce in argumento supersedisset.

Alt

Ast ulterius premere qualecunque hoc meum inventum nequeo, ne nimirum plane illud mecum intercidat, siquidem hactenus cum morbo chronico satis periculoso conflictatus sum & etiamnum conflictor, cui, quam facillime, ut succumbam, fieri potest, insuperque Amici, quibus de hocce meo invento constat, cunctationem meam iniquitatis tum erga Rempubl. literariam, tum erga me ipsum dudum accusarint. En igitur ipsam hanc meam methodum. Primitus duos esse casus in hoc problemate ab invicem distinguendos monendum mihi est: aut enim suprema fluidi in dolio adhuc residui superficies est inferior suprema circularis fundi ora, aut non est. Prior casus fere frequentius in praxi occurrit, quam posterior, ejusque etiam solutio non parum operosior est solutione posterioris casus, quare primo loco illum absolvam.

Repræsentet A B I F conum truncatum medietatem dolii constituentem. Sit A D, distantia liquoris ab A orificio, $= a$; G D, semissis longitudinis dolii, $= b$; E D $= c$; area hyperbolæ, cujus axis E D, basis vero chorda arcus, circuli doliaris maximi, ad sagittam A D pertinens, $= e^2$; area segmenti circuli maximi, cujus A D itidem sagitta, $= m^2$; D H autem $= n$, & C H $= p$. Hæ enim omnes quantitates partim sunt cognitæ, partim facile cognoscendæ. Jam multiplicetur m^2 per $\frac{1}{3}p$ & e^2 per $\frac{1}{3}n$, posteriusque productum a priori subtrahatur, eritque differentia $\frac{1}{3}m^2 p - \frac{1}{3}e^2 n$. Porro sit F G $= q$, & E G $= r$; area autem hyperbolæ, cujus axis E G, basis chorda arcus circuli, cujus diameter F I, pertinens ad sagittam F G (cujus adeo hyperbolæ asymtoti sunt C F & C I,) sit $= u^2$; & area segmenti, cujus F G sagitta, sit $= d^2$, tandemque C K $= b$, & G K $= k$. Multiplicetur d^2 per $\frac{1}{3}b$, & u^2 per $\frac{1}{3}k$, productaque ut antea ab invicem subtrahantur, ut habeatur differentia $= \frac{1}{3}d^2 b - \frac{1}{3}nu^2$; atque hæc ipsa a priori illa, nimirum $\frac{1}{3}m^2 p - \frac{1}{3}e^2 n$, subtrahatur, eritque residuum $\frac{1}{3}m^2 p - \frac{1}{3}e^2 n$

$\frac{5}{3}c^2n - \frac{5}{3}d^2b + \frac{2}{3}nu^2 =$ capacitati semissis vacui spatii in dolio, nimirum AFGD, cujus adeo duplum si subtrahatur a capacitate totius dolii, habebitur quantitas liquoris inibi adhuc contenti. Cum vero dolia ob curvitatem tabularum paulo sint capaciora duobus conis truncatis, (quorum bases, major quidem circulus doliaris maximus, minor autem ipse dolii circularis fundus) & quidem ea proportione, teste experientia, (vid. Celeb. *Wolfii Elem. Arithm.* §. 525) qua cylindrus, cujus diameter mediæ arithmeticæ proportionalis inter diametrum fundi & circuli doliaris maximi, altitudo autem æqualis distantiæ fundorum doliarium, superat prædictos duos conos truncatos; ut methodus hæc nostra magis ipsi praxi attemperetur, repertæ quantitati liquoris in dolio adhuc contenti addatur differentiæ inter prædictum cylindrum & totius dolii, in ante memorata hypothesi, capacitatem, talis pars, quæ se habeat ad reliquam, uti circuli doliaris maximi, (cujus nimirum diameter AB) arcus ille, cujus sagitta BD, se habet ad reliquum arcum, cujus sagitta AD. In posteriori casu sit distantia liquoris ab orificio AM, axis superficiei hyperbolicæ ejusdem (*nimir. liquoris*) LM, sitque $AM = a$ $LM = b$; hyperbolæ modo dictæ, cujus axis LM, basis, chorda circuli doliaris maximi, cui (*chordæ nimirum*) respondet sagitta AM, area sit $= o^2$; area autem segmenti circuli doliaris maximi, cujus sagitta AM sit $= e^2$, $MH = n$, & CH, ut antea $= p$. Multiplicetur jam e^2 per $\frac{2}{3}$ p & o^2 per $\frac{2}{3}$ n, eritque differentia horum productorum $\frac{5}{3}e^2p - \frac{2}{3}o^2n =$ ALM, capacitati semissis spatii vacui in dolio ex duobus conis truncatis composito, cujus adeo duplo subtracto a capacitate totius dolii, residua erit quantitas liquoris adhuc contenti.

In praxi subtractio hæc fieri debet a capacitate cylindri antea descripti, insuperque subtrahenda adhuc erit differentiæ, inter illum cylindrum & dolium ex duobus conis truncatis compositum, ea pars, quæ se habeat ad reliquam, uti quantitas liquoris, quam capere potest spatium vacuum in dolio, ad quantitatem in dolio residuam.

Demonstrationem hujusce methodi meæ certis ex causis im-

præ-

præsentiarum non addo, sed elapso demum circiter spatio abhinc annuo eandem suppeditabo, ni interim eandem Geometrarum quis proprio marte eruat & publico communicet, quod sane gratissimum foret, & eapropter eos ad id ipsum quam humanissime invitatos volo. De problemate meo mense Majo A. 1726 in his Actis proposito, & Celeb. Prof. *Hausenii* solutione pluribus agam in *Bibliotheca Schediasmatica Erffurtensi*, futuris nundinis autumnalibus, si Deus vires & sanitatem concesserit, a me edenda.

THE PRINCIPLES OF THE PHILOSOPHY of the expansive and contractive Forces &c.

hoc est,

PRINCIPIA PHILOSOPHIÆ DE VI EXpansiva & contractiva, Autore ROBERTO GREEN, *M. A. & A. C. S.*

Cantabrigiæ, typis Academicis, 1727, fol.
Alph. 11.

POstquam de prima Operis hujus parte mense Junio anni superioris diximus, quæ curiositati Lectorum satisfacere existimabamus: nunc eodem instituto dicemus de altera. Libro igitur quinto Cl. Autor examinat principia metaphysica & logica, seu systema idearum *Lockii*. Primum impugnat tabulam rasam *Aristotelis*, quam *Lockius* tanquam fundamentum philosophiæ suæ absque omni probatione sumit, propterea quod judice Nostro suam ignorantiam ultro confiteatur de mentis natura. Non tamen miratur hypothesin istam precariam a *Lockio* sumi, propterea quod ideas mentis ex materia resultare posse existimet: quo tanquam primis rationis principiis adverso nihil absurdius cogitare licet. Examinat deinde singulas ideas, quas a sensu in mentem venire affirmat *Lockius* atque ostendit, quantum a vero aberret & in principia philosophiæ impingat. Ita ostendit, quam infeliciter ideam soliditatis examinet & quantam ignorantiam prodat, dum ideam soliditatis a tactu arcessit & in numerum idearum simplicium refert. Peccat *Lockius* in eo, quod signi-

significatum vocis soliditatis in ambiguo relinquat, utrum per eam intelligi velit vim istam, qua corpus alterum ab aditu in locum suum prohibet, donec ipsum deseruerit, quemadmodum definitio insinuare videtur; an tantummodo id, quod tactu percipimus, manu ad corpus applicata, quemadmodum origo ideæ asserta præ se fert. Si priorem significatum admiseris, *Lockium* falli, quod ab uno sensu ideam soliditatis repetat, cum non minus visu, quam tactu percipiamus, corpus unum non posse ingredi locum alterius, nisi ab ipso ante derelictum, nec unum posse accedere ad contactum alterius, nisi intermedio excluso. Perperam quoque ideam tunc vocare simplicem, cum sit abstracta & complexa. Abstractam esse ideam probat inde, quod hic consideretur vis in genere, præcisis determinationibus specificis, quibus vires in casibus singularibus a se invicem differunt in materia: eandem esse complexam ex eo arguit, quod involvat relationem corporis unius ad alterum spatium, quod corpus occupat, remotionem ex spatio, antequam alterum ingredi possit. Ecquis vero dixerit ideam esse simplicem, quæ in alias plures easque minus simplices resolvitur? Si posteriorem significatum expenderis, quem inconstantiæ loquendi deditus *Lockius* in origine ideæ soliditatis assignanda tuetur; tunc non amplius sermonem esse de soliditate abstracta, quam in definitione supponit, cum tactu tantummodo percipiatur resistentiæ gradus pro diversa corporis duritie, mollitie vel fluiditate varius, quemadmodum varius est color respectu visus, quo percipitur, color autem in genere non videtur. Salse igitur ridet *Lockium*, quod varias resistentiæ species, quas experimur, confundat cum resistentia in genere & resistentiam in genere tactile quid simplex efficiat. Id vero in singulis, quæ de idearum simplicium origine tradit *Lockius*, Noster agit, ut doceat, quam superficiaria sit illius doctrina & quanto intervallo distet ab acumine, quod ad res metaphysicas perspiciendas requiritur: imo in ceteris quoque capitibus non majore acumine uti *Lockium* operose adstruit. Nimis vero prolixum foret de singulis dicere: quamobrem suffecerit speciminis loco unum alterumque in medium attulisse. Ita in notione spatii *Lockiana*, quod sit idea simplex, quam visu

&

& tactu acquirimus, triplicem errorem notat, nimirum quod idea spatii dicatur simplex, quod eam consequamur visu & tactu, quod denique extensio corporis sit eadem cum spatio, cum idea spatii sit abstracta tum ab eo, quod videmus, tum ab eo, quod tangimus, adeoque neque tactu, neque visu acquiratur, quia abstractum nec videri, nec tangi potest, sed id, quod tangitur atque videtur, extensio materiæ est. Absonum videtur Nostro, quod *Lockius* sibi persuadeat, ideam immensitatis ex repetitione mensuræ finitæ nasci, cum sic obtineamus ideam majoris, finiti, nequaquam vero negationis finiti. Notionem spatii immensi ratiocinando colligi ex natura ipsius, quæ limites respuit, nec ullius limitationis capax est: communem autem magisque usitatam viam perveniendi ad hanc notionem esse respectum ætheris interminatum. Neque fert Noster *Lockii* de notione durationis sententiam, quod ex idearum successione nascatur, propterea quod ideæ nostræ sunt a se invicem distinctæ, quemadmodum verba, quibus exprimuntur, adeoque interruptæ, non continuæ, duratio tamen sine continuitate non concipitur; præterea idearum successio inæquabilis, utpote non eadem celeritate sibi mutuo succedentium; idearum denique successio respectu durationis a voluptate atque tædio alteratur, attentione nunc magis, nunc minus ad easdem conservata, ita ut idem tempus nunc longius nobis appareat, nunc brevius. Respondet sigillatim ad singula argumenta *Lockii*, quibus sententiam suam confirmat &, quam parum firmitatis iisdem adsit, ostendit. Nasci ideam durationis ex eo, quod nobis conscii sumus existentiæ nostri continuæ, dum ideæ nostræ sibi invicem succedunt & res aliæ continuo mutantur. Constat ex recensione priore, Cl. *Greenium* defendere plenum, sed alio sensu, quam philosophos corpusculares. Monet *Newtonum*, etsi in Principiis vacui existentiam sibi demonstrasse visus fuerit, perspectis tamen rationibus Autoris, in ejusdem Principiis philosophiæ naturalis jam olim propositis contra vacuum, in secunda editione Opticæ admisisse plenum universale sive ætherem, & in secunda Principiorum editione propositionem, quod detur vacuum, convertisse in aliam, quod res omnes non sint æqualiter plenæ. Observat tamen, notionem pleni

Cartesiani esse fœtum imaginationis atque idem a *Newtono* & ejus sequacibus refutatum esse concedit, etsi in eo eos reprehendat, quod principia philosophiæ corpuscularis amplexi errores magistri Galli retineant & veritatem rejiciant. Nec sine ratione ridet *Lockium* imaginationi nimis indulgentem, quod infinitudinem modum quantitatis esse affirmet, qui primario conveniat rebus ex partibus constantibus, veluti spatio, durationi & numero, atque ideo contendat, infinitatem Deo potissimum tribui respectu durationis & ubiquitatis, metaphorice autem ad sapientiam, potentiam & bonitatem aliaque ipsius attributa transferri, quatenus sunt inexhausta atque incomprehensibilia, cum contrarium verum deprehendatur, ubi secundum principia rationis notionem infiniti examinaveris. Unde facile intelligitur, quam parum probetur Nostro modus perveniendi ad notionem infiniti a *Lockio* assignatus. Ostendit idem, quam parum conducat *Lockiana* notio boni atque mali ad philosophiam moralem, dum more suo non ultra sensus sapiens res bonas & malas dici affirmat, quatenus voluptatem & dolorem respiciunt, cum sic natura virtutis ac vitii pro diversitate subjectorum, imo pro uno eodemque subjecto diverso tempore instar vertumni mutabilis esse debeat, quasi vero errores vulgi ex notionibus confusis per præcipitantiam judicantis deceant philosophum. Ridiculum atque absurdum Noster pronunciat, quod libertatem consistere contendat *Lockius* in potentia mentis sese ad quid cogitandum determinandi, vel non determinandi, prout volupe visum fuerit, cum de eo nunquam fuerit quæstio, ubi de libertate inter philosophos disceptatum fuit: secundum illam enim notionem hominem non esse liberum respectu suarum cogitationum, quando impeditur, quo minus quid cogitet, nec liberum respectu suarum actionum, quando in vincula conjicitur, ut ambulare non possit, consequenter eandem mentem nunc libertate esse indutam, nunc eadem carere, prout circumstantiæ externæ corporis tulerint. Notionem substantiæ *Lockianam*, quod ea sit substratum seu sustentaculum quoddam obscurum qualitatum, quæ potentiam habent simplices ideas in nobis producendi, hoc est, qualitatum sensibilium, non abs ratione fœtum imaginationis

vocat

vocat per arbitrariam compositionem notionum abstractarum productum. Errare *Lockium*, quod substantiam distinguat a proprietatibus essentialibus, cum quibus ceteræ connectuntur, & quod substantiam in genere consideret, ante substantiarum species. Noster primo loco considerat substantias particulares, atque inde abstrahit notionem substantiæ in genere. Ita observat essentiam mentis humanæ consistere in vi quadam particulari percipiendi, unde pendeat vis particularis volitionis, memoriæ aliarumque facultatum, quæ cum illa perinde connectantur ac attributa auri cum proprietate aliqua essentiali, per quam aurum tanquam substantia concipitur: mentem autem brutorum in vi percipiendi ac appetendi inferiore consistere. Et hinc colligit, mentem in genere esse vim percipiendi & appetendi, præciso gradu omni, qui in naturis & essentiis particularibus eidem conveniat. Ne unica quidem in toto opere *Lockiano* occurrit notio, quæ non sit imaginaria, quemadmodum Noster probat: id quod non mirum, cum notiones rerum abstractarum, quæ ab imaginibus prorsus sejunctæ sunt, immediate a sensu deducere voluerit.

Quando libro sexto Ethicam & religionem naturalem ad examen revocat, cum *Cartesio*, *Lockio*, *Clarkio* & *Wollastono* ipsi inprimis negotium est. Primo loco exponit, quænam in Theologia naturali *Cartesii* desideret, quam in Meditationibus suis proposuit Theologus. Ita negat existentiam Dei demonstrari ex eo, quod in notione entis perfectissimi existentia necessaria contineatur, quemadmodum tres anguli in notione trianguli, cum tantummodo sit proprietas ideæ, perperam autem inde concludatur existentia entis, cui idea ista competit. Merito enim in dubium vocari, quod idea entis perfectissimi sit menti humanæ innata. A demonstratione *Cartesiana* progreditur ad *Lockianam*, in qua nullum consecutionis filum agnoscit. Etenim *Lockius*, cum a forma syllogistica abhorreat, sine qua genuinæ demonstrationis forma concipi nequit, talia profert, quorum unum ex altero non colligitur. Omissis nimirum vocabulis generalibus & nihil significantibus, quibus fucum facit lectori imperito, omnem ipsius demonstrationem huc redire: Certi

 sumus,

ſumus, nos percipere. Perceptio iſta a ſe produci nequit. Producitur ergo ab alio quodam: quod, quid ſit, ignoramus, adeoque æternum eſt. Idearum connexionem hic non reperturum exiſtimat Autor, ſi quis vel maxime habuerit ingenium enthuſiaſticum in philoſophia, quale aliis tribuitur in Theologia. Examinat deinde in particulari ſingula, quæ prætenſam iſtam, ſi ſuperis placet, demonſtrationem ingrediuntur, atque oſtendit, *Lockium* contra naturam demonſtrationis ſumere, quæ evidentia non ſunt. Perceptiones mentis noſtræ exiſtere ultro largitur. Sed evidens eſſe non concedit, quod originarie menti non inſint. Quodſi ergo contrarium ejus ſit verum, quod tanta confidentia ſumit *Lockius*, totum argumentum ejus ruere: quodſi verum non ſit, perceptiones rerum externarum vi inſita mentis produci poſſe, idem omnino probandum eſt, quod *Carteſius* non ſine ratione idem affirmet. Difficultate hac ſuperata ſecundo loco probandum fuiſſe a *Lockio*, illud aliud, a quo producantur perceptiones, eſſe Deum. Omittimus alia, quibus probat, *Lockium* perperam ſibi perſuadere, quod res arduæ adeo levi negotio confici poſſint, cum in omnibus ſibi ſemper ſimilem repræſentet, nempe acumine ad tractandas res metaphyſicas deſtitutum. Quamobrem non mirum, quod alteram quoque *Lockii* demonſtrationem iisdem nævis obnoxiam eſſe oſtendat, quibus primam laborare oſtenderat. Eam in compendio huc redire ait Noſter. Si non ſupponatur aliquod primum vel æternum, materia exiſtere nequit; ſi materia iners ſupponatur absque motu æterno, motus exiſtere nequit; ſi ſupponimus tantum materiam & motum tanquam primum illud & æternum, cogitatio exiſtere nequit. Ergo neceſſario ens cogitans & intelligens extitit ab omni æternitate. Poſtquam in genere *Lockium* reprehendit, quod ex Carteſiana philoſophia in ſuam tranſcripſerit, normam certitudinis eſſe idearum connexionem, & hoc tamen non obſtante absque idearum connexione probet res extra nos exiſtere, cum id perinde ſit ac affirmare, quod omnis certitudo dependeat a connexione idearum & detur tamen hoc non obſtante certitudo quædam, quæ inde non dependeat, hoc eſt, quod contradictoria ſimul ſint vera; ſigillatim ſingula expendit, ex qui-

quibus *Lockius* demonſtrationem ſuam conſtruit. Reprehendit eum, quod principiis ntatur, quæ nec intelligat, nec probare poſſit: etſi enim nemo non concedere debeat, aliquid extitiſſe ab æterno, probandum tamen fuiſſe, ſi non ſupponatur aliquod primum vel æternum, materiam exiſtere non potuiſſe: id quod tamen a *Lockio* fieri non potuerit, utpote terminos, qui propoſitionem ingrediuntur, ſufficienter explicare minime valente. Suppoſitum ſecundum de materia inerte abſque motu niti notione materiæ imaginaria, quam eſſe falſam in anterioribus oſtendit. Cumque *Lockius* ignoret, quid ſit materia, & in quo conſiſtat, eundem quoque gratis affirmare; quod cogitatio exiſtere nequeat, ſi ab æterno exiſtat materia cum motu: neque enim concedi poſſe tanquam verum, quod ex notione imaginaria a rerum natura abhorrente colligitur. Denique ex eo, quod ens cogitativum ſit æternum, nondum ſequi, quod idem ſit Deus. Tum enim demonſtratum eſſe, quod ens aliquod ſit Deus, ubi viceris, eidem convenire omnipotentiam, omniſcientiam, bonitatem infinitam, benignitatem ſummam & quæ ſunt alia hujusmodi attributa. Hæc ideo potiſſimum adverſus *Lockium* urget, quod is tantopere crepet idearum connexionem, tanquam fontem omnis certitudinis, de ideis tamen parum ſolicitus ſit, ut rebus ſuis conveniant, ab evolutione idearum totus alienus, ſine qua tamen idearum connexio nulla appareat. Quoniam Cel. *Clarkii* demonſtratio de exiſtentia Dei non modo inter Anglos celebratur, ſed extra Britanniam quoque non ſine applauſu excepta fuerit; ideo operæ pretium duxit, ut eandem quoque examinaret. Ipſe *Clarkius* eam in propoſitiones digeſſit, quas adeo ſingulas Noſter expendit. Monet itaque, propoſitionem primam, quod aliquid exiſtat ab æterno, & Deiſtas, & Atheos, & Chriſtianos concedere; omnem autem rei cardinem in eo verſari, an ens iſtud æternum ſit univerſum ipſum atque natura ipſius, qui atheorum error eſt; an ſit ab eo diverſum, infinitum, intelligens ac independens, quæ Chriſtianorum & Deiſtarum ſententia eſt. Propoſitionem ſecundam, quod ab æterno vel extiterit ens immutabile atque independens, vel infinita detur ſucceſſio rerum mutabilium & dependentium, quorum unum

productum fuerit ab altero, absque causa originaria, quod posterius tamen sit absurdum, atheismo non esse adversum, cum quæstio primaria, quæ inter atheos & Christianos atque Deistas agitatur, per eam non solvatur, an mutua illa rerum a se invicem dependentia ex necessitate naturæ rerum illarum seriem constituentium proficiscatur, an a causa suprema & intelligente ab illa distincta derivetur. Præsentem mundi & universi statum esse statum mutuæ dependentiæ rerum a se invicem: in eo autem versari cardinem quæstionis, utrum ista mutua dependentia sit a natura intrinseca rerum ipsarum, an ab arbitrio entis infiniti, sapientissimi & providi: quæ autem ratiociniis Autoris metaphysicis non dirimi possit. In naturam rerum inquirendum esse, ut inde eruatur nexus ejus cum autore naturæ. Propositionem tertiam, quod ens immutabile ac independens, quod ab omni æternitate existat, absque ulla causa externa existentiæ suæ, sit ens a se, seu necessario existat, tanquam veram concedi etiam ab atheo, qui necessariam connexionem ex natura rerum resultantem pro ente necessario, immutabili ac independente habeat. Id contra atheos probandum esse, ens immutabile, independens ac necessarium esse a natura & mutua ac necessaria rerum a se invicem dependentia diversum: ad quod probandum majorem in philosophia profunditatem requiri existimat, quam quæ *Clarkio* fuit. Ostendit deinde in tota demonstratione nulla occurrere principia, per quæ atheus convinci possit, mutuam rerum a se invicem dependentiam non esse naturis rerum una cum motu essentialem, etsi nihil agat, quamdiu id non evincat. Propositionem quartam, quod substantia & essentia entis a se & necessarii a nobis comprehendi nequeat, quodque ejus nullam habeamus ideam, lubenter concedi ab atheo, cum atheismo non sit adversa. Propositione quinta, quæ urget nexum inter ens æternum & necessarium seu ens a se, nil contineri, quod ab atheo non perinde admittatur ac a Deista. In eundem censum refert propositionem sextam, quod ens a se sit infinitum & omnipræsens. Et quamvis in propositione septima parum firmiter unitatem entis a se ex aseitate inferat; eam tamen ab atheo facile concedi existimat, qui naturam necessariam nonnisi unam admit-

mittat. Propositionem octavam, quæ ens a se & causam originariam rerum omnium esse ens intelligens enunciat, palmariam esse observat, ipso *Clarkio* consentiente, qua atheismus evertitur; sed tantum connexionis idearum patronum hic recurrere ad argumenta topica, dudum ab omnibus autoribus usurpata, inprimis a *Grotio* & *Rajo*, ut in iis nudum repetitorem agat, ab idearum connexione destitutus. Ceterum probat Noster argumenta *Grotii* atque *Raji*, neque adeo habet, quod repetitori amplius opponat, ubi in viam tritam tandem redire cogitur, frustra alia quæsita. *Wollastoni* argumentum de existentia Dei desumtum a subordinatione causarum & effectuum in *Lockianam* recidere ostendit. A demonstratione existentiæ Dei progreditur ad examinanda principia moralia *Lockii*, quæ in Tentamine de intellectu proposuit, ubi simul rationes ejus expendit, ob quas moralia demonstrari posse affirmat. Supra jam monuimus, quod notionem boni & mali *Lockianam* minime probet; hic autem inprimis reprehendit, quod *Lockius* sibi persuadeat, lege civili naturam actionum immutari posse. Et ex iis, quæ de principiis moralitatis *Lockii* attulit, concludit, demonstrationes moralitatis non fuisse in ipsius potestate, ut adeo non mirum sit, quod amico suo *Molyneusio* ipsum hortanti, ut moralia demonstraret, non præbuerit aures benignas. Neque etiam Nostro probantur *Wollastoni* notiones boni atque mali, quod illud consistat in actione veritatem, hoc vero in actione falsitatem exprimente, quemadmodum verbis vera & falsa exprimimus. Singulas illius propositiones sigillatim expendit &, quid in iis desideret, candide exponit. A *Wollastono* ad *Lockium* redit, ubi contra eum probat, non omnes ideas a sensatione & reflexione derivari, notionem identitatis & diversitatis impugnat, & de enthusiasmo disputat. Nihil adeo in toto opere *Lockiano* occurrit, quod non ad examen revocet tum ratione veritatis, tum ratione methodi, propterea quod *Lockii* asseclæ & rerum subtilem profunditatem, & methodi accurationem admirabundi prædicare solent. *Greenius* adeo id agit, ut clarissime ostendat, in utroque eos oppido falli, cum nec rerum, nec methodi veritas *Lockio* innotuerit.

Libro tandem septimo de Algebra agit, quam scientiarum, quot-

quotquot hactenus inventæ sunt, nobilissimam esse judicat, ita ut ab intellectu humano nunquam proficisci possit, quod majorem ejus perfectionem sapiat. Eam veteribus non ignotam fuisse, propositionibus Elementi secundi *Euclidis*, præsertim undecima, atque decima quarti probat, in quibus Algebræ vestigia satis comparere existimat. Explicat autem præter algorithmum litteralem doctrinam de æquationibus, quæ proprie loquendo Algebram constituit. Docet resolutionem æquationum simplicium, quadraticarum, cubicarum & biquadraticarum affectarum, quatenus nempe ea in potestate est: deinde approximationes pro quibuscunque æquationibus *Stevini*, *Harrioti*, *Vietæ*, *Newtoni*, *Halleji* & *Raphsoni* addit. Ab Algebræ ad Geometriam applicatione prorsus abstinet. Ceterum in modo problemata solvendi *Kersaum* sequitur, qui *Newtono* etiam probatur, ut ex uno latere algebraice repræsentetur, quod ex altero verbis anglicis describitur. Caput ultimum instar appendicis miscellanea continet. Primo hic respondet ad *Cotesii* objectiones, contra Dissertationem suam de seriebus infinitis *Newtoni* & contra quadraturam circuli, quam in Geometria solidorum proposuerat, nempe quod quadratum diametri sit ad aream circuli ut 5 ad 4. Tradit etiam nonnulla de longitudine maris investiganda, quam computandam esse docet a puncto quodam cœli fixo, quemadmodum in latitudine determinanda moris est. Pro puncto autem fixo assumi posse monet Martem, Jovem atque Saturnum, ac fixam quamlibet. Quodsi nullus ponatur motus primus, longitudo eadem facilitate determinatur, qua latitudo, hac nimirum præsupposita. Etenim quadrante æquatori parallelo observare jubet distantiam loci a fixa, quam tanquam quiescentem considerat & cujus longitudo nota sit: longitudinem loci fore distantiam ejus a stella additam longitudini stellæ vel ab eadem subductam. Addit nonnulla de usu acus magneticæ in hoc negotio. Hypothesin suam de fulgure ac tonitru ex vi contractiva & expansiva deductam explicat, & observationem iridis quondam suam describit. Ex iis, quæ de circulatione succi nutritii in plantis earumque perspiratione in Statica vegetabilium experimentis probat *Stephanus Halesius*, colligit ob analogiam plantarum cum brutis tribuen-

buendum quoque ipsis esse inferiorem quendam gradum perceptionum. Denique colophonis loco dialogum subjungit, in quo materiam similarem & homogeneam modernorum Philosophorum deridendam lectori propinat.

Adjiciuntur huic Operi Miscellanea quædam philosophica cum nonnullis mathematicis Latino idiomate conscriptis. Primo loco comparet Dissertatio de nova infinitarum serierum doctrina, prout a *Newtono* aliisque affirmatur, in prælectiones varias distincta ad Juventutem Clarensem habitas. Ansam dedit *Newtonus*, quod, cum eum accederet, rogans ut de quadratura circuli a se inventa judicium suum candide aperiret, chartas oblatas ne inspectas quidem rejiceret & epistola denuo invitatus idem facere recusaret. Ne igitur *Newtonus* sibi videretur ea omnia nosse, quæ quisquam proponere potest, vel, quæ ignoraret, opinaretur negligenda esse; doctrinam ipsius de seriebus infinitis ad examen revocavit, qua se ad circuli rationem quam proxime accessisse putat. Atque hæc illa ipsa Dissertatio est, ad quam quædam reposuerat *Cotesius* in gratiam *Newtoni*. Secundo loco comparet alia circuli quadratura præter eam, quam in Geometria solidorum attulit, una cum cubi duplicatione. Eandem nempe rationem diametri ad peripheriam ut 16 ad 5 hic alia ratione eruit. Tertio loco monita nonnulla proponit de Sectionibus Conicis *Jacobi Milnesii*; quarto prima Autoris de longitudine locorum cogitata; quinto examen argumentorum, quibus Philosophi Angli, *Lockius*, *Morus*, *Raphsonius*, *Keillius*, *Newtonus* utuntur ad probandum vacuum, quod Noster non admittit; sexto Dissertatio de motu, gravitatione & cohæsione materiæ ex immediata Dei actione profluente; septimo Dissertatio de rationibus geometricis animo qua percipienti perinde ac materiæ qua extensæ competentibus; octavo Oratiuncula, quæ Medicinæ encomium est, & nono altera, quæ Jus Civile commendat; decimo gratulatio ad Episcopum Eliensem, *Joannem Moore* & undecimo tandem Oratio panegyrica ad Divum *Guilielmum*.

HISTORIÆ PHILOSOPHIÆ SYNOPSIS, sive de origine & progressu Philosophiæ, de vitis, sectis, &

Systematis omnium philosophorum libri IV. JOANNI V Lusitaniæ Regi dicati ab JOH. BAPTISTA CAPASSO, Phil. & Med. Doct. Neapolitano.

Neapoli, typis Felicis Muscæ, 1728, 4.

Alph. 2 pl. 15.

CLarissimus Autor, qui Serenissimo Regi Lusitaniæ, *Joanni V*, summo literarum patrono & in regno suo veluti novo parenti, (qui Mathematico utitur fratre ipsius, Dominico *Capasso*, e Soc. Jesu,) dedicavit suum hoc Opus, in Præfatione refert, eam sibi causam fuisse id concinnandi, quod in nulla Bibliotheca repererit librum, in quo historia philosophiæ inde ab ortu suo usque ad hanc nostram ætatem descripta sit; cum vero satis otii non suppeteret, sibi laborem hunc intra compendii cancellos fuisse constringendum. *Libri primi Cap. I* de philosophiæ definitione ac divisione loca veterum profert selectiora. *Cap. II* eodem modo disserit de philosophiæ nomine, origine, & fine. *Cap. III* memorata disputatione, utrum Græci, an barbari fuerint inventores philosophiæ? hanc dicit sententiam: *Nobis, qui ex Fide vivimus, id certo certius constat, Adamum sicut & primum parentem, ita & primum sapientem exstitisse.* Hinc *Cap. IV* agit de philosophiæ progressu ab Adamo usque ad Abrahamum, docens, nepotes Adami duabus columnis, uni lapideæ, alteri lateritiæ, inscripsisse doctrinas philosophicas; Enochum libros astronomicos reliquisse; Noachum ex arca egressum in Assyria, Arabia, & Ægypto Gymnasia instituisse celeberrima; Japetum Gymnasiis illustrasse Græciam & mediterraneas provincias a patre acceptas. *Cap. V* Abrahamum tradit rudem antea astrorum scientiam percoluisse, & Ægyptios edocuisse disciplinas mathematicas. Denique *Cap. VI* de Mosis ac Salomonis studio philosophandi agit, & hunc quidem ait in *Proverbiis* tractasse philosophiam moralem, in *Ecclesiaste* Physicam, in *Cantico Canticorum* Contemplativam sive Theologicam sapientiam.

p. 19. *Liber secundus* philosophiam considerat Barbaricam. Et

Capite

Capite quidem *primo* de Hebræis differens, agit de fcribis Hebræorum, de Rabbinis, de Rechabitis, de Effenis, de Pharifæis, de Sadducæis, quos etiam Bajethufæos vocat & Karræos, de Samaritanis, de Gaulonitis, de Herodianis, de Nazaræis, de Hellenistis, de Alexandrinis. Ac de fingulis quidem hifce fectis agitur perbreviter. *Cap. II* & *III* in compendium redegit, quæ Stanlejus attulit de Chaldæorum, Perfarum, & Sabæorum philofophia. *Cap. IV* de fectis Indorum, & *Cap. V* de Sinenfium philofophia agit: & hanc quidem copiofe exponit, ex relatione potiffimum Jefuitarum. *Cap. VI* de Phœnicum, *VII* de Ægyptiorum, *VIII* de Æthiopica & Libyca, *IX* de Scytharum, Thracum, atque Gallorum philofophia profert cognitu digniora.

Libro III Cl. Autor occupatus eft in philofophia Græcanica, quem non perluftrabimus, cum *p. 173* fcribat, fe, cum hoc argumentum ab aliis jam fit copiofe pertractatum, non nifi potiora lectoribus fuis pofuiffe ob oculos. p. 59.

Quartus Liber recentiores fiftit Philofophos. *Recentiorum* vero nomine præfatur fe comprehendere omnes, qui in philofoph. ftudio fuere Græcis recentiores, adeoque & Romanos antiquiffimos. *Durum* hic ait *fe aggredi opus ac perdifficile & omnibus intentatum adhuc*. Igitur *Cap. I* agit de Philofophis Romanorum, *Numa*, *Ennio*, *Nigidio Figulo*, *Varrone*, *Cotta*, *Cicerone*, (cujus totam vitam perfequitur,) *Antiocho*, *Lucullo*, *Bruto*, *Plutarcho*, *Galeno*, *Athenagora*, *Max. Tyrio*, *Juftino Martyre*, *Philone*, *Demetrio Cynico*, *Catone* minori, (cujus vitam diligenter defcriptam exhibet,) *Strabone*, *Seneca*, (cujus & ipfius vitam copiofe exponit,) *Epicteto*, *Arriano*, *Mufonio*, *M. Antonino Imp.* *Favorino*, *Athenæo*, *Themiftio*, *Boethio*, *Georgio Trapezuntio*, *T. Pomponio Attico*, *Lucretio*, *Luciano*, *Virgilio*, *Horatio*, *Plotino*, *Porphyrio*, *Jamblicho*, *Juliano* apoftata, aliisque; *Cap. II* de Pythagoricis recentioribus, maxime de *Apollonio Tyaneo*; *Cap. III* de recentioribus Platonicis, *Dionyfio Areopagita*, *Apulejo*, *Tauro*, *Valentino* hærefiarcha, *S. Auguftino*, *Macrobio*, *Synefio*, *Hierocle*, *Georgio Gemifto*, *Beffarione*, *Mufuro*, *Joanne Weffelio*, *Marfilio Ficino*, *Joanne Pico*, *Francifco Patricio*; *Cap. IV* de Cynicis, *Peregrino*, *Salluftio*, *Oenomao*, aliisque; *Cap. V* de Stoicis, *Euphrate*, p. 174.

Marcione, Damascio, Justo Lipsio; *Cap. VI* de Peripateticis, *Didymo Alexandrino*, *Simplicio*, *Alcuino*, *Rabano Mauro*, *Joanne Scoto Erigena*, *Mich. Psello*, *Avicenna*, *Averroe*. A quibus descendens ad Scholasticos, differit pauca de *Joanne Damasceno*, *Lanfranco*, *Abelardo*, *Petro Lombardo*, *Alexandro de Ales*, *Alberto M. Thoma Aquinate*, *Bonaventura*, *Ægidio Romano*, *Rob. Grosteftio*, *Jo. Duns Scoto*, *Franc. Maironio*, *Thoma Bradwardino*, *Durando a S. Porciano*, *Occamo*, *Gualthero Burlæo*, *Gabriele Biele*, *Franc. Philelpho*, *Argyropylo*, *Angelo Politiano*, *Rud. Agricola*, *Hermolao Barbaro*, *Savanarola*, *Dominico Soto*, *Augustino Nipho*, *Leonardo Aretino*, *Jac. Fabro*, *Cardano*, *Scaligero*, *Georg. Agricola*, *Ulysse Aldrovando*, *Joanne Caso*, *Thoma Cajetano*, *Antonio Goveano*, *Ludovico Septalio*, *Zabarella*, *Guil. Xylandro*, *Franc. Toleto*, *Piccolomineo*, *Joach. Perionio*, *Sebast. Foxio*, *Gerh. Jo. Vossio*, *Gifanio*, *Julio Pacio*, *Petro Fonseca*, *Cæsare Cremonino*, *Petro Petito*, *Jacobo Thomasio*, *Jac. Schegkio*, aliisque. *Cap. VII* Antischolasticos exhibet & Antiperipateticos. Horum agmen ducere jubet *Buddeum* nostrum, quem vocat *magnum philosophiæ præceptorem*. Adjungit ei plures Academiarum Germaniæ Professores ætatis recentissimæ, qui scriptis editis illustrarunt philosophicam historiam. Hic vero fallitur Cl. Autor, *Jonsium* de iis testem citans, cum laudandus esset Cl. *Dornius*, qui uberrima supplementa adjunxit Jonsiano operi *de scriptoribus historiæ philosophicæ*. Venit hinc Noster ad *Lud. Vivem*, *Laur. Vallam*, *Bernardinum Telesium*, *Petrum Ramum*, & *Theodorum Zuingerum*. *Cap. VIII* producit in medium Philosophos Eclecticos, *Demonacten*, *Stobæum*, *S. Hieronymum*, *Gregorium Nyssenum*, *Jac. Mazzonium*, *Leonem Allatium*, *Dan. Heinsium*, paucosque alios; *Cap. IX* Philosophos chymicos, *Raym. Lullum*, *Arnoldum Villanovanum*, *Theophrastum Paracelsum*, *Rogerum Baconum*, *Basilium Valentinum*, *Corn. Agrippam*, *Helmontium*, *Dan. Sennertum*, Fratres roseæ crucis, *Robertum Fluddium*, *Jordanum Brunum*; *Cap. X* Philosophos mathematicos, *Copernicum*, *Tychonem Brahe*, *Galilæum*, *Guil. Gilbertum*, *Joan. Bapt. a Porta*, *Verulamium*, *Athan. Kircherum*, *Rob. Boyle*, *Claudium Perraultium*. *Cap. XI* est de incertæ se-

ctæ

ctæ Philosophis, *S. Basilio, Gregorio Nazianzeno, Nemesio, Antonio Galateo, Lud. Regio, Ottone Heurnio, Sim. Grynao, Scipione Capycio, Thoma Campanella, Pag. Gaudentio, Mersenno, Joanne Clerico, Spinoza.* *Cap. XII* prodit *Gassendus* cum suis asseclis, quos Cl. Autor nominat *Epicureos emendatos*, quia scilicet Epicuri philosophiam ab erroribus Christianæ religioni contrariis expurgatam professi sunt. Sistuntur igitur hic *Peirescius, Bernierius, & Hobbesius.* Prælongum est *Caput XIII* de *Cartesio & Cartesianis.* Hic enim exhibet Cl. Autor Epitomen philosophiæ *Cartesianæ*, in eorum maxime gratiam, quos ait opera *Cartesii* legendi jus amisisse, quippe a Romano Indice prohibita. Logicam ejus describit *p. 409 sq.* Metaphysicam *p. 411 – 417;* Physicam *p. 417—442;* Ethicam *p. 442—446.* Inde nominatim laudat *Cartesianos* celebriores, *Henr. Regium, Ant. Arnaldum, Robaultium, Antonium le Grand, Petrum Sylvanum Regis, Malebranchium, Jac. Bernullium, & Jo. Christoph. Sturmium.* Tandem *Cap. XIV* index exhibetur Academiarum universi orbis. Addit Cl. Autor *p. 454—461* Appendicem Παραλειπομένων, in qua commemorantur *Leo Byzantius, Dion Syracusanus, Aristoxenus, Aristobulus, Adrastius, Zosimus, Ocellus Lucanus, Cratippus, Hermippus, Cebes Thebanus*, atque e recentioribus *Mr. Peyssonel*, de cujus *Philosophia mechanica* plura affert, & *Emanuel Magnanus*, cujus & vitam exponit & philosophiam.

Fatendum nobis est, Autorem in hac Synopsi Historiæ philosophicæ ex innumero librorum numero summa industria congessisse, quæ vel varietate sua lectores delectare queant, adeoque Italis suis, apud quos frigere videtur studium historiæ Philosophorum, præclarum hoc labore præstitisse officium: ut spes nobis affulgeat, ipsum plures civium suorum excitaturum esse suo exemplo ad agrum huncce colendum. Observavimus etiam, *p. 287* laudari ab eo opus nostra lingua a Collega nostro maxime industrio S. Rev. *Heumanno* conscriptum, & *Acta Philosophorum* inscriptum. Sed obstitisse Cl. Autori videtur patriæ nostræ linguæ imperitia, quo minus id opus, tribus Tomis constans, & in *Actis* his nostris recensitum, suum in usum converteret.

teret. Certe si vel ea legisset, quæ is de philosophia Patriarcharum & Hebræorum commentatus est, futurum erat, ut aut veteres opiniones repudiaret complures, aut hunc autorem admodum crebro refutaret.

JOSEPHI BINGHAMI, ANGLI, ORIGINES sive antiquitates Ecclesiasticæ, e lingua Anglicana in latinam translatæ a JOHANNE HENRICO GRISCHOVIO, Halberstadiensi.

Volumina X.

Halæ, sumtibus Orphanotrophii, 1723-1729, 8.

Alph. 25½.

QUod olim in his Actis Supplem. T. VIII Sect. X p. 464 communi Eruditorum nomine optavimus, ut doctissimum de antiquitatibus Ecclesiasticis *Binghamii* opus eruditorum aliquis luculenta interpretatione in linguam Latinam transferret, illud a Viro Clarissimo doctissimoque *Joh Heinrico Grischovio*, Halberstadiensi, præstitum nunc esse, omni ex parte gratulabundi significamus. Inceperat, multorum precibus ac superiorum voluntate invitatus, hanc telam A. 1723 binosque primos libros, docta beati nunc Theologi, *Joh. Francisci Buddei*, Præfatione comitatos, ex orphanotrophii Hallensis bibliopolio in publicum emiserat, ambiguo tum consilio edendorum reliquorum. Quod tamen ut communi eruditorum plausu, superiorumque autoritate, confirmatum sensit, favente Numine viresque sufficiente, continuato labore, sollicitaque opera, nuper admodum Kal. Dec. 1729 decimum idque ultimum volumen ex eadem officina lætus exire jussit. In quibus id, quod interpretis est, omni studio felicique successu egit, ut verbis autoris sui non tantum alienum sensum non daret, sed ut ea etiam perspicua & plana redderet, erroremque hic (cujus, si quis occurrat, veniam humanissime petit) quam posset enixissime evitaret: latinitatis puræ studiosus, sed ut in rebus inprimis ad Ecclesiam pertinentibus latiique purioris vocibus destitutis non superstitiosus

sua esset; & si res aliud non ferret, interdum minus latine quam minus significanter loqui maluit.

In testimoniis ab Autore copiosissime allegatis, præcipuam industriam, negotiosissimum studium, ab amicis harum rerum intelligentibus monitus, sæpe non sine ingenti molestia collocavit, Cum enim *Binghamius* ad calcem cujusque paginæ plurima Autorum loca, quibus a se asserta superstruxerat, notasset, ex hisque ea præsertim, quæ ex Patribus & autoribus latinis citarat, lectoris conspectui, interdum plene, utplurimum autem carptim descripta exhibuisset, pleraque vero ab ipso lectore evolvenda saltem nominasset, interpres in translatione utile id omnino ac necessarium ratus, omnia testimonia integre summaque fide exscribi curavit, cum paucissimis datum sit, ut tot libros evolverent, in eorumque allegatis locis probationes quærerent & examinarent. Quod dum præstare conaretur, difficilem sæpe ac salebrosam viam ingressum se esse agnovit: quod sæpe Autores quosdam, licet instructissima optimis libris orphanotrophii Halensis officina libraria, & rarissimis referta libris Bibliotheca pluresque privatorum sibi paterent, deesse deprehenderet, Anglicos inprimis nullibi inveniret: in evolvendis etiam libris non parum difficultatis ipsi editionum diversitas, & vagæ sæpius nimis *Binghamii* citationes, (*Athanasii* exempli causa, & *Justini M.* apologias, *Nazianzeni* orationes, *Chrysostomi* homilias, *Hieronymi* epistolas &c. appellantis) apparerent, ita ut aliquot sæpe horarum spatium unico quærendo dicto impendendum foret. Superavit tamen istud etiam molestiæ Clarissimus *Grischovius*, & inventum, quem quæsiverat, locum ita ubique annotavit, ut editionis suæ librum, sectionem, paginam, & id genus alia judicia adscriberet, ubi omnem investigatio operam falleret, apposito signo † indicaret. In ipsis autorum testimoniis transscribendis ita versatus fuit, ut si illa e Græcis Patribus autoribusque fuerunt petenda, ipsa illorum verba Græca poneret, Latinamque eorum versionem in gratiam linguæ græcæ expertium, nisi hæc in ipso autoris sermone jam extaret, simul adderet, & quod lectoribus non ingratum fore putaret, loca nonnunquam paulo longiora describeret, cum intentus autori probandi nervus paucioribus verbis haud

haud indicari posse videretur. Triplicem denique, quod promiserat, sub calcem libri vicesimi tertii, qui ultimo volumine continetur, indicem, unum rerum, alterum autorum, tertium conciliorum, illis, quos operi suo *Binghamius* addidit, multo, ut usus docebit, locupletiores & curatiores adjecit, adeoque non minus accuratam, publiceque profuturam huic *Binghamii* Operi, quod sigillatim olim in his Actis recensuimus, operam impendit, quam olim aureolis libellis, *Speneri* quidem de *Natura & gratia*, quem A. 1715, doctissima *Gottfridi Olearii* Theologi nostratis Præfatione ornatum, & *Franckii monitis Pastoralibus & Christo, Scripturæ S. nucleo*, quem librum A. 1723 Latino sermone in publicum emisit.

THESAURUS JURIS ROMANI, CONTINENS rariora meliorum Interpretum Opuscula. Cum Præfatione EVERARDI OTTONIS, *JCti & Antecessoris.*

Tomus IV.

Lugduni Batavorum, apud Jo. vander Linden, juniorem, 1729, fol.

Alph. 9 plag. 23.

CLaudit hic Tomus splendidam præstantiorum Juris interpretum collectionem, raros maximam partem exhibens autorum septendecim libellos, sine ætatis, dignitatis ac præstantiæ ratione collocatos, in quibus formosiores propria eminent virtute, ultro invitantes lectorem rerum elegantium curiosiorem. Primo itaque loco extat *Henrici a Suerin liber singularis Repetitarum Lectionum Juris Civilis*, in quo præceptorum suorum, quos Valentiæ Cavarum audiverat, lectiones repetiit & receptas lectiones ab illorum vel aliorum emendatione, ingenii, ut ait, gratia vindicare tentavit, præsertim vero Cujacium sibi adversarium deligens, pleraque disputationum suarum capita libris ejus Observationum, tecto licet nomine, opposuit, id quod exemplis & animadversionibus doctissimis conspicuum facit in Præfatione

Vir

Vir Præclariſſimus, *Everardus Otto*, qui & reliqua pleraque hujus Tomi Opuſcula, more ſuo, præſtantiſſimis obſervationibus haud parcius illuſtravit & paſſim emendavit, quam ſinceris elogiis ſingula conveſtivit. Sequitur vero ejusdem *Suerinii* alter *libellus ſingularis Quaſtionum de Uſufructu accreſcendo*, in quo novam inprimis *legis 11 D. iſto tit.* molitur interpretationem. Proxime datus eſt locus *M. Antonii Mureti* ſcriptis, quotquot edidit, juridicis: & in his primum occurrit *Obſervationum liber ſingularis*, plus fortaſſe ingenii, quam eruditionis ſolidæ quindecim Capitibus oſtendens. Præſtat igitur *Commentarius ad l. 2 D. de Orig. Jur.* in quo lucem Pomponio affundit quibusdam in locis non pœnitendam, eſt tamen in *ἀνιστορισίαν* & nævos ejus accuſandos juſto proclivior, quem defectum pariter ac varios *Mureti* errores paſſim notavit Ampliſſimus *Bynkershœkius* in Prætermiſſis ad Pomponium. Reliqua *Mureti* de Jure Civili ſunt *ad titulos Pandectarum de Legibus, de Jurisdictione & de officio ejus, cui mandata eſt jurisdictio, Commentarii.* Excipit hos *Theodori Marcilii Collecta & Interpretamentum legis XII Tabb.* optimum ſane Profeſſoris hujus Pariſienſis Opuſculum, in quo unum ſibi præeuntem *Franciſcum Pithœum* laudat, in ſignificationibus tamen vocabulorum illuſtrandis, quam verbis Decemvirorum legitimis reſtituendis, præſtantior, & Cujacii luminibus plus, quam profitetur, adjutus. Succedit *Adriani Pulvæi*, in ſuprema Curia Pariſienſi quondam Advocati, *ad Legem Atiniam, de rei furtivæ prohibita uſucapione, liber ſingularis*, inſertus quidem olim Tractatui Tractatuum, ſed more Ziletti & in titulo & contextu ipſo corruptus, ac epiſtola dedicatoria, ad hiſtoriam libri non parum faciente, truncatus, quam ideo una cum ipſo Opuſculo ex editione Pariſienſi reſtituit Vir Conſ. D. *Franciſcus Carolus Conradi*, nunc Juris in Academia Vitemb. Prof. Collega noſter perinduſtrius, in Triga libellorum ante biennium hic Lipſiæ edita, atque in Præfatione, totum hoc ſcriptum ad famam Cujacii minuendam publicatum eſſe, & qua id occaſione, quo conſilio factum, luculenter expoſuit. Siſtitur deinde *Friderici Lindenbrogii Commentarius in l. un. C. ſi quis Imp. maledixerit*, cum *Notis brevioribus ad l. 8 tit. 1 lib. II Legum Wiſi-Gothorum*,

 de

de non criminando Principe, doctus labor, sed a Jac. Gothofredo ad *lib. 9 C. Theod. tit.* 4 longe superatus: *Scipio* vero *Gentilis*, Oratione *de maledictis in Principem* disertissima, quæstionem, num satius sit Principi hujusmodi verborum & dictorum licentiam prætermittere, an vero vindicare? præcipue tractavit. Proximus in hac serie libellus est *Marquardi Freberi Sulpicius, sive de Æquitate Commentarius ad l. 1 C. de Legib.* in quo eam præsertim excutiendam sumsit ambiguitatem, *cui parti, in conflictu justi & æqui, Judex vel JCtus accedere debeat?* Post hunc collocata est *Pardulphi Prateji Jurisprudentia vetus, sive Draconis & Solonis, nec non Romuli Romanorum Regis, ac XII Tabb. leges collectæ interpretatæque*, laudandus utique, si tempus æstimetur, quod eum peperit, labor, multa vero spuria minusque intellecta continens. Melioris & ævi, & ingenii fœtus sunt *Jac. Constantinæi*, Consiliarii Christianissimi Francorum Regis, Vice-Comitis ac Præfecti Constantiensis, *Subtilium Enodationum, seu Elucidationum, libri duo*, quibus difficiliora Prudentum Responsa & Constitutiones Imperatorum, quæ Cujacium, Rævardum, aliosque male habuerunt, enodantur, conciliantur & ab intempestivis emendationibus vindicantur, nec non Pontificum quædam Rescripta enucleantur. Vicinum locum tenet *Francisci Zoannetti*, patria Bononiensis, Professoris Ingolstadiensis, *liber singularis Restitutionum Juris*, unus e reliquis ejus scriptis dignus visus, qui huic Thesauro insereretur. Observationes in hoc libro obvias de negationibus detrahendis vel adjiciendis docte sub examen revocavit Cl. *Jauchius* in Opusculo de Negationibus Pandectarum: neque prætereundum est, quod præclarissimus *Otto* animadvertit, *Zoannetti, hominis doctissimi* elogio a Cujacio laudati, plurimis impudenter superbire Jacobum Gallum, JCtum Neapolitanum, in Apicibus Juris. Sequuntur *Thomæ Papillonii*, Parisiensis JCti & in suprema Curia Advocati, eruditi & rariores *Tractatus, de directis heredum substitutionibus & de jure accrescendi.* Post hanc Autorum decadem exhibentur *Philippi Perterii*, Consiliarii Regis Galliæ, & in Senatu Tholosano Præsidis. *Diatribæ duæ Pithanon*, quibus civilis Imperii Romani notitia & Ecclesiæ Politia

tia illustrantur; *Petri Pantojæ de Ajola*, JCti Toletani, *Commentaria in tit. D.& C. de Aleatoribus*; *Cæsaris Costæ*, JCti Maceratensis, Professoris Romani, demum Campanorum Archi-Episcopi, *Variarum Ambiguitatum Juris libri tres*; *Scipionis Gentilis libri duo Parergorum ad Pandectas*, & *Originum liber singularis*; *Antonii Augustini Emendationum & Observationum libri IV*, & *ad Modestinum de Excusationibus liber singularis*; *Lælii Taurelli ad Gallum & legem Velleam, ad Catonem, & Paulum, ut & de Militiis ex casu, Enarrationes*; quas excipit dispar satis fœtus, *Francisci Husmani Paradoxa ad Legem Falcidiam*. Dignissimus tandem *Emundi Merillii Obscurorum, sive de Jure accrescendi & conjunctionis, liber singularis*, a Bernardino Gessari in editione Operum *Merillii* Neapolitana ne verbo quidem memoratus, tantoque acceptior eruditis futurus, colophonem imponit Operi huic amplissimo. Adjecti sunt *Indices quatuor* instructissimi; tres *legum & Autorum veterum*, qui in tota Collectione & in Præfationibus illustrantur, emendantur, aut explicantur, quartus vero omnium *Opusculorum* circiter septuaginta, quæ quatuor Thesauri Voluminibus sunt comprehensa. Indicem materiarum desiderantibus, si Indices plerisque libris appositi non sufficiunt, cogitandum est, quod Cujacius dicebat: *Nescire libris uti, qui nesciat uti sine repertorio.* Neque possumus non, quod fecimus, cum primum Volumen prodiisset, iterum laudare fidem & industriam nobilissimi bibliopolæ, qui nullis sumtibus aut operæ pepercit, quo minus hoc Opus, sive, quæ in illud redigenda promiserat, spectemus, omnino perfectum, imo quibusdam superpondiis locupletatum, sive typorum atque operarum rationem habeamus, nitidissimum &, quam fieri poterat, emendatissimum prodiret, id quod exiguus mendorum in calce adjectus numerus satis loquitur. Quod restat, Viro Celeberrimo, *Everardo Ottoni*, palmam nobilem, quam insigni cura & ornatissimis eruditissimisque præloquiis, hujus Thesauri opes plurimum augentibus, meruit, impense gratulamur, eique & novis, quas apparat, lucubrationibus precamur bene, ad Jurisprudentiæ melioris incrementum.

M. TULLII CICERONIS DE FINIBUS Bonorum & Malorum Libri V, ex recensione JOANNIS DAVISII, Colleg. Regin. Cantabr. Præsidis, cum ejusdem Animadversionibus & Notis integris P. VICTORII, P. MANUCII, JO. CAMERARII, D. LAMBINI ac F. URSINI.

Cantabrigiæ, typis Academicis, sumt. Corn. Crownfield, 1728, 8. Alph. 1 pl. 5.

EO jam tempore, quo *Tullii* Libros de Legibus cura Celeberrimi *Davisii* emendatos & illustratos in his Actis laudabamus, de his, quos nunc in manibus habemus, simili studio ejusdem doctissimi viri perpolitis fama acceperamus, eoque avidius rem ipsam exspectavimus. Neque falsa fuit spes nostra: adeo sibi semper similis est præstantissimus *Davisius*. Quod cum omnibus paullo humanioribus jam pridem cognitum sit, de instituto autem Viri, quod in emaculandis Tullianis scriptis servat, toties dixerimus; supervacuum foret, latius hic excurrere aut singula persequi. Pauca dixisse sufficiet. Libros manu exaratos adhibuit octo numero, duos nempe *Elienses*, unum *Balliolensem*, *Meadianum* & *Cantabrigiensem* ex Bibliotheca Collegii Corporis Christi, tres denique *Parisinos*, quorum excerptas Lectiones discrepantes suppeditavit *Jo. Walckerus* V.C. Neque Editiones veteres neglexit, ex quibus memoria digna est Veneta A. 1471. Præterea diligenter etiam ad eas lectiones attendit, quas ex suis libris alii interpretes protulerunt. Porro & solo ingenio sæpe usus est, ubi omnes libros ineptire animadvertit: quo casu & earum conjecturarum, quas ceteri interpretes tentarunt, rationem habuit. Postremo non emendationi tantum, sed illustrationi quoque intentus fuit, & ex omni genere scriptorum hic illic adscripsit, quæ gravissimas in hoc scripto sententias declarare aut confirmare possunt. Verum hanc illustrandi rationem facile per se quisque concipiat; de altera autem ratione exempla quædam proferamus. Sic ex libris manuscriptis Lib. II Cap. XVII in textu reposuit: *nemo nostrum* credebat; ubi vulgo, contrario sensu, legebatur: *nemo nostrum* negabat. Ex iisdem & conjectura Cl.

Th.

Th. Bentleji Cap. II Ciceroni reddidit: *Hunc* vos *beatum;* ratio *quidem vestra sic* cogit. At *ego huic quem anteponam, non audeo dicere*, ubi olim circumferebant: *Hunc* vero *beatum* oratio *quidem vestra sic* cogitat: *ego huic* &c. qui merus librariorum stupor est. Cap. XXVI nunc legas: *summas familiaritates prædiorum* fructuosorum *mercede superari.* Omnes Edd. præter Victorianam, offerebant *prædiorum pretiosorum.* Optime etiam Cap. XXXI ex tribus MSS. recepit istam lectionem: *Ita redarguitur ipse a sese*, vincunturque *scripta ejus probitate ipsius ac moribus*, cum vulgata, sed putidissima, esset: *veneuntque scripta ejus.* De Epicuro sermo est, quem vixisse melius, quam docuisse aut scripsisse innuit. Et nollemus sane, virum optimum conjecisse: *convincunturque scripta ejus. Vincere*, quod hic membranæ habent, sæpissime apud *Tullium* est evincere, demonstrando superare, adeoque & refellere: plane ut Græci, ad quos ille pro suo *convincere* provocat, κρατεῖν adhibere solent. Apposite sane Thucydid. Lib. I, cap. LXIX καί τοι ἐλέγεσθαι ἀσφαλεῖς εἶναι, ὧν ἄρα ὁ λόγος τῦ ἔργυ ἐκράτει. Et sic Marius: *Nam me quidem ex animi sententia nulla oratio lædere potest: quippe vera necesse est bene prædicet; falsam vita moresque mei* superant, id est, *refellunt, confutant*, prorsus ut apud *Tullium.* Lib. III Cap. I ex quinque suis Codd. recte confirmat istam lectionem: *Quare illam quidem dimittamus & suis se finibus* tenere *jubeamus;* cum aliorum *suis se finibus* petere *jubeamus* ne Latinum quidem tinniat. Lib. IV Cap. XXIV duorum Codicum autoritate edidit: *Itaque* usque *eadem ratione*, *qua sum paullo ante usus, haerebitis*, ubi antea legebatur: *Itaque* usi *eadem ratione.* Lib. V Cap. XXX nunc duo MSS. confirmant venustam hanc scripturam: *si avenam* uspiam *videris*, quam etiam *Victorius*, *Lambinus* & *Aldus* nepos expresserunt, quæque alteram: *si avenam* ipsam *videris*, longe superat. Sæpe etiam solam impressorum librorum fidem secutus est, ubi scriptos nitori & elegantiæ Tullianæ minus respondere credidit. Habes sane ex *Lambini* & *Aldi* Editionibus Lib. II Cap. VII: *Et tamen quid attinet luxuriosis ullam exceptionem* dare, *aut fingere aliquos cet.* licet vulgo, et cum MSStis, legeretur *dari:* quod innumeris exemplis defendi poterat. Habes eandem Enallagen

mox Cap.XV: *Si enim ad honestatem omnia* referantur, *neque in ea voluptatem* dicant *inesse*. Sed & illic vir doctissimus cum Cl. *Th. Bentlejo* corrigit *referant*. Ita ex sola Editione Victoriana Cap.IX expressit: *Qualis ista philosophia est, qua non interitum afferat* pravitati, *sed sit contenta mediocritate vitiorum?* quod ita Latinæ linguæ rationem postulare credebat. Putaremus tamen latinitatem æque tolerare aliorum & omnium MSStorum lectionem: *qua non interitum afferat pravitatis*. Æquum profecto est, non ita membranis adhærescere interpretes, ut illos nulla elegantia, nulla ratio abstrahat. Ita videbis Lib. III Cap. XIV laudatum quidem ex membranis: *Omnis ista rerum* corporearum æstimatio; in textu tamen servatum: *rerum* in corpore sitarum *æstimatio*. Et hujus generis permulta enumerare possemus, quæ omnia acutum Cl. *Davisii* judicium indicant. Nihilominus unico MS. Palatino, quantumvis probo, plus justo tributum esse dicas, quando Lib. II Cap.XXII ex illo receptum est: *illud quæro, quid ei, qui in voluptate summum bonum* ponat, *consentaneum sit dicere*, cum Edd. omnes, ac MSS. ceteri uno ore occinant: *qui in voluptate summum bonum* putat, quæ scriptura verissima, altera autem scioli interpretatio nobis quidem videtur. Sæpius ita Sallustius, ut B.Catil.Cap. II: *maximam gloriam* in *maximo* imperio putare; Cap.XXX: *quia boni quamplures præsidium* in eo putabant; Cap.XLIII *maximum bonum* in celeritate putabat. Et B. Jug. Cap.LIII: *dum* in *elephantis auxilium* putant. Ita recte *Tullius in voluptate summum bonum putat*: neque opus est conjectura viri doctissimi: voluptatem *summum bonum putat*; neque Palatini codicis *ponat* admitti meretur. Hic est iste Palatinus, cujus autoritatem Cap.XVIII facile neglexit vir optimus. Illic enim omnino cum istis membranis scribendum est: *ut hodie est noster Pompejus, cui recte facienti gratia est habenda: esse enim* quam vellet iniquus, justus, *poterat impune*. Perquam venuste, si quid videmus. Friget vulgatum: *esse enim quamvis vellet justus, iniquus poterat impune*, nec friget tantum, sed prorsus absurdum est. Illud alterum ex formula dictum videtur pro *iniquus nec ne*, ut alibi *honesta & inhonesta, sacra profanaque omnia, avaritia* neque copia, neque inopia *minuitur*, alia. *J. Fr. Gronovius* idem pro-

probavit, sed paullo aliter explicuit. De conjecturis Cl. *Davisii* nunc dicendum est. Sed ut ille receptas lectiones, si commodæ & aptæ videantur, non facile solicitat, quod cum aliis locis pluribus, tum ex Lib. IV Cap. XXIII cognoscas, ubi *antiquos barbatos* optime tuetur: sic conjecturis non ita indulget, ut ubique ingenium suum ostentare quærat. Quando vero necessitas flagitat, satis habuit, conjecturas proponere, nec statim Ciceroni obtrudere. Sic Lib. I Cap. II pag. 4, probam legas licet emendationem, quæ vero ingenio Cl. *Davisii* maximam partem debetur. Decore etiam Lib. II Cap. VII duas voces *genere voluptatis* expungendas esse conjecit. Si vero stuporem *Is. Verburgii* cujusdam manifestare cogitur, facit id quidem modeste, & pro solita humanitate, ut docebit nota ad Lib. II Cap. XXXIV pag. 186. Videbimus tandem, an aliquot lectiones vulgatæ, quæ minus probæ visæ sunt, rite vindicari queant. Lib. II Cap. III legitur: *Verum hoc loco sumo*, verbis his *eandem certe vim voluptatis Epicurum nosse, quam ceteros*. Parum hæc sincera videntur Cl. Editori, lubensque, inquit, discerem, quid sit *verbis nosse*. Legit itaque *notasse*, i. e. significasse. Nos vero si in aliis libris *nosse*, in aliis *notasse* reperissemus, hoc certe Glossatoris esse censeremus. *Verbis nosse* est verbis intelligere, idque eo loco eleganter satis, ubi præcessit: *Quid ergo, istam voluptatem*, inquit, *Epicurus* ignorat? *Non semper, inquam: nam interdum nimis etiam* novit. Et ut hic *verbis nosse*, sic *cognitiones verborum Tullius* dixit Lib. II Cap. V: *Hoc est vim afferre, Torquate, sensibus, extorquere ex animis* cognitiones verborum, *quibus imbuti sumus*. Similiter Lib. III Cap. XVI vulgata lectio est: *quorum ordo proxime accedit, ut* secundus *sit* ad *regium principatum*; sed Cl. Editor legendum statuit: *ut* secundus *sit* a *regio principatu*, qui modus loquendi frequentior quidem est, sed cur ille alter improbetur, causa nulla est. Exponitur hic, quid sit προηγμένον Stoicorum, & paullo ante legitur: *productum esse* ad *dignitatem*, cui melius *secundus ad principatum* respondet. Nec minus Latinum esse debet *secundus ad*, quam *primus ad*, quo Sallustius, Lucanus atque alii sunt usi. Lib. V Cap. XV offendebat virum præstantissimum: *Est enim natura sic generata* vis *hominis*, & deleto vocabulo *vis* malebat, ista *natura*

homi-

hominis conjungi, aut *vis* in *omnis* mutari. At nobis *vis hominis* tam opportune illic expressa esse videtur, ut Codices etiam, nedum conjecturas ob illam deserere debeamus. *Vis* enim Ciceroni permultis locis idem est ac *natura* & *essentia*, & propterea toties *vim & naturam* conjungit. Est autem quædam veluti descriptio *vis hominis*, pro *homine*: ut Lucretius & Virgilius *vis canum*, pro *canibus*, & ipse *Tullius vis equi* pro *equo*, alii alia dixerunt. Idque eo magis hic admittendum fuit, quod Cicero his ipsis libris *naturam hominis*, pro *homine* sese dicere annotaverit. Lege Lib. V Cap. XI. Addamus & illa ex Lib. V Cap. XVI: *quod præceptum quia majus erat*, quam ut ab homine videretur, *idcirca assignatum est Deo*, quæ, sive intelligas *ab homine profectum esse*, sive *ab homine præceptum*, sive interpreteris *quam ut hominis videretur*, semper Ciceroniana sunt. Notum est illud ex Epistolis ad familiares: *quibus* a tali viro *contentus esse poteram*; item ex Historia Augusta: *cui* dictum ab Druide *retulerat*, & plura talia, quæ conjecturas (tres tamen quatuorve hic reperias) omnes ab isto loco removent. Sequitur Cap. XIX: *Mihi quidem Homerus hujusmodi quiddam* vidisse *videtur*. Hic vir celeberrimus: „Nisi fallor, sententiæ magis conveniret *indicasse*, vel *prodidisse*, vel aliud ejusdem potestatis vocabulum.„ Sed, si nihil hoc loco amplius curandum, salva est sententia, etiamsi *vidisse* retineas, quod est respexisse, intendisse, significare voluisse: nec potuit aptius verbum adhibere. Ita Cap. XXII ubi de Oreste & Pylade: *Cum autem etiam* exitus *ab utroque* datur *conturbato erranti que regi*, optime ita scribitur, hoc sensu, cum æstus errantis regis explicatur, cum finis errori & turbis imponitur, eaque notione *exitum dare*, *exitum habere* apud Senecam aliosque non semel occurrit. Considera itaque, quid de conjecturis sit statuendum: *Cum autem etiam exitus utrique datus a conturbato erranteque rege*; item: *Cum autem etiam exitus* alterutri *datus* a *conturbato* hærenteque *rege*. Atque hæc hactenus. Veremur adire istam aleam: aliter & domi natas conjecturas quasdam hic subjungere poteramus. Certe quod Lib. II Cap. VI *ratione ac via disputandi* vulgatur, in nexum orationis vehementer peccat. Substitueremus levissima mutatione: *rationem ac viam disputandi*.

tandi. Elueremus aliam quoque maculam, quæ Lib. I Cap. V inhæret. Sed jam nimii sumus.

THOMÆ WOPKENS LECTIONUM TULLIANARUM, sive in Opera quædam Ciceronis Philosophica Animadversionum Criticarum Libri III.

Amstelodami, apud Balthas. Lakeman, 1730, 8.
Plag. 22.

SCripta *Tullii*, quæ his Animadversionibus tanguntur, sunt *Academicæ* ac *Tusculanæ Disputationes*, Libri de *Natura Deorum*, *de Divinatione*, ac *de Fato*. Animadversiones ipsæ ita comparatæ sunt, ut major pars vindicias locorum, ab interpretibus male, ut putabat Doctiss. *Wopkens*, solicitatorum contineat. Itaque Cl. Editor nonnunquam ab *Grutero*, *Lambino* aliisque, sæpissime tamen a viris Celeberrimis *Walckero* & *Davisio* dissentit, scripturamque olim vulgatam adversus novas emendationes defendit. Et sic fere solent, qui primum in arte Critica ingenium suum experiuntur: antequam intelligunt, quantum sibi permiserint librarii, & quam cultum atque subactum requiratur judicium, ut facinora sciolorum deprehendamus. Hoc tamen in Doctiss. *Wopkens* singulari laude dignum existimamus, quod non tantum modeste dissensum suum exposuerit, sed etiam regia via ad artem interpretandi & emendandi processerit. Peritiam enim haud vulgarem utriusque linguæ, laudabilem attentionem ad figuras aliaque ornamenta orationis, quæ res in his litteris unice necessaria est, ostendit: ut aliquando majora & meliora, si usum veterum membranarum ceterorumque subsidiorum addiderit, ab tali ingenio merito exspectare queamus. Non tamen solummodo vindiciis, aut libris istis, quos supra nominavimus, intendit: sæpe etiam ipse emendationes suas tam in his, quam aliis Tullianis scriptis proponit, multorumque præterea autorum similem rationem habet. Hoc studium ipsi non semper infeliciter cessisse, unico exemplo demonstrabimus ex Ciceronis Lib. II de Legg. Cap. VI, ubi in verbis: *Q. quid quod Zaleucum istum* negat

ullum fuisse Timæus M. At *Theophrastus autor haud deterior*, aliud *Lipsius*, aliud Celeb *Davisius* tentavit. Noster levissima, & vera, ut arbitramur, mutatione reponit: negat *ullum fuisse Timæus M.* ait *Theophrastus*. Exstat hæc emendatio Lib. I Cap. VIII pag. 40. Aliter longe evenit, quando Lib. II Cap. XIII pag. 200 in *Sallustii* B. Cat. Cap. IV vocabulum *hominis* exterminat, ut formulæ *de cujus moribus* ille autor faveat. Hoc enim *hominis* & omnes libri scripti, & perpetua Crispi consuetudo tuentur: quippe apud quem nihil frequentius, quam *hic homo, hæc mulier, hic vir, omnes homines*, ubi alii solo provocabulo contenti fuissent. Certe statim Cap. XXIII ejusdem B. Catil. ita scribit: *Huic* homini *non minor vanitas, quam audacia*. Neque mirum est, si homines in arte Emendatoria novi a vero aberrant, quando alios, quam quibus proprie intenti sunt, autores obiter emaculare volunt, cum idem sæpe accidat iis, qui magis sunt exercitati. Suus enim cujusque autoris genius & scribendi consuetudo non nisi longo usu & propria ac diutina consideratione addiscitur. Igitur ista quidem omittamus, &, quæ ad Vindicias *Tullianas* spectant, consideremus. Lib. II Academ. Cap. V receptam lectionem: *Tum* ad hos *notiores, C. Flaminium, C. Cassium, L. Pompejum*, non male interpretatur per ellipsin verbi *veniunt*, quasi esset: *tum ad hos notiores* veniunt; idque eo magis probabile est, quod præcessit: *Repetunt a S. Valerio*. Celeberrimus *Davisius* præpositionem inducendam, vel potius *tum &*, vel *autem hos notiores*, scribendum esse conjecerat, quia proxime auditum erat verbum *commemorant*. Legimus hæc Lib. I Cap. V. Eodem Lib. I Cap. XI pag. 62 & 63 in Tusculan. Lib. II Cap. XXII vulgatam scripturam *vir fortis ac sapiens* contra conjecturam viri doctissimi: *vir fortis ac patiens* ita defendit, ut doceat *sapientiam* sæpe ab autoribus nominari, ubi de fortitudine perferendisque rebus adversis sermo est. Cap. XIII pag. 75 & 76 locum Ciceronis ex III Tuscul. Cap. III contra *Jac. Gronovii* & *Bentleji* novationes ea sola observatione vindicat, quod apud Latinos *&* ac *que* sæpius oppositioni inserviunt. Cap. XIX pag. 105 & sequ. ordinem verborum in his Tuscul. Lib. V Cap. V, *ut ad eas cursim perrectura, nec eas* beata vita *a se desertas passura videatur*, pluribus exemplis munivit

con-

contra transpositionem Viri clarissimi, qui malebat: *perrectura beata vita, nec eas a se* cet. Lib. II Cap. V pag. 145 sqq. verba Ciceronis ex Lib. II de Nat. Deor. Cap. IX, *eaque* (terra) *bieme sit densior, ob eamque causam calorem insitum* in terris *contineat arctius*, salva conservare jubet ab emendatione Viri celeberrimi, qui, ne Cicero *terra calorem insitum in terris continet* dicere videretur, *insitum* intra se *contineat* reponebat, aut voces *in terris* plane expungi malebat. Ipse autem ostendit, *Tullium* alibi dixisse: sensus *percipere res* sensibus *subjectas*; artes *habere artem*; *dolorem doloris*, & alia talia, a quibus nec alii satis casti scriptores abstinuerunt. Lib. III Cap. I pag. 237 Ciceronis locum Lib. I de Divinat. Cap. VIII: Demersit *caput, & fluctum cervice* recepit, contra Guilielmium, qui *demersat* & *receptat* malebat, defendit, quod tempus perfectum sæpius pro præsenti ponatur: & hujus quidem generis observationes bene multas; nec pauciores, quæ tantummodo ordinem & positum verborum, aut usum aliquem singularem particularum spectant, istæ Lectiones Tullianæ subministrant. Lib. III Cap. III pag. 252 Tullium verbis *obtumescere, & obtumefacta*, quæ Lexicographi fere ignorant, usum esse demonstrat. Lib. ejusdem Cap. IV pag. 260 Tullium etiam, quod alii frequentius fecerunt, *vitam*, pro hominibus cummaxime viventibus, usurpasse monet, eaque occasione Virum Celeberrimum in Commentario ad Phædrum aliquid humani passum esse dictitat, qui negaverit apud Ciceronem & ejus æquales hoc vocabulum eo sensu reperiri. Sed nos in eruditissimo isto Commentario illum lapsum Viri maximi non reperimus: contra paullo iniquiorem Cl. Editorem (forte in gratiam Cl. *Clerici*, cui hoc Opusculum est dicatum) & hic, & aliis aliquot locis in primarium illud sæculi nostri ingenium observavimus: quod sane nollemus factum. Ejusd. Libri Cap. VII pag. 276 insulsam *Verburgii* contra Celeb. *Davisium* notam recte confutavit. Denique & hoc addendum, permulta loca veterum Græcorum Latinorumque scriptorum, quæ in doctissimis annotationibus suis produxit Celeb. *Davisius* & comiter emendavit, hic etiam sub examen vocari.

EVERHARDI DAVIDIS HAUBERI, SOCIETATIS Scient. Boruss. Collegæ, Nützlicher Discours &c.

hoc est,

DISSERTATIO DE HODIERNO STATU Geographiæ, potissimum in Germania. Accedunt Supplementa & Emendationes Prodromi Historiæ mapparum Geographicarum.

Ulmæ, apud Dan. Bartholomæi, 1727; 8.

Alph. 1 pl. 3.

ALiquot abhinc annis Max. Reverendus Autor in animum induxerat, amplissimam contexere studii Geographici historiam, & jam A. 1724 edidit recensitam in his *Actis* eodem anno *p. 138 sqq. Sciagraphiam historiæ mapparum Geographicarum.* Nunc propius ad scopum suum accedit, exhibens hoc libro hodiernum statum studii Geographici. *Capite* igitur *primo*, mentione facta duorum librorum, quorum alter inscribitur *Essai sur l'Etat present de la Geographie*, alter *Essai sur l'origine & les progrés de la Geographie*, cujus tamen utriusque scopum a suo diversum esse ait, docet, quam florenti in statu hodie versetur studium Geographicum. Hic primo considerationi nostræ subjicit Cosmographiam, eamque ostendit tanta cepisse nostris temporibus incrementa omnibus in suis partibus, ut prioris ævi scientia Cosmographica multis parasangis fuerit inferior. Deinde Geographiam contemplatur, &, quantum ad fastigium hæc scientia evecta sit ætate nostra, demonstrat perspicue. Veteribus namque nec vera magnitudo nec vera figura terræ nostræ erat perspecta, nec veram ejus faciem ii cognoverant, neque adeo sciebant, quantum ejus mare tegat, & cujus generis incolæ quamque partem incolant. Hodie vero nihil horum ignoratur: eamque in rem Cl. Autor præcipue commendat *Varenii Geographiam generalem*, & Cl. *Liebknechtii Compendium Geographicum.* Ad historicam Geographiam quod attinet, notitiam amplissimam hodie nobis pandere ait itineraria per omnes orbis partes conscripta a viris curiosissimis doctissimisque. Nominat hic multa itineraria, adjecta & eorum honorifica mentione, qui totum orbem navigando emensi sunt. Ad felicitatem nostri ævi denique refert multitudinem ac præstantiam mapparum Geographicarum, Systematum Geographiæ, (quorum præcipua nominatim laudat) & Lexicorum Geogra-

graphicorum. *Cap. II* de incrementis hodiernis studii Geographici disserere pergit, & ita quidem, ut descendat ad specialiora. Inido igitur regiones Europæ singulas perlustrat, docens, quam pulchræ Geographicæ descriptiones exstent Portugalliæ, Hispaniæ, Galliæ, Italiæ, Germaniæ, (cujus quidem singulas partes a doctissimis viris descriptas esse Geographice, doctissime demonstrat) Helvetiæ, Magnæ Britanniæ, Daniæ, Sueciæ, Poloniæ, Prussiæ, Hungariæ, Turciæ, Russiæ, Persiæ, &c. Laudat ubique præcipuos libros, deteriores nota perstringit censoria. Tum docet, quam bono in statu hodie sit Hydrographia, Geographia item antiqua & media, Biblica denique Geographia & Ecclesiastica. *Cap. III* monet, multum tamen imperfectionis superesse in studio Geographico, &, quid jure desideretur, exponit. Deesse igitur orbi literato censet justum Systema Cosmographiæ, cum permultæ quæstiones cosmographicæ nondum sint ad liquidum perductæ; justum item & perfectum Systema Geographiæ, cum multa adhuc in Geographia sint incerta, e.g. situs plerorumque locorum, observationes Astronomicæ. Adducit etiam errores defectusque Itinerariorum & Mapparum Geographicarum, adjectis tantæ errorum multitudinis causis. Paucis quoque ostendit defectus Geographiæ antiquæ & mediæ, sacræ item atque ecclesiasticæ. *Cap. IV* consilium proponit de ulterius emendanda & perficienda Geographia. Scilicet opus esse ipsi videtur Societate eruditorum Geographica, ejusque officia hic curate descripta legimus. Cognoscimus etiam, jam *Tenzelio* in mentem venisse ejusmodi Societatem. *Cap. V* consilium aperit, qua ratione tractari oporteat Geographiam, & quomodo sit utendum mappis Geographicis. Docet igitur, quo ordine Atlas exhibere debeat mappas singularum regionum, simul reprehendens illum earum ordinem, quem proposuit *Polyc. Lyserus* in sua Commentatione *de vera Geographiæ methodo. Cap. VI* exhibetur Sciagraphia Atlantis Germanici, ac magnus profertur catalogus pertinentium huc, quas ipse possidet, mapparum. Venimus ad *Supplementa & Emendationes historiæ mapparum Geographicarum*, A. 1724 in his *Actis* recensitæ. Commemorantur hic recentissima scripta Geographica, pluresque speciales mappæ Geographicæ regionum Germaniæ. Præterea inseruntur ob-

observationes eruditissimæ, e quibus hæ nobis inprimis arriserunt. *Pag. 5* antiquitatem mapparum Geographicarum ostendit ex *Josuæ XVIII, 9.* Addit, jam ante Josuam Sesostrin, regem Ægypti, in tabula describendas curasse suas regiones. Ibidem docet, *Tabulam Peutingerianam* nunc esse in Bibliotheca Herois Eugenii, magno redemtam pretio. *P. 8-10* observat, Nicolaum Cusanum, Cardinalem, falso tradi communiter vita excessisse A. 1464, cum demum A. 1500 d. 11 Aug. sit mortuus. Repetit id superiori in Dissertatione *p. 133.* Describit & *p. 11 sqq.* incomparabilem *Atlantem Augusteum*, auspiciis *Augusti*, Regis Pol. & Elect. Sax. confectum ab ipsius Geographo, Zurnero, constantem LXXX mappis Geographicis, Saxoniam Electoralem exhibentibus. *P. 44* (& in præmissa Dissertatione *p. 49 sq.*) ait, optimam omnium mappam, qua tota terra repræsentetur, esse eam, quam edidit Regis Galliæ Geographus, A. 1726 d. 25 Jan. mortuus, Guilielmus de l'Isle. *P. 83* putat, Cl. *Hardtii*, Prof. Helmst. *Geographiam sacram* non esse prodituram in publicum: idque dolendum esse, negat. Nos vero dolemus, Autorem nostrum, sacro nunc muneri præfectum, (vivit enim *Stadthagæ* Superintendens & Illustriss. Comitis Schaumburgici Consiliarius Ecclesiasticus) non posse cœptam telam pertexere. Illud tamen habemus cognitum, eum collectanea sua traditurum alteri, qui cum idoneus, tum paratus sit ad præclarum hoc opus perficiendum.

NOVA LITTERARIA.

EAdem fere nuper fata habuere duæ in Germania Bibliothecæ instructissimæ, de quibus aliquid hoc loco memorare operæ pretium putavimus. Primus Vir Ampliss. *Zach. Conradus ab Uffenbach*, Reipubl. Francofurt. ad Mœnum Consul & Consilii sacri Assessor, cum se ita paulatim negotiis gravari sentiret, ut Bibliothecæ suæ amplissimæ curam habere amplius vix posset, & aliæ, quas publice exposuit, eum causæ urgerent, totam supellectilem librariam, exceptis saltim, quæ spectarent ad Historiam literariam, divendere constituit, atque adeo Tomum I, variarum Facultatum libros cum insigni prohibitorum copia complexum, Francofurti edidit anno superiori in 8, apud Jo. Benj. Andreæ & Henr. Hort, quorum opera uti & pecuniam ad eos dirigere

pos-

poſſunt, quibus volupe eſt quoscunque libros pro pretiis, quæ ſingulis adſcripta ſunt æquiſſima, ſibi comparare. Apud eosdem prodiit & nuperrime Tomus II, qui Hiſtoricos, quos potiſſimum amavit Prænobiliſſ. Poſſeſſor, tum & Antiquarios & Nummarios, ſiſtit, cum duplici Appendice, quarum altera ſupellectilem antiquariam (nummariam quidem jam pridem Viro Cl. *Jo. Bapt. Ottio*, Archidiacono ac Bibliothecario Tigurino permutationis jure ceſſit) ſtatuas nempe, gemmas, urnas, lampades, pateras & ſimiles antiquitatis reliquias, altera incunabula artis typographicæ, ſeu catalogum libros CCCCXIII primis ab artis inventione annis typis exſcriptos exhibentem continet. Tertius Tomus, mox proditurus, MSptos Codices complectetur, quorum quam inſignis copia ſuppetat, facile exiſtimabunt, qui non ignorant, Partem I Bibliothecæ hujus MSptæ jam A. 1720 ſatis magno volumine in fol. prodiiſſe, a nobis quoque in Actis 1721 p. 233 recenſitam, quique adeo, Partem quoque II, quæ ingenti hiſtoriarum apparatui deſtinata erat, prodire, fruſtra licet hactenus ob acerba Typographi fata, optarunt.

Nec incelebris fuit huc usque Viri Cl. *Jo. Burchardi Menckenii* noſtri Bibliotheca, quæ Lipſiæ apud Jo. Frid. Gleditſchii B. Fil. bis, nempe A. 1723 iterumque longe auctior A. 1727 in 8 accurato ordine edita, non ſine plauſu excepta fuit. Etſi vero copiam librorum ſuorum nemini adhuc negaret, multorum tamen malam fidem ſæpiſſime expertus eſt, qui, quos antea, ſatis etiam importune & quaſi pro imperio, a Cl. Poſſeſſore poſtulaverant & acceperant, vel ſero vel nunquam plane reddiderunt, quo factum, ut non ſine ſumma moleſtia quotidie libros deſideraret, quos non modica pecunia redemerat. Itaque ut tandem hoc onere ſe levaret, maxime cum ob fractam nimis hoc biennio valetudinem cura Bibliothecæ defungi ægre poſſet, ſtatuit, ſervatis tantum iis, quibus opus habet, reliquos omnes divendere, eoque minores hactenus catalogos evulgavit, quibus addidit pretia haud iniqua, integrum præterea relinquens Bibliophilis, num ex majori Catalogo excerpere aliquos & de pretio ſecum convenire velint. Etſi vero jam potiſſima ejus pars Dresdam in Bibliothecam Viri Illuſtriſſ. & Excellentiſſimi, Dn. *Henrici de Bünau*, Potentiſſ.

Regis

Regis Pol. & El. Saxoniæ Consiliarii intimi, tum & non pauci libri in Schœmbergicam Dresdensem & Senatoriam nostram, atque ad alios Viros eruditos, in Saxonia tamen inprimis, (quod pergratum accidit Possessori) pervenerint, superest tamen adhuc numerus haud exiguus optimorum librorum, qui vendi curiosis, justo pretio oblato, poterunt.

Prodiit etiam nuper Hagæ Comitum Catalogus Bibliothecæ longe instructissimæ, quippe plus quam centum millia volumina, quæ ad omne genus literarum, historiam maxime, spectant & partim linguis exoticis conscripta sunt, complexæ, quam longis annis & incredibili sumtu collegit *Samuel Hulsius*, Consul Hagiensis, hodieque superstes. Constat Bibliotheca, die 4 Sept. hujus anni hastæ subjicienda, sex Voluminibus, & vendent Catalogum typographi in omni fere Europa celeberrimi, Romæ Pagliarini, Salviani, Andreoli, Ficaroni, Barbiellini, Neapoli Risponi, Cicarelli, Gessari, Venetiis Coletti, Pizzana, Albrizzi, Manfre, Baglioni, Veronæ Tummermanni, Mutinæ Soliani, Florentiæ Tartini & Franchi, Liburni Mornini, Mediolani Cairolo, Taurini Fontana, Parisiis Marietti, Rollin, Londini Brevost, Basileæ Thurneiser, Genevæ Bousquet, de Tournes, Argentorati Dulssecker, Viennæ Straube, Francofurti Varentrapp, Ulmæ Bartholomæi, Noribergæ Lochner, Monath, Stein, Casellis Cramer, Augustæ Bencardi vidua, Dresdæ Gerlach, Lipsiæ Gleditsch, Fritsch, Weidmann, Augustus Martini, Wittebergæ Ludovici, Jenæ Bielke, Halæ Sellius, Magdeburgi Seidelius, Berolini Haude, Guelferbyti Meisnerus, Bremæ Sauermann, Hanoveræ Fœrsteri, Lubecæ Bœckmann, Hamburgi Felgineri vidua, Hafniæ Rothe, Holmiæ Weidmann, Coloniæ Huisch, & in Belgio typographi fere omnes.

Ceterum eruditos ignorare nolumus, Virgilium uberrimis Nic. Heinsii notis illustratum, & tot eruditorum votis expetitum, sed jam pro deperdito habitum, tandem a Viro Celeberrimo, *Petro Burmanno*, ex tenebris nuper protractum esse. Is nunc notas istas describi curat, dabitque propediem Virgilium illis Heinsianis, ut & Servii, Philargyrii, Pierii, forsan & aliorum, integris observationibus ornatum, ut editione Masvicii in posterum secure possimus carere. Invenit idem ille simul Libros quatuor *Adversariorum*, in quos Heinsius conjecit infinitas conjecturas in Statium, Propertium, Tibullum, Lucanum, Senecam Tragicum & alios, quos ipse edere noluit. Hi etiam describuntur & quamprimum, cum orbe literato communicabuntur.

* * *

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Junii Anno MDCCXXX.

SCRIPTORES RERUM GERMANICARUM, præcipue Saxonicarum, &c. e Tabulario Regio & Electorali Saxonico Dresdensi maximam partem collegit JO. BURCHARDUS MENCKENIUS, Potentissimo Regi Pol. atque Electori Sax. a Consiliis Aul. & Historia, Hist. in Acad. Lips. Prof. Publ. & Societat. Reg. Britann. & Boruss. Socius: cum Indice in omnes tres Tomos.

Tomus III.

Lipsiæ, impensis Jo. Christiani Martini, 1730, fol. Alph. 12 pl. 10 c. fig. æn. 7.

DEsideria igitur ex asse explevit & patriæ suavissimæ & orbis litterati Vir de re litteraria meritissimus, *Menckenius* noster, dum Tomum III Scriptorum Saxonicorum, eumque ultimum, ita comparatum in publicum emittit, ut cunctationem illius, si qua in libris optimis allegari meretur, gravitas contentorum ingenti commodo penset. Obtinuit enim jam editis Operis hujus Tomis prioribus, hanc gratiam a Potentissimo Sarmatarum Rege, ut præter multa alia lectu dignissima, Chronica quædam vetustiora e Tabulario Regio & Electorali Dresdensi in publicam lucem protrahere ipsi liceret. Alia suppeditavit Bibliotheca Academiæ Lipsiensis, cujus thesauros Viri eruditissimi in squalore reconditos fere dereliquerant. Orthographia Codicum, minus licet accurata, hic quoque, ut in prioribus Tomis, ubique fuit retenta, ne quid ipse finxisse videretur &

Regis Pol. & El. Saxoniæ Consiliarii intimi, tum & non pauci libri in Schœmbergicam Dresdensem & Senatoriam nostram, atque ad alios Viros eruditos, in Saxonia tamen inprimis, (quod pergratum accidit Possessori) pervenerint, superest tamen adhuc numerus haud exiguus optimorum librorum, qui vendi curiosis, justo pretio oblato, poterunt.

Prodiit etiam nuper Hagæ Comitum Catalogus Bibliothecæ longe instructissimæ, quippe plus quam centum millia volumina, quæ ad omne genus literarum, historiam maxime, spectant & partim linguis exoticis conscripta sunt, complexæ, quam longis annis & incredibili sumtu collegit *Samuel Hulsius*, Consul Hagiensis, hodieque superstes. Constat Bibliotheca, die 4 Sept. hujus anni hastæ subjicienda, sex Voluminibus, & vendent Catalogum typographi in omni fere Europa celeberrimi, Romæ Pagliarini, Salviani, Andreoli, Ficaroni, Barbiellini, Neapoli Risponi, Cicarelli, Gessari, Venetiis Coletti, Pizzana, Albrizzi, Manfre, Baglioni, Veronæ Tummermanni, Mutinæ Soliani, Florentiæ Tartini & Franchi, Liburni Mornini, Mediolani Cairolo, Taurini Fontana, Parisiis Marietti, Rollin, Londini Brevost, Basileæ Thurneiser, Genevæ Bousquet, de Tournes, Argentorati Dulssecker, Viennæ Straube, Francofurti Varentrapp, Ulmæ Bartholomæi, Noribergæ Lochner, Monath, Stein, Casellis Cramer, Augustæ Bencardi vidua, Dresdæ Gerlach, Lipsiæ Gleditsch, Fritsch, Weidmann, Augustus Martini, Witteberga Ludovici, Jenæ Bielke, Halæ Sellius, Magdeburgi Seidelius, Berolini Haude, Guelferbyti Meisnerus, Bremæ Sauermann, Hanoveræ Fœrsteri, Lubecæ Bœckmann, Hamburgi Felgineri vidua, Hafniæ Rothe, Holmiæ Weidmann, Coloniæ Huisch, & in Belgio typographi fere omnes.

Ceterum eruditos ignorare nolumus, Virgilium uberrimis Nic. Heinsii notis illustratum, & tot eruditorum votis expetitum, sed jam pro deperdito habitum, tandem a Viro Celeberrimo, *Petro Burmanno*, ex tenebris nuper protractum esse. Is nunc notas istas describi curat, dabitque propediem Virgilium illis Heinsianis, ut & Servii, Philargyrii, Pierii, forsan & aliorum, integris observationibus ornatum, ut editione Masvicii in posterum secure possimus carere. Invenit idem ille simul Libros quatuor *Adversariorum*, in quos Heinsius conjecit infinitas conjecturas in Statium, Propertium, Tibullum, Lucanum, Senecam Tragicum & alios, quos ipse edere noluit. Hi etiam describuntur & quamprimum, cum orbe literato communicabuntur.

* * *

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Junii Anno MDCCXXX.

SCRIPTORES RERUM GERMANICARUM, præcipue Saxonicarum, &c. e Tabulario Regio & Electorali Saxonico Dresdensi maximam partem collegit JO. BURCHARDUS MENCKENIUS, Potentissimo Regi Pol. atque Electori Sax. a Consiliis Aul. & Historia, Hist. in Acad. Lips. Prof. Publ. & Societat. Reg. Britann. & Boruss. Socius: cum Indice in omnes tres Tomos.

Tomus III.

Lipsiæ, impensis Jo. Christiani Martini, 1730, fol. Alph. 12 pl. 10 c. fig. æn. 7.

DEsideria igitur ex asse explevit & patriæ suavissimæ & orbis litterati Vir de re litteraria meritissimus, *Menckenius* noster, dum Tomum III Scriptorum Saxonicorum, eumque ultimum, ita comparatum in publicum emittit, ut cunctationem illius, si qua in libris optimis allegari meretur, gravitas contentorum ingenti commodo penset. Obtinuit enim jam editis Operis hujus Tomis prioribus, hanc gratiam a Potentissimo Sarmatarum Rege, ut præter multa alia lectu dignissima, Chronica quædam vetustiora e Tabulario Regio & Electorali Dresdensi in publicam lucem protrahere ipsi liceret. Alia suppeditavit Bibliotheca Academiæ Lipsiensis, cujus thesauros Viri eruditissimi in squalore reconditos fere dereliquerant. Orthographia Codicum, minus licet accurata, hic quoque, ut in prioribus Tomis, ubique fuit retenta, ne quid ipse finxisse videretur &

ut de ætate illorum melius posset judicari. Exhibetur vero primo loco *Matthæi Dœringii Doct. Ord. Minor. Continuatio Chronici Theod. Engelhusii ab A. 1420 usque ad A. 1498 ex Codice MScto Bibliothecæ Acad. Lips.* Engelhusium, de quo plura in *Leibnitii Script. Brunsuic. Tom. II p. 54*, ejusque binos Continuatores insertos quidem videmus isti Collectioni Leibnitianæ; sed Continuatores isti diversissimi fuerunt a Nostro, ceteros longe post se relinquente. Fuerat ille *Dœringius* Minister
p. 15. Saxoniæ in pago Kiriz, oppido Marchiæ Prignitianæ, testante illud manu antiqua sub hujus Continuationis initium, ac literis Friderici Thuringiæ Landgravii A. 1431 ap. *Reinhardum in Meditatt. de jure Princ. Sax. circa Reform. p. 141.* Ex istis & Continuatione ipsa, quæ Thuringicis, Misnicis ac Brandeburgicis rebus inservit, elucet, virum fuisse cordatum, seculi sui vitia libere castigantem, dum schismatis neglecti culpam & in Frideri-
10. cum III Imp. *ignavum, avarum, divitiis immersum, & vulgo Regem Judæorum potius, ob familiaritatem cum illis, quam Romanorum dictum*, & in Præsules, *qui in turbis istis Papæ potius,*
14. *quam Episcopi videbantur*, rejicit, ac Episcoporum ignoranti-
17. am, & Capistrani arrogantiam indulgentiasque salse ridet; veram quoque causam capti a fratribus Sigismundi Ducis Sax. ad A. 1436 suggerit, quod tria castra, quæ pro *vitalitio* possidebat, hostibus fratrum tradere conaretur. Ceterum integra hæc Continuatio a *Dœringio* haud videtur profecta, cum, quæ post A. 1464 sequuntur, alia manu scripta sint in Codice, ac stylus & veritatis amor contra pravos Cleri mores a prioribus discrepent, & initia belli Prussici, a *Dœringio* jam exposita, incaute hic repetantur. Neque veri est simile, hominem, rerum jam A. 1421 publice gestarum testem oculatum, qualem se profitetur, vitam ad
1. A. 1498 usque, quo finitur Continuatio, produxisse. Succedit,
55. uti succedebat in Codice, II *Chronicon breve de quibusdam novissimis temporibus actis in partibus Misniæ & Thuringiæ*; ab A. 1301 ad A. 1497 porrectum, cujus Autor, licet in rebus seculi XV *Dœringium* ejusque Continuatorem sequatur, passim tamen singularia quædam, Misniam Saxoniamque & inprimis Lipsiam spectantia immiscuit, ut *Lipsiense* dici queat. In fronte Codicis scri-

ſcriptum eſt: *Libellus Magiſtri Thomæ Werneri de Brunſbergk in Lipczk ſcriptus A. 1480*, & ex ipſo opere patet, Autorem A. 1448 veniſſe ad *ſtudium in Lipczk*, neque tamen certo conſtat, utrum autor, an poſſeſſor tantum hujus Chronici fuerit ille *Wernherus*. Ex eadem Bibliotheca producitur III *Anonymi Saxonis Hiſtoria Imperatorum a Carolo M. ad Fridericum II Imperatorem, ſpeciatim ad A. 1235*. Saxonem recte vocari Autorem, res ipſa loquitur, cum in rebus Saxoniæ inferioris plurimum verſetur, & de Henrico Auc. loquens, addat; *quod de cetero hæreditatem, quam Nos* (i. e. Saxones) *Herghewede dicimus, ex hoc obtineret*. Autor hanc quoque Collectionem ut intraret, dignus eſt viſus, quod ſubinde res Miſnicas & Thuringicas non leviter attingat. Vixiſſe eum ſub Friderico II illa perſuadent, quod in A. 1235 deſinat, & ſub eo annos regiminis Imperatorii, ut alias ſuevit, non exprimat, vacuo tantum ſpatio relicto, ac de *ſchismate inter ſedem Apoſtolicam & Imperium adhuc durante*, ut & *lite de terra Mathildis indeterminata* ſcribat, *Francigenas* quoque teſtatus, *adhuc hodie Antiochiam poſſidere*. Utilitatem operis pauciſſima ſpecimina monſtrabunt. Conradum II ad Imperium perveniſſe ſcribit, *quod Epiſcopis proprietates & laicis Principibus alta feoda permiſerit: ex tunc autem Principes in tantum avaritiæ fuiſſe deditos, quod de cetero propter pecuniam ſolum Rom. Reges ſint electi*; poſtea tamen addit, Imperatorem omnia in Principes collata revocaſſe. Eodem in loco clariſſima de civitatis Noribergenſis libertate occurrunt indicia, unde Ill. Ludewigii ſententia, eandem nunc Bavariæ nunc Sueviæ municipalem fuiſſe aſſerentis, haud parum labefactatur. Quod Lotharius Henrico V tantopere fuerit adverſatus, hanc arcanam ſubfuiſſe cauſam docet, quod is ſororem Lotharii Gertrudem de Brunſchwig Marchioniſſam hæreditate ſua privaſſet. Ceterum ex hoc Anonymo hauſiſſe quædam videtur *Chronographus Germanicus* apud Eccardum Script. T. I ex. gr. p. 1380. Quæ ſequuntur IV, *Collationes Chronici Pegavienſis, ejusdemque continuationem ab A. 1125 ad A. 1236* Tabularium Regium & Electorale Dreſdenſe ſuppeditavit. *Chronici Pegavienſis* nomine vulgo venit *Hiſtoria de vita & rebus geſtis Viperti, Marchionis Luſatiæ, Burg-*

p. 58. 63. 76. 85. 86. 103. 127.

gravii Magdeburgensis & Comitis Groicensis, Pegaviensis Cœnobii fundatoris, a *Monacho Pegaviensi*, Viperto ferme coævo, scripta, & post editionem *Reineccii* ab Ill. *Hofmanno* inter Scriptores Lusaticos recusa, quam incudi denuo subjicere noluit Cel. *Menckenius*, sed collationem tantum inter Codicem Dresdensem & *Hofmanni* editionem instituit, & in hac minus emendata vel plane omissa feliciter restituit. Continuatio integri ferme seculi, nunc primum producta, haud dubie debetur Monachis Pegaviensibus, quia *Monasterii sui* cum Episcopo Martisburgensi lites studiose repetunt, & Abbates Pegavienses continuo *suos* vocant. Noverat jam *Reineccius* Continuationem illam, sed studio eandem neglexerat, quod de Friderico Barbarossa ad A. 1138 & 1153 testimonium Petrarchæ adducatur, qui seculo XIV demum vixerit; ast vilem Glossam, e margine in textum receptam, facile agnoscet prudens lector, & Continuationi huic rebus haud vulgo obviis refertæ suum statuet pretium. Edidit quidem & *Maderus* libellum de fundatione cœnobii Bigaugiensis, ex Vita Viperti & Continuatione hac consarcinatum, verum ita vitiosum, ut & emendationem & supplementa ex hoc Codice de-
p. 157. sideret. Occurrit V *Fragmentum Chronici Chemnicensis* ex Codice quondam Petri Albini, nunc Tabularii Reg. & Elect. Dresdensis, cujus partem maximam fuisse deperditam dolebunt, qui vel fragmentum hoc exiguum inspicient. Cl. *Schwarzius* infra memorandus existimat, esse hanc partem posteriorem Chronici, quod *Jo. Monsterbergius*, Cœnobita Chemnicensis, ad A. 1515 usque produxerit, allegans testem *Fabritium* Lib. I Annalium Misnæ; quod licet veri sit simile, nullo tamen extante vestigio illius rei in ipso Codice, nomen Viri addere ausus non est
159. *Menckenius* noster. Habentur VI *Emendationes & Supplementa ad Chronicon Martisburgense, inter Reliquias MSC. editum ab Ill. Viro Jo. Petro a Ludewig Tomo IV p. 329.* Nimirum cum Vir Ill. nec optimos semper Codices nec scribas satis fidos nactus videatur, collatio ejus cum Codice Regio hic est instituta, emen-
165. datis quibusdam, aliis suppletis. Sequuntur VII *Memorabilia quædam in Chronico terræ Misnensis, aliis Thomano Lipsiensi dicto, quondam desiderata.* Laudaverant Albinus aliique *Chronicon Lipsi-*

Lipsicum Thomanum, cujus tamen nullum in Bibliotheca Thomana Lipsiensi occurrebat vestigium, cum editis jam prioribus hujus Collectionis Voluminibus, Vir Ill. *Car. Frid. Goldbeck*, Regiæ Maj. Bor. a Consiliis Aulæ, copiam illius e Codice quondam Freheriano suppeditaret. Verum statim agnovit Noster, Chronicon hoc cum illo, quod sub titulo *Chronici terræ Misnensis*, post Cel. *Struvium*, emendatius Scriptorum horum Tomo II p. 323 jam ediderat, de verbo ad verbum concordare, nisi quod e Struviano Chronico non modica lacinia ad A. 1193 cum paucis aliis, quæ hic ceu Supplementa illius Chronici exhibentur, excidisset, ubi de initio monasterii Thomani Lips. & primis quatuor Præpositis diligentissime exponitur, ut adeo vere *Thomanum* Script. Sax. Tomo II l. c. exhiberi Chronicon, evinci possit. Neque adeo Ill. *Struvio* assentitur, qui autorem hujus Chronici fuisse civem Erfurtensem, censuit, quia varia ultimis seculis in ista urbe gesta attigerit, nisi dicas, monachum quendam Lips. illud inchoasse, Erfurtensem vero continuasse. Goldbeckianum enim definit in A. 1451, cum Struvianum usque ad A. 1486 excurrat. Pergimus VIII ad *Chronicon Quedlinburgense ab anno circiter 370 usque ad A. 1025* ex Codice P. Albini, nunc Tabularii Dresdensis. p. 169. Chronicon hoc Quedlinburgense recte inscribi in Codice Dresd. seu more veterum, *Zuedlinburgense*, inde patet, quod res cœnobii hujus ab ipsis initiis curiose exponat Autor, imo ad A. 1020 Quedlinburgum vocet *nostram Metropolin*. Interim plurimis in locis illud Chronicon concordat cum Chronographo Saxone, in *Leibnitii* Accessionum hist. Tomo I edito. Nam initium hujus Chronici a temporibus Valentiniani I Imperatoris petitum, a Chronographo quidem prorsus differt, multa singularia de rebus Carolingorum inprimis continens, in anno vero 884 sequ. passim cum illo conspirat, ita tamen, ut & sæpe ab eodem dissentiat, & multo plura contineat memoratu digna. Hinc Chronicon integrum nunc non recusum, sed Emendationes tantum & Supplementa, quæ in Chronographo non extant, hic reperies. Chronici hujus Autorem sub Ottone III & Henrico S. vixisse, ex verbis illius ad A. 999 & 1013 certum evadit, cumque adeo ultra A. 1025 vix progrediatur, *Leibnitii* Chronographus, ad A.

p.201. 1488 usque pertingens, recentior sane videbitur. Sistitur hinc IX *Chronicon S. Petri, vulgo Sampetrinum Erfurtense ab A.C. 31 sive potius 1036 usque ad A.1055.* Depromtum est illud e Codice Regio, dignum profecto, quod præ tot levioris momenti Chronicis Erfurtanis in lucem protraheretur. Equidem *additiones* paucarum plagularum, tanquam a *Monacho Erfurtensi* scriptas, *Pistorius* Script. Germ. T. I p. 425 edit. Struv. Lamberto Schaffnaburgensi subjunxit, ex particula tamen hujus Chronici decerptas: plane vero diversa sunt a nostro *Chronica S. Petri Erford.* a Cl. *Schannato* in Vindemiis literar. Collect. I vulgata. Usus tamen est hoc Codice Petrus Albinus, ut ex scriptis ejus patet, & ex Bibliotheca ipsius migravit in Tabularium Dresdense. Præmittitur in eodem Codice aliud breve Chronicon Erfurtense ab A.1078 ad A. 1181 longe vetustius hoc nostro, unde huic inscriptum *Chro-*
225 sq. *nica moderna;* ast cum pleraque ex vetustiori in moderno sint repetita, ad oram paginarum saltem hic adscripta suis locis deprehendes, quæ in moderno Erfurtensi non extabant. Plures hujus Chronici fuisse autores, rebus quidem a se descriptis co-
226, 258, ævos, indicat formula: *nostris temporibus*, similesque. Pauca
291. ex illo delibasse sufficiat. In electione Adolfi, Alberti I, Hen-
301, 303, rici VII, Guntheri, aliquam adhuc plerorumque Principum Ger-
319, 340. maniæ in eligendis Regibus fuisse autoritatem patet, licet Ele-
241. ctorum jure non uterentur. De Friderico II Imp. memoratur, ipsum largitionibus meruisse favorem Principum, Austriæ inprimis & Zeringiæ, etsi plures non Henrici VI Imp. sed Morbotonis, Aulæ Apostolicæ officialis, filium esse dicerent. Landgravium Thuringiæ Hermannum, Philippo Regi addictum, refert,
234. *Regias villas, Northusen, Mülhusen, Salvelt, cum finibus Orlan & castrum Ranis in feudum accepisse:* sublato Alberto I, Frideri-
319. cum Admorsum March. Misniæ regnum, ut rumor erat, ambivisse, quod Gothæ Archi-Episcopum Moguntinum laute exce-
330. perit; Friderico Severo Marchioni A.1330 Rochlitii natum fuisse primogenitum Fridericum, unde emendandus *Tenzel. in Bibl. Cur. p. 333*, qui primogenitum illius Sigismundum vocat. Subjun-
345. ctum hinc est X *Chronicon parvum vernaculum rerum in Misnia ab A.1175 ad 1349 gestarum*, ex Tabulario Dresd. Dignum fuit hoc Chro-

Chronicon, ut prelo subjiceretur, licet breve sit, & membrana, cui inscriptum, per incuriam ita esset detrita, ut literæ fugientes difficili labore distinguerentur. Ad membranæ quidem marginem notatum fuerat: *videtur esse Chronicon Oschazense:* sed *Dresdense* rectius dicendum, cum hujus urbis sæpius, Oschazii nulla in eo fiat mentio. Fridericum Severum A. 1349 obiisse in vigilia S. Elisabethæ, testatur Autor hujus Chronici coævus; unde corrigendus iterum *Tenzelius* loc. cit. p. 335 & 1170. Ducimur XI ad *Epkonis de Repkau breve Chronicon Magdeburgense, ab Anon. Germanice versum.* Nobilissimum est inter JCtos nomen Epkonis, seu Eccardi de Repkau, seculo XIII sub Friderico II florentis, siquidem coævum habuit Hoyerum Comitem de Falckenstein, cujus monitu Speculum Saxonicum, Latino primum idiomate compositum, Germanico exaravit, & quocum subscripsit Diplomati A. 1215 dato, teste *Becmanno* in Hist. Anhalt. T. I p. 312. Eundem Repkovium Chronicon hoc Magdeburgicum latine conscripsisse, sed Comitis Falckensteinii jussu idem a Monacho quodam synchrono Germanice versum fuisse, Præfatio rhytmica Codici hujus Chronici præmissa docet; namque pro nomine *Franckensteinii*, ut scriba mendose scripserat, *Falckensteinii* legendum est; quod & perspexerat *Jac. Frid. Ludovici*, in editione sua *Weichbildi* Præfationem hujus Chronici sistens, quasi *Weichbildo* præmissam, ipso tamen Chronico omisso. Equidem alias *Weichbildo* idem præmittitur Chronicon sub titulo: *Chronica de tempore creationis mundi*, cum Glossa aliquoties ad illud provocaverit; hoc tamen loco, velut magis opportuno, illud cum aliis ad res Magdeburgicas pertinentibus repetitur, maxime cum Bibliotheca Academiæ Lips. Codicem suppeditaverit, qui præter Epkonis de Repkau Speculum Saxon. *Chronicon Magdeburgicum* ejusdem cum Præf. illa contineret, quod ipsi deberi editores Speculi hactenus ignorarunt: siquidem ex editione de A. 1537 plane exulat illa Præfatio, & quamvis *Zobelius* in sua de A. 1589 illam afferat, eam tamen post Chronica demum posuit, quasi Codici Weichbildico præmissam; unde falluntur, qui propterea Weichbildi compilationem Repkavio tribuerunt. Progreditur in illo Autor usque ad Wilhelmum Rom. Regem, & Rupertum

p. 350.

349.

tum Archi-Episcopum Magdeburgensem, quibus temporibus ipsum, cum A. 1215 jam testis fuerit adhibitus, haud multum fuisse superstitem, credere proclive est. Ceterum cum inter alia Juris ministerialium meminerit, hinc ex alio ejusdem Bibliothecæ Codice membranaceo Chronico huic adjecta sunt *Jura Ministerialium Magdeburgensium*, quæ Cl. *Lunigius* in Corp. Jur. Feud. T. II p. 2022, sed vitiosa nimis & mutila, dederat. Sequuntur XII *Collationes Chronici Magdeburgici a Meibomio Script. Germ. T. II editi*, cum Codice MSC. Tabularii
p. 370. Dresdensis institutæ, unde locis prope quingentis emendatus est & auctus Codex Meibomianus. De autore Chronici nihil habet Meibomius; patet vero, eum vixisse circa A. 1350, quandoquidem sub Ottone Archi-Episcopo refert, eum Pseudo-Waldemarum pro genuino Principe venditasse, *se audiente*, cumque hic Codex finiatur in vita Alberti III Archi-Episcopi, reliqua
373. in Meiboniano videntur ab alio Autore profecta. Exhibetur XIII *Georgii Torquati, Magdeburgensis, Pontificum Ecclesiæ Magdeburgensis series & ordo, ab exordio fundationis suæ usque in præsens seu ad A. 1513, ex Chronicis Archi-Episcoporum quam brevissime A. 1562 excerptus passimque auctus.* Hic libellus a laudatissimo *Goldbecio* communicatus, e modo dictis Chronicis præcipue est excerptus, verum & meliori Codice usus est Torquatus, quam vel Regius noster vel Meibomianus fuit, ut hic ex collatione cum utroque instituta patescit, & in numero ac denominatione Episcoporum, ut Boccardi, Hildebrandi aliorumque a Chronicis illis subinde recedit, & sæpe alias Episcoporum res gestas, quæ in illis non comparent, stylo etiam limatiori, recenset, uti patet e vita Wichmanni, Ludolphi, Alberti I, Henrici II, Friderici de Hoym, Theodorici, ubi de pugna Hildesiensi habet, quæ illic frustra quæsiveris. De Autore nil certi constat, nisi quod Theologum & Historicum fuisse testatur *Meibomius de Irminsula Sax.* ubi etiam locus producitur ex Annalibus ejus *Magdeb. & Halberst. MSC.* unde patet, Evangelicæ doctrinæ eum fuisse addictum. Reliquit enim, ut ex Chronico Bergensi aliisque constat, Annales etiam Magdeburgenses paullo prolixiores, cum Annalibus Halberstadiensibus, quos fama est,

Capi-

Capituli Magdeburgensis insignibus notatos, in Bibliotheca Meibomiorum adhuc extare. Profertur XIV *Jo. Latomi, Collegii S. Bartholomei apud Francofordiam Decani, Catalogus Episcoporum & Archi-Episcoporum Moguntinensium usque ad A. 1582.* Dubitaverat Cel. *Georg. Christ. Johannis* opus hoc adhuc ineditum Scriptoribus Moguntinis inserere, quoniam Serrario maximam partem esset intextum; dignum tamen pluribus ex causis idem visum Nostro, quod in lucem hic prodiret; maxime cum Praenob. *Hermannus Ulricus de Lingen*, Ser. Duci Saxo-Isenacensi a Secretis, Codicem suum suppeditaret, Autori coaevum & Domini Possessoris notis hinc inde illustratum. Autorem, qui Catalogum hunc, ad A. 1582 deductum, e centum libris compilasse fertur, Pontificium fuisse, sed satis moderatum, opus ipsum loquitur: plura vero historica, *Antiquitates* nempe *Francofordiae*, *Historiam Austrasiae*, aliaque eum reliquisse, & A. 1609 e vivis excessisse, post *Boissardum* in Icon. Viror. Illustr. P. II p. 191 plures testantur. Ceterum errores populares in Historia Moguntina passim acute corrigit: Canones & Decreta Conciliorum Germaniae diligenter allegat: Autores, quibus usus est, in margine commemorat, & quamvis ipse fateatur, se MSCtis paene fuisse destitutum, rarum tamen & hactenus ineditum Diploma inserit de miserando carcere Adelberti Archi-Episcopi Moguntini, & crudelitate Henrici V erga obsides Moguntinos, ut alia taceamus. Optandum fuisset, ut Nob. *Lingenio* elegantissimas suas toti libro notas affundere licuisset, verum cum inter concatenata negotia spes omnis decollaret, vel istae tamen, quas dedit, historiam Moguntinensem mire illustrabunt. Habemus hinc XV *Broderi Boissen Chronicon Slesvicense ab initio Christianae religionis in provinciam invectae usque ad A. 1530.* Chronicon hoc sub uno *Broderi* nomine, haud insueto Saxoniae inferiori praenomine, transierat non in Bibliothecam Menckenianam tantum, verum & in publicam Hamburgensem aliasque; ita tamen, ut quis Autor, & quod verum ejus cognomen fuerit, nec Nostro, nec aliis satis constaret. Detexit id autem *Anton. Helmreich* in syllabo Autorum, Chronico Frisiae Borealis adjecto, quo Autorem hunc, quem saepius secutus, vocat *Broderum Boissen*. Addit, qui eundem

[Margin: p. 407 (beside line 3); 418 (beside "gine commemorat"); 497 (beside "fuisse destitutum"); 563 (beside "historiam Moguntinensem")]

cum viderat, *Jo. Mollerus in Introduct. ad Cimbr. Slesvic. & Holsat. Historiam p. 132*, fuisse hunc Boissenium nativitate Strandfrisium, Jo. Adolfi Duc. Holsat. Consiliarium. Usus vero eo videtur præcipue *Jo. Ad. Cypræus* in Annalibus Episcoporum Slesvic. raro obviis, quod tamen pretio hujus Chronici nihil derogabit. Primus enim Broderus Diplomata, aliaque monumenta excussit, passimque res Germanicas & Danicas optime illustravit. Sed hæc hactenus: nam cum de scriptis omnibus hic contentis simul edisseri brevitas nostra non patiatur, de reliquis dicemus Mense proximo.

CATALOGO CHRONOLOGICO, HISTORICO, Genealogico, e Critico das Rainhas de Portugal e seus Filhos,

h. e.

CATALOGUS CHRONOLOGICUS, HISTOricus, Genealogicus & Criticus Reginarum Lusitaniæ & earum Filiorum, dispositus a JOSUA BARBOSA, Clerico Regulari, Academico Historiæ Lusitanæ, & Serenissimæ domus Bragantinæ Historiographo.

Ulyssip. Occid. apud Jos. Ant. de Sylva, Typogr. Reg. 1727, 4 maj. Alph. 2 pl. 20 cum figuris insignium passim insertis.

NOn mediocri laude digna est præstantissimi hujus Academici industria, qua hucusque incerta aut plane falsa in Vitis Reginarum Lusitaniæ, ex antiquis monumentis discutere, aut argumentis non contemnendis refellere, maculamque nonnullarum gloriæ adspersam detergere studuit. Equidem prodierunt jamdudum Catalogi Regum Lusitaniæ, cujusmodi sunt, Dioci Peres Cinza, Anonymi a Francisco Aranha publicatus, du Vallii, Martini de la Puente, Regis Sebastiani Vitæ, a Johanne de Baena Parada scriptæ, adjectus, Cajetani de Lima, qui in Præfatione cum judicio de iis recensentur, attamen nullus adhuedum Reginarum Catalogus lucem publicam vidit, præter

ter unicum, fini alicujus libri Gallici additum, cujus se non amplius meminisse Autor noster ait. In hoc autem Antonium Brandanum, Monachum Cistertiensem, summis encomiis mactatum, inprimis sequitur, ac ejus sententiæ vel adhæret, eamque repertis posthac novis documentis confirmat, vel aliis certioribus impugnat, sed Annum Historicum, Diarium Lusitanicum Francisci de S. Maria, rejicit, ac quamplurimos ejus errores perstringit. Reginas viginti & unam complectitur, ea methodo usus, ut insignibus uniuscujusque oculis primum expositis, Tabulam genealogicam adjiciat, ac dein breviter illius conjugium, hujusque annum, Filios aut Filias, annum ac diem mortis, locum sepulturæ, actiones illustres, quæ plerumque in Ordinum religiosorum aut Monasteriorum fundatione consistunt, denique autores, quos consuluit, ubique indicet. Postea dubiis quibusdam in singularum historia clariori luce perfundendis, aut plane falsis removendis, operam impendit, ac vulgaria argumenta justo pondere examinat. Itaque in prima illarum, *Theresia*, Comitis Henrici conjuge, momenta quædam historica valde controversa, magno cum eruditionis apparatu prolixe excussit. Primo enim monstrat, illam Alphonsi VI Regis Castellæ ac Legionis filiam legitimam fuisse, quam vulgo ex concubina aliqua, *Ximena Munhoz* dicta, eum suscepisse perhibent. Sed hanc Alphonsi veram conjugem fuisse, ex duobus antiquis Chronicis, & ex nomine Reginæ aut Infantis ipsi dato probat; Epitaphium vero illius, huic asserto contrarium visum, omni autoritate ac fide spoliat, & Sandovalum ei innixum refutat. Cum tamen a quibusdam Historicis Concubina appelletur, hanc vocem, ut Arabicam *Barragana* a Mauris invectam, olim legitimam quoque uxorem notasse doctissime evincit. Id p. 15.
ipsum porro ex Jure successionis in regno Castellæ, bellisque ejus causa a marito, Comite Henrico, & hoc mortuo, ab ea cum sorore Urraca gestis demonstrare conatur. Discus- 21 seqq.
sa gravi hac controversia, ad aliam pergit, ac quo anno Comes Henricus cum Theresia matrimonium inierit, aut Lusitaniam intrarit, solicite inquirit, & utrumque ante A. 1094 jam contigisse, contra Brandanum & Bernhardum de Brito, variis rationi-

 bus

bus probat. Dein magni omnino ponderis quæstionem judicii
historici lance trutinat, cum olim diuturna inter Castilianos &
Lusitanos lis ex ea fuerit orta, multis pro utraque parte scriptis
p. 38. libellis, quos allegat, & gladio decidenda: scilicet quærit, utrum
Lusitaniæ regnum, quod Comes Henricus dotis loco accepit, ab-
solute & libere, an cum aliqua dependentia & restrictione ei a
Rege Castellæ cum Theresia fuerit datum, & relatis amplissima
digressione utriusque partis argumentis, ipse tandem Lusitaniæ
regnum Castellano nunquam tributarium fuisse contendit. Por-
ro Alphonsi Henrici primi, Regis Lusitaniæ, diem natalem inve-
79. stigat, ac rejectis aliis Chronologorum sententiis, A. 1109 ei assi-
87. gnat. Tandem secundum Theresiæ matrimonium cum Comite
Ferdinando Peres de Trava, ejusque ex confictis documentis pro-
bationem firmissimis argumentis destruit. Secunda Regina est
Mafalda, Alphonsi Henrici primi Lusitaniæ Regis uxor, cujus filia
Urraca Ferdinando II Regi Legionis nupsit; cum vero tam hujus
conjugii quam ejus dissolutionis annus dubiis sit involutus, u-
115 sq. trumque definit, nempe A. 1165 & 1171. Alteram filiam Mafal-
119. dam contrahendum cum Alphonso II Rege Arragoniæ matri-
monium non consummasse, adversus Diarii Lusitani autorem &
alios ostendit. Tertia Regina *Dulcia* Sanctii I uxor, filiam in-
134. ter alios habuit Berengellam, Regi Daniæ Valdemaro II nuptam,
quod accurate demonstrat. Quarta *Urraca* Alphonsi II con-
143. jux A. 1201 facta, quod contra alios Chronologos probat, ex quo
144. conjugio A. 1202, non obstante aliorum dissensu, Sancti-
us II Rex prognatus est. Hunc vulgo *Capello* cognominant,
cujus rei originem circumspecte & variis collatis monumentis
scrutatur, ac refutata communi opinione, a caputio (*v. Helyot
Hist. des ordres Relig. T. 7 c. 36*) *Tertiariorum* (Terceiros) Ordi-
nis Franciscani, super scapulis suspenso, quod, velut ei addictus,
156 sq. cum ipso vestitu gestare consuevit, id nominis illi hæsisse con-
tendit. Neque tamen adeo imbellis fuit, ut vulgus Historico-
159. rum eum describit, sed fortitudinis suæ non unum specimen
dedit; at uxorem nunquam duxit, & quod de conjugio ejus
cum nobili femina, Mecia Lopes de Haro, memoratur, a veri-
161. tate historica alienum est, ubi & Raynaldum refutat, qui in An-
nali-

salibus Ecclesiasticis, Pontificem hoc matrimonium ob affinitatem damnasse, ait. Nihilominus per nimium ejus amorem p. 176.
infelix fuit, cum multis in regno perturbationibus ansam dederit; unde Innocentius IV Pontifex singulari Bullæ, p. 187 inserta, illis ut obviam iret, eum exhortatus est, & tandem alia Bulla ipsum de throno dejecit. Inter filios Reginæ hujus Urracæ 193.
fuit Alphonsus, Comes Bononiæ, quem tamen ex uxore Mathilde, Comitatus illius domina, nullam prolem suscepisse, contra alios dissentientes probat. Robertum autem, heredem illius Co- 204.
mitatus, non illius filium, sed consobrinum fuisse, atque adeo Jus 218.
successionis in regno Lusitaniæ a Catharina de Medices Regina Galliæ ex eo derivatum subruit, nec Alphonsum Dionysium ex illa genitum fuisse, contra autorem *Nobiliarii* D. Pedro, de quo p. 222 fert judicium, evidenter asserit. Una præterea ex filiabus Urracæ reginæ Eleonora, Regi Daniæ Valdemaro III nu- 237.
pta, sine liberis decessit, nec hanc ob causam familiæ Lobkovianæ origo inde deduci potest. Quinta Regina *Beatrix* (Brites) Alphonsi III uxor, filiam habuit Blancam, cujus famam adversus Historicos quosdam mendaces tuetur, & ex illegitimo ejus concubitu familiam dos prados nuncupatam, ortum trahe- 257 sq.
re infitiatur. Mortis ejus annum & diem inquirit, quam A. 1303 261.
d. 26 Octobr. contigisse refert. Sexta Regina, S. *Isabella*, fuit Regis Dionysii conjux, cujus patriam dubiam investigare studet, dum 269.
alii Saragossæ, alii Barcelonæ natam esse perhibent. Septima *Beatrix*, Alphonsi IV conjux, cujus filia Maria Alphonsum X in legitimo matrimonio habuit, etiamsi id Mariana Historicus Hi- 278.
spanus & Lusitanis infestus cum aliis negare audeat. Octava *Constantia*, prima uxor Infantis Petri, postea Regis, cujus conju- 295.
gii & mortis annum ac diem controversum definire allaborat. Altera uxor *Agnes de Castro* (Ignez) quam vulgares Historici pro concubina tantum venditant, p. 307 seqq. prolixe refutati, mandato patris Alphonsi IV clam capite truncata periit, nec inul- 308 sq.
ta tamen, postquam maritus ad imperium pervenisset. Nona *Eleonora* R. Ferdinandi conjux. Decima *Philippa de Lancastro*, R. Johannis I uxor. Undecima *Eleonora*, R. Eduardi (Duarte) qui ipse Annales p. 356 allegatos scripsit, conjux. Inter filias ejus

p. 359. est *Eleonora*, Friderico III Imperatori nupta, A. 1434 nata, licet alii dissentiant. Duodecima *Isabella*, R. Alphonsi V uxor. Decima tertia *Eleonora*, R. Johannis II uxor. Decima quarta *Isa-*
389. *bella*, R. Emanuelis (Manoel) conjux prima, & secunda *Maria*, inter cujus filias est una homonyma, quam vulgo cum alia, ex *tertia uxore Eleonora* genita, confundunt. Decima quarta *Catharina*, R. Joh. III uxor. Decima quinta *Anna*. Decima sexta *Margarita*. Decima septima *Isabella*. Decima octava *Francisca de Gusman*. Decima nona *Francisca Isabella*. Vigesima *Maria Sophia*. Vigesima prima *Maria Anna*. Ultimis his & aliquot præcedentibus Reginis nihil præter insignia, tabulas genealogicas, matrimonia, Filiorum ac Filiarum nomina, mortis ac sepulturæ annum ac diem locumque adjecit, ad alios scriptores in singulis lectores ablegans. Index rerum notabilium Operi subjunctus est. Ceterum Opus lectu dignum ac curiosum, in quo nec ordinem, nec judicium Autoris, nec styli elegantiam, (habet enim & Lusitanicus sermo suas veneres) desideres.

ACADEMIA TERTIA ANGLICANA, OR THE Antiquarian Annals of Stanford.

h. e.

ANNALES ANTIQUARII URBIS STANfordiæ, in Provinciis Lincolniæ, Rutlandiæ & Northamtoniæ, quibus continetur historia Universitatis, Monasteriorum, Tribuum, Templorum, Sacellorum, Xenodochiorum & Scholarum, una cum enumeratione Magnatum, Magistratuum, Fundatorum, Largitorum, Clericorum aliorumque veterum incolarum prædictæ civitatis. Adjiciuntur observationes variæ novæ, curiosæ & singulares, circa res Britonum, Romanorum, Saxonum, Danorum, Franco-Gallorum & Judæorum, ut & circa historiam Ecclesiasticam, Parliamenta, Concilia, causas judiciales, resque, cum in bello Baronum, tum in bello inter familiam Eboracensem & Lancastriensem, gestas: nec non facta

&

& progenies diversorum Cancellariorum, Equitum Ordinis Periscelidis, Equitum Balnei, Abbatum Petroburgensium, Priorum Durhamensium, Episcoporum Lincolniensium aliarumque personarum illustrium & familiarum antiquarum; Autore FRANCISCO PECKIO, *Rectore Collegii Godebiensis, prope Meltoniam in Provincia Leicestriensi.*

Londini, apud Jacobum Bettenham, 1727, fol.
Alph. 6 pl. 10, Tabb. æn. 28.

QUam laudem docti inter Anglos præ reliquis dudum sibi acquisivere, quod rerum patriarum studiosissimi sint curiosissimique, hanc Cl. *Peckius* strenue tuetur Opere istthoc historico, quod, sive molem & internam rerum, quas pertractat, ordinationem varietatemque spectes, sive externam speciem, chartæ pulchritudinem, characterum elegantiam, Tabularum æri insculptarum splendorem contuearis, nulli in hoc genere alteri quidpiam concedit. Prolixa inscriptio, quam præmisimus, loco recensionis esse posset, nisi libri raritas, quem, præter subscriptores, videre & evolvere paucis continget, postulare videretur, ut paulo curatius de iis, quæ hic continentur, lectorem instruamus. Dedicatus est Viro Principi *Johanni Duci & Comiti Rutlandiæ*, cum ob insignia ejus in rempublicam literariam merita, tum quod castella, prædia, & latifundia quamplurima prope Stanfordiam possidet; ut adeo res Stanfordienses ad eum præcipue spectare videantur. Dedicationem sequitur Præfatio Autoris, quæ occasionem, qua ad scribendum impulsus est, nec non ordinem & rationem scribendi, quam sequitur, pluribus exponit. Ipsa totius Operis compositio ita comparata est, ut generaliter consideratum *Chronicon contractum regni Angliæ* dici possit: speciatim autem *Annales urbis Stanfordiæ* exhibeat. Tot enim res memorabiles, ad historiam Angliæ universalem pertinentes, aut in hac urbe, aut in ejus vicinia acciderunt, ut pleraque negotia quantivis momenti, quæ sub singulis Regibus gesta sunt, relationem quandam habeant cum historia ejus particulari. Cum porro vitæ & actiones quamplurimo-

morum illustrium virorum, qui vel domos religiosas Stanfordiæ exstruxerunt, vel exstructas largitionibus ditarunt, vel domini & proprietarii urbis fuerunt, vel summis muneribus illic functi sunt, vel denique tumulos, sepulchra & epitaphia illic meruerunt, in hoc libro operose satis enarrentur, non potest non ejus lectio & suavis esse & ad cognitionem historiæ Anglicæ plurimum utilitatis afferre.

Libris XIV totum Opus absolvitur, in quorum *primo* Autor inquirit, num vetus quædam Britonum civitas, vel Romanorum statio in eodem loco, ubi nunc Stanfordia conspicitur, quondam extiterit; & illius quidem varias conjecturas, hujus autem certissima indicia in medium affert: ceterum historiam hujus urbis ab anno mundi MMMC, usque ad A. DCV post Christum natum, hoc libro percenset & fabulam de *Academia Britannica*, quam *Bladudus Rex* in urbe Stanfordia instituisse, *Augustinus Monachus* autem destruxisse perhibetur, examinat. Liber *secundus* incipit a tempore dissolutionis suppositæ illius universitatis Stanfordiensis, sive ab anno æræ Christianæ 605, usque ad mortem *Vilifridi* Episcopi Eboracensis, fundatoris Prioriæ Benedictinorum S. Leonhardi prope Stanfordiam, qui decessit A. 709, de cujus vita quædam notatu dignissima Cl. Autor affert, fabulasque, quibus ab antiquis scriptoribus contaminata est, discutit. Liber *tertius* exhibet historiam Stanfordiensem a morte Episcopi *Vilifridi* sive ab A. 709 usque ad adventum *Wilhelmi Conquestoris*, qui incidit in A. 1066, ubi multa de bellis, quæ Saxones inter & Danos, in isto temporis spatio, gesta sunt, enarrantur. Libro *quarto* continuantur Annales Stanfordienses ab adventu *Wilhelmi* usque ad mortem Regis *Stephani*, quæ contigit A. 1154. Hic varias artes, quibus Normanni Angliam obruerunt, nunc Gallis, nunc Judæis in insulam accersitis, dextre Autor detegit. Liber *quintus* sistit regnum *Henrici* II; *sextus* autem *Richardi* I, atque ita singuli libri sequentes singula regna, & quæ sub illis fata Stanfordiam vel afflixerunt, vel adjuverunt, explicant, usque ad finem regni *Henrici* VI Anglorum Regis, cum quo & Annales nostri finiuntur, nec longius procedunt. Hanc rem quomodo Cl. Autor noster

excu-

excuset, audiamus, quæso, ex ipsius Præfatione: *Cum in eo essem*, inquit, *ut Antiquitates hasce colligerem, & ne per somnium quidem in mentem mihi veniret, fore, ut rerum abundantia (quæ raro Antiquarios turbat) laborare possim, adeo excreverant sub manibus collectiones meæ, ut opus integrum, pro isto pretio, quod proposueram, publici juris facere me non posse perspicerem. In hac rerum ambiguitate decrevi res antiquas præferre recentioribus, & librum hunc cum exitu Regni Henrici VI Regis concludere. Inquient forte malevoli: liber imperfectus est, quoniam ad nostra usque tempora non decurrit. Sed his respondeo, me nunquam audivisse, hanc dicam esse scriptam Antiquitatibus Parochialibus doctissimi Viri, Episcopi Petroburgensis, qui libri sui eundem finem fecit, quem ego mei.* Promittit tamen continuationem cœpti operis, modo inveniat laboris incitamenta, i. e. ut conjicimus, novos subscriptores. Post librum XIV Autor addidit brevem Appendicem, quam *the Close* sive *Conclusionem* inscripsit, nec non *Tabulam Chronologicam* 24 paginarum. Coronidis loco tandem adjiciuntur, tum auctior & correctior editio *Antiquitatum Stanfordiensium Richardi Butcheri*, quæ jam A. 1646 Londini typis divulgatæ fuerunt, tum binæ Epistolæ *Wilhelmi Forsteri* ad Tannerum: *de origine & antiquitatibus urbis Stanfordiæ.* Indicem forte quis jam desideret, & certe videbatur necessarius; maxime in tam vasto Opere ac tanta rerum, verborum & nominum varietate: sed nusquam apparet, &, si conjecturis indulgere licet, prætermissus est, ut labori & sumtibus parceretur, nec quicquam detraheretur de lucro subscriptionis; nisi fortasse alteri parti hujus Operis adhuc reservatur.

Apocalyptisches Licht und Recht,
d. i.
Richtige und erbauliche Erklärung der H. Offenbahrung Johannis.
i. e.
APOCALYPTICUM URIM ET THUM-

 mim

mim f. accurata & nervosa explicatio Apocalypseos Johannea &c. Autore D. JOACHIMO LANGIO, Theol. in Acad. Frid. P. P. O.

Halæ, impensis Christ. Petr. Franckli, 1730, fol. Alph. 4.

SUmme Reverendus *Langius*, qui nuper merita sua, quæ in exegesin sacram luculenta exstant, practico & succi pleno in omnes N. T. epistolas Commentario lingua vernacula edito auxit, jam illi quoque Commentarium in Apocalypsin Johannis adjunxit. Sequitur inprimis lineas systematis apocalyptici, quas magnus ille in scriptis Propheticis declarandis *Vitringa* in *Anacrisi Apocalypseos*, in Belgio plus vice simplici typis exscripta, & apud nos Leucopetræ 1721 in 4 recusa, exhibuit. Præcognita Operi præmissa rationem hujus Commentarii seorsim editi reddunt: tum vero felicem Celeberrimi *Vitringæ* navatam in exponendis SS. Vaticiniis, inprimis etiam Apocalypsi Johannis operam eo quoque nomine prædicant, quod meliora ecclesiæ fata expectanda exemplo Seb. Castellionis, B. Speneri, aliorumque apud nos & Reformatos celeberrimorum virorum accuratius perviderit, quippe quibus positis, tum demum emphasi oraculorum divinorum de benedictione in Christo omnibus gentibus impertienda, & regno ejus ad fines omnis terræ extendendo satisfieri queat. Qua in re consensum suum testans Autor §. XI *Præcognitorum* propositiones mentem suam hac de re declarantes ex parte IV systematis sui Antibarbari a pag. 646 ad 728 excerptas, ita quidem exhibet, ut mediam viam inter præcipitia ad dextram & sinistram ineat. Expendi hic merentur, quæ §. XII & XIII observavit, quippe quæ veritatis a Deo revelatæ studium cum prudentia conjunctum in S. R. Autore luculenter commendant. Succedit Præcognitis plenior *Isagoge*, Partibus duabus distincta, lectorem ad facilius intelligendum dijudicandumque systema Apocalypticum præparans.
Isag. p. 2. Prior pars Isagoges systema Vitringianum breviter recenset, ita quidem, ut Sect. I oracula apocalypseos, & quæ impleta & quæ adhuc implenda *Vitringa* credit, enarrentur: Sectione ve-

ro II S. Rev. Autoris cum *Vitringa* consensus quantum p. 5.
ad præcipua 15 momenta, exceptis paucis, quæ huc pertinent,
declaretur. Tum vero Parte altera Isagoges præcipua quædam, 20.
in quibus Celeb. *Vitringa* systema emendandum esse existimat,
exponit, & seriem inprimis eventuum futurorum, quos *Vitrin-*
ga inter præterita retulerat, præeuntibus vaticiniis apocalypti-
cis, texere studet. Pertinent huc Sect. I quinque priora sigilla 22.
Apoc. VI v. 1-9, & Sect. II sex priores buccinæ *Apoc. VIII v. 2* & 32.
XI v. 15 descriptæ, quæ omnia impleta *Vitringa*, implenda
adhuc esse *Langius* judicat. Denique & Sect. III in visione 40.
mulieris parturientis & pugnæ, quæ Michaeli cum dracone in-
tercessit *C. XII*, visis item duplicis bestiæ *Cap. XIII*, & quinque 43.
priorum phialarum a *Cap. XV v. 7* ad *Cap. XVI* declarandis diver-
sam a *Vitringa* viam *Langius* iniit. Liceat exempli loco ad-
ducere interpretationem visi mulieris parturientis ex *Cap. XII*
sqq. Exposuerat hoc visum *Vitringa* de ecclesia Christiana, quæ 40.
post tormina persecutionis sub Diocletiano enixa sit fœtum, Im-
peratores nempe Romanos, præcipue Constantinum M. Contra Comment.
vero *Langius* adductis sententiæ *Vitringianæ* incommodis mu- 118.
lierem hanc apocalypticam populum Judaicum sub typo fœmi-
næ *Hos. I, II, III*, imo etiam parturientis *Jes. XXVI, 17*, *Mich. V*,
3, & alibi exhibitum; vestitum solis illuminationem futuram
populi ex *Jes. LX*, *1*; lunam sub pedibus umbratiles ceremo-
nias ab hoc populo post conversionem relinquendas; coronam
duodecim stellarum tribus illos duodecim; gravidam mulierem
& partus doloribus laborantem, populum, qui inter medios animi
de peccatis dolores ad Deum convertitur; draconem fœminam
aggredientem, satanam & qui sunt a partibus ejus, conversionem
populi omni nisu impedire conantes & conversum persequen-
tes; masculum denique prognatum virgæ ferreæ in gentes ar-
bitrum ipsum Messiam, Jesum nostrum, ex *Ps. II*, *9*, *Ap. II*, *27*,
XIX, *15*, & hunc ex muliere hac Apocalyptica natum, non tam
qua ex Maria humanam naturam assumsit, sed qua fide per re-
generationem receptus in fidelibus ex Judæis secundum *Gal. IV*,
19, ἐμορφώθη, esse credit; cui quidem sententiæ reliqua hujus
Capitis, accersitis in subsidium *Dan. XII* aliisque Prophetarum lo-

 cis

cis, magna cum cura conciliat. Quod dum facit S. R. Autor, tanti tamen suum a *Vitringa* dissensum non habet, ut illum caput systematis Vitringiani tangere, hujusque laudes imminuere judicet, liberum lectoribus, quæ sit alteri præferenda in-
p. 49 terpretatio, judicium relinquens. Excipit *Isagogen Historica Commentatio* de Apocalypseos autore & aliis, quæ huc pertinent.
53. Sequitur *Analysis totius libri Apocalypseos*, visa XII præcipua or-
Comm.1. dine exhibens, quam *Commentarius* excipit, singulos versus no-
197. tis subjectis dilucidans, cui Autor *observationem de discri-*
198 sq. *mine regni lucis & tenebrarum*, quantum inprimis ex Apocalypsi patet, *harmoniam trium priorum capitum geneseos* cum ultimis tribus Apocalypseos Capitibus, denique *Programma in festum nativitatis Christi* A. 1728 editum, quo loca *Ap. IV*, 4 *sqq.* & *Ap. V*, 11 *sqq.* illustrantur, addidit. Accedit Operi *Parallelismus rerum Apocalypticarum Propheticus*, in quo ea omnia, quæ ad visiones Apocalypseos illustrandas in magno *Vitringæ* in Esaiam Opere leguntur, excerpta ordine capitum
271. Jesaiæ succincte ipsis plerumque *Vitringæ* verbis exponuntur, addita brevi duarum Dissertationum recensione, quas A. 1696 *Petr. la Roque*, Gallus, postea Cliviæ verbi divini minister, sub præsidio *Campegii*, *Vitringæ* & *Hermanni Alexandri Roell de futuro regno Christi in hisce terris gloriosa* habuit. Præter hæc in fine Præcognitorum Operi præmissorum S. Rev. *Langius Commentarii pragmatici in omnes V. T. libros*, Deo vitam viresque largiente, *IV Tomis in Folio* a se edendi illiusque, si morte præventus colophonem operi imponere nequeat, a venerando genero, celeberrimo *Rambachio*, ad finem perducendi spem facit. Sequetur in illo methodum, quam in Commentario in omnes N. T. epistolas tenuit, singulosque versus ita quidem interjecta per parenthesin interpretatione notisque subjectis, emphasi vocum, ubi opus, dilucidandæ destinatis, illustrabit, ut prolixa erronearum sententiarum confutatione, ad aliena digressione, & nimia philologiæ & critices ostentatione vitatis, sensum potissimum literalem exhibeat, Christum ejusque regnum, in typis & promissionibus V. T. obvium, ubique indicet, & ad usum sacrum lectoris in fide vitaque Christiana omnia transferat. *Com-*

menta-

mentario in Pentateuchen venerandus Autor *Dissertationem de veritate & excellentia religionis a Deo per Mosen revelatæ, per Prophetas declaratæ, & in Christianismo plena luce manifestatæ* præmittet: tum vero in calce *Commentarii in Leviticum* argumentum *de satisfactione Christi, & justificatione peccatoris coram Deo*, inprimis contra injurias *Christiani Democriti*, quas nuper admodum in libello, *vera demonstratio Evangelica* inscripto, doctrinæ evangelicæ denuo intulit, vindicabit, qua occasione novam quoque editionem libelli *Grotii de satisfactione Christi*, cum notis Anti-Crellianis, Crellii confutationi oppositis, pollicetur.

IDEA JURIS DIVINI DE EO, QUOD Theologorum est, in convincendo & refutando, illustrata & deducta ex exemplo Christi redarguentis Sadducæos Matth. XXII, 23--33, exposita & vindicata ab J. C. H. R. G.

Sine loco impressionis, 1729, 8.
Plag. 12.

IN eo S. R. *Harenbergii*, quem hujus libelli Autorem ferunt, scopus vertitur, ut nervum disputationis Christi cum Sadducæis ostendat, eumque expositum doctrinis illis muniat, quæ prono alveo inde fluere ei videntur, & momentis temporum nostrorum sunt accommodatæ. In Præfatione igitur exemplum Christi Doctoribus Ecclesiæ & Theologis unice commendat, quod, excepto redemtionis munere piaculari, orientalium nequaquam formularum indole, sed veritatis amore & robore sit tuendum. Submittit sese ingenue Theologorum examini, siquidem monarchica veritatis profitendæ & applicandæ ratio ei displicet. Poterat sese tutari doctrina *Justi Henningii Bœhmeri*, viri omnino celeberrimi, Diss. III de *confœderata Christianorum disciplina*, & *Meditationibus Anonymi de Origine, indole, effectibus atque historia Juris reformandi Regum ac Principum nec non Statuum Imperii Romano-Germanici circa religionem*, quas in his Actis A. 1729 p. 504 sqq. recensuimus, siquidem veritatis demon-

monſtrationem & defenſionem legibus modeſtiæ Chriſtianæ circumſcriptam a Deo & cœtus Chriſtiani jure, non e fonte politico, depromit ac deducit. Potiſſima & nova cum lectore communicabimus, vulgatioribus omiſſis. Jus exponendi & vindicandi moderate veritates theologicas ex exemplo Chriſti exiſtimat deducendum, qui eccleſiam ſibi collegerit ejus naturæ, in qua veritatem exponi & in animos fructuoſe demitti omnino fas ſit §. I. Deinceps, Chriſtum ſincere & aperte veritatem theologicam citra accommodationes ad errorem humanum propoſuiſſe, docet, & illud Pilati: *quid eſt veritas!* ex indifferentia ejusdem, per avaritiæ luem orta, derivat. Scribas in N. T. memoratos habet pro Karæis cum Triglandio & J. C. Wolfio. Sadducæos putat negaſſe reſurrectionem lapſi corporis craſſi, quippe quibus placuerit animæ oberratio & μετεμψύχωσις intra corpus quoddam ſubtile ſeu ὄχημα. Herodianos habet pro Sadducæis ex collatione *Marc. VIII, 16*, & *Matth. XVI, 6*, & ob ἔγερσιν ἐκ νεκρῶν *Marc. VI, 14*, *Matth. XIV, 1*, *Luc. IX, 7*, quam Joanni Baptiſtæ tribuerit Herodes Antipas, probe gnarus, Joannis corpus extinnum tunc nondum reſurrexiſſe e ſepulchro. Ἀναβίωσιν, Chaldæis, Magis, Homero, Democrito, Ægyptiis, Pythagoræ, Platoni & Druidibus probatam, credit fuiſſe receptam a Sadducæis. Eidem claſſi inſerit Simonem Magum, qui negaverit reſurrectionem, teſte *Auguſtino* in *Catal. Hæreſeon* c. 1, ita ut transmigrationem animarum admiſerit, teſte *Irenæo* L. I c. 20 *ed. Grab.* c. 23 *ed. Maſſueti*. Sadducæos, addit, ſtatuiſſe cum Chaldæis & Magis principia duo coæterna, quippe qui mali gubernationem, i. e. permiſſionem & directionem, Deo bono ſubtraxerint. Joſephus, *Kingio* notante in *Hiſtoria Symboli Evangelici* c. IV §. 15 p. 157, ſententiam Sadducæorum opponit opinioni Phariſaicæ *Ant.* L. XVIII c. 2. Unde infert Noſter, Sadducæos negaſſe animæ perſeverationem in eodem ſtatu poſt mortem & ſupplicia ac præmia in loco certo ſubterraneo, ψυχῆς τε τὴν διαμονὴν καὶ τὰς καθ᾽ ᾅδου τιμωρίας καὶ τιμάς. Illud καθ᾽ ᾅδου exponi notat a Joſepho per ὑπὸ χθονός. Unde patet, animis ſeparatis Phariſæos aſſignaſſe domicilium ſub terra. *Facilem bonis ad vitam reditum*, Phariſæis probatum,

tum, exponit de resurrectione corporis crassi, & τὸ μεταβαίνειν εἰς ἕτερον σῶμα, *transitionem bonorum ad corpus alterum*, capit de corpore eodem resurgente, splendidis affectionibus ornato, adductus testimonio Pauli, qui suam de resurrectione corporis sententiam non distinguat ab opinione Pharisæorum *Act. XXIII, 6, 7*, ac consensu Ven. *Joannis Georgii Walchii* Prof. Jen. in *Observ. in N. T. libros Observ.* III p. 28, Karæos eadem sensisse, comprobat ex *Act. XXIII, 9*. Ἅδην de subterraneo fumi receptaculo, demonstrat ex *Scholiaste Euripidis in Hecuben* p. 18, *Euripidis exordio Hecabes*, *Theocriti* Idyllio II v. 1534, ejusque Scholiaste *Zacharia Calliergo* p. 220. Addit consensum *Pearsoni* in *Exposit. Symb. Apostol.* p. 403, 414, *Kingi* l. c. c. 4 §. 12 p. 153 sqq. *Joannis Marshami Can. Chron. ad Sæc. X I* §. 3 p. 274 sq. *Grabii* in *Annot. ad Urbani Regii formulas caute loquendi p.* 189, 202, *Lutheri* præcipue *T. VI. Jen. ad Gen. XLII, 38, p.* 630, 631. Ἅδης secundo ei notat conditionem animarum separatarum. Exempla adducit ex *Æschyli Prometheo* p. 14, ejusque Scholiaste, *Persis* p. 169, & Scholiaste ed. Henr. Stephani 1557 maj. 4. Ne quis tamen hæc ad descensum Christi ad inferos transferat, intercedit, omittens rationem. Persas statuisse oberrationes animarum, a corpore crasso solutarum, ostendit ex *Æschyli Persis* p. 155, & *Thoma Stanlejo de Philosoph. Chald. Sect. I* c. 10. Hinc descendit ad ea, quæ Christus tanquam vera posuit in disputatione sua contra Sadducæos §. 4, negans, Christum & Apostolos argumentatos esse unquam κατ' ἄνθρωπον, seu ex concessis erroribus, nisi distincte id indicetur in N. T. quoniam hoc ei §. 5 non videtur quadrare ad sinceritatem & scopum doctoris Christi. Repudiat igitur secus sentientes. Ut ostendat nervum argumenti a Christo contra Sadducæos adhibiti, duo format theoremata. Prius sic habet una cum demonstratione: *Eadem numero corpora resurgunt & cum animis olim sibi junctis iterum conjungentur.* Demonstratio additur hunc in modum: 1) Deus alloquitur Mosen *Ex. III, 6, 16*: Ego sum Deus Abrahami. 2) Deus dicitur *illius Deus*, cui favet. 3) Cui Deus favet gratiamque conferre studet, ille exsistit. 4) Deus, Mosis ætate, erat Abrahami dudum exstincti Deus n. 1, ergo

ergo eidem favebat n. 2, ideoque Abrahamus tum exstitit gratiæque fuit capax n. 3. 5) Nomen humanum imponitur toti humanæ substantiæ, compositæ ex animo, intellectum & voluntatem liberam complexo, & corpore organico. 6) Corpus Abrahami, Mosis ætate, dudum erat morte functum. 7) Exsistebat tum Abrahamus gratiæque erat capax n. 4, ergo ex parte animi conscientia sui ac Dei instructus. 8) At sola anima non erat Abrahamus n. 5, nec corpus aliud eidem vel diversæ animæ junctum dici potest ille Abrahamus, illa Abrahami persona. 9) Cum igitur Deus Abrahamo faverit, corpore dudum mortuo n. 4, totique illi substantiæ, cui nomen illud erat inditum n. 5, 8; ergo idem numero corpus n. 8, jungitur cum eadem, olim sibi juncta, in unam personam anima, seu, quod idem est, datur resurrectio ejusdem numero corporis in conjunctionem cum anima, quacum olim fuit junctum. Sic immortalitas animæ & resurrectio a Christo simul fuit comprobata. Agnoscit eundem probandi nervum ex *Ex. III. 6 Menasse ben Israel* lib. de *resurrectione mortuorum* p. 68, quem indubie ex N. T. didicit, ut præclare observat Celeberr. *Maturinus Veyssiere la Croze* in *Entretiens sur divers sujets* p. 187. Mirum, eum non agnosci hic a multis Christianorum! Posterius theorema per se patet per legem Logicam propositionum contradictoriarum: *Falsum est, animas defunctorum corporum oberrare per varia corpora & per ea nominatim, quæ a corpore lapso differunt.* Summam argumenti Autor ita sese putat expediisse, notans §. 7 eos, qui μετεμψύχωσιν illam Sadducæorum instaurare contenderunt, nominatim *Franciscum Mercurium van Helmont*, scriptorem libri *Seder Olam* seu *Ordinis sæculorum* 1693, 12, cujus addit refutatores & vaticinium de anima sua post mortem corporis in canem atrum transmigratura. Notat simul *Joannem Tolandum*, qui *Ep. II ad Serenam* scripserit, dogma de immortalitate animæ ab Ægyptiis ethnicis inventum esse, merito confutatum a Ven. Viris *J. Fr. Buddeo* & *J. L. Moshemio*. Confessionem divinæ veritatis publicam exemplo Christi munit §. 8, 9, notans §. 9 Indifferentistas, in quibus eminent Apelles, Rhetorius, Gnosimachi, Puccius, Spinoza, Cherburius, assertores

Chri-

Christi interni seu spiritus communis in Turcis & ethnicis, Eislerum, Dippelium aliosque. Laudat *G. Wernsdorfii* libellum de *Indifferentismo religionum*. Repudiat abusum distinctionis inter res majoris & minoris momenti ratione librorum nostrorum Symbolicorum, indicans ex *Guilielmi Saldeni Otiis Theologicis* L. II Exerc. 8 §. 13 p. 381 sq. meliorem distinctionem in dogmata, probationes eorum e sacris litteris, & illustrationes aliunde adscitas. Adjungit corollarium §. 10, religionem paganam, qua talem, non sufficere obtinendæ saluti æternæ, siquidem eam ratione animæ securi sint Sadducæi. Laudat *J.F. Buddeum*, qui verbum Fanaticorum internum gentibus commune exploserit in Instit. Theol. Dogmat. L. I c. 1 §. 15 p. 12 seqq. Idem perspici, docet, ex *Ebr. XI, 6, Rom. X, 14*. Objectionem e Patribus, qui gentium Philosophis nonnullis salutem æternam non denegarint, sedulo diluit. Platonis scripta esse fere supposita, pronuntiat p. 57, si genuina sit ejus epistola II ad Dionysium p. 707 ed. Lugd. 1590, qua declaret: Οὐδ᾽ ἐςι συγγραμμα Πλατωνος ὐδεν, ὐδ᾽ ἐςαι. Luget turbatam ecclesiam Christianam per Platonicos recentiores. Platonem judaizasse e sacris litteris, negat, quia inde nihil excitet. Patrum addit testimonia, qui infitiati sint, Platonem ac Philosophos alios legisse diviniores litteras, *Lactantii* Div. Instit. L. II §. 20 & L. IV §. 2, *Cypriani, Hieronymi, Augustini*, quorum loca sunt apud *Vossium* in Historia Pelagiana L. III P. II §. 12, & *Baldum* in Judicio Patrum de Moralitate Philosophiæ L. II c. 1. Repudiat fidem implicitam Scholasticorum & *Theobaldi Tanneri* Jesuitæ librum Moguntiæ 1561 editum, quo defendit, *ethnicos honestiores etiam sine fide & agnitione Christi servatos æternum esse*. Rejicit eandem *Jacobi Andradii* & *Dominici Sotonis* sententiam. Ortum ejus erroris in ecclesia Pontificia derivat ex merito bonorum operum. Subdit *Petrum Poiretum*, qui male idem senserit in Oeconomia divina L. III c. 13, & defenderit in Vindiciis veritatis & innocentiæ L. IV Opp. Amstelodami 1721 excusorum Cap. 7. Confer Acta nostra Anni 1721 p. 420. Sadducæos habet §. 11 pro semi-ethnicis, putans Sadducæorum de anima sententiam exstare in Judæis credita *revolutione animarum* גלגול הנשמים, postea Kabbalistice propagata ob metum,

ex XIII articulis *Maimonidæ* conceptum. Demonſtrationem veritatis revelatæ inſtituendam docet §. 12 e principiis ab adverſario conceſſis, ob exemplum Chriſti & Apoſtolorum. Religio, judice Noſtro, Chriſtiana non conſtat principiis rectæ rationis in nobis reſiduæ §. 13. Judæos quosdam ſacrificiorum finem typicum noviſſe, idem probat ex לוחות הברית f. 338. Notat *Spencerum* ideo & Arminianos, præcipueque *Philippum Limborgium* in Theol. Chriſt. L. IV c. 4. Repudiat eos, qui doctrinam Chriſtianam e poſitu aſtrorum dependere exiſtimant, nominatim *Petrum Pomponatium* de Incantatione p. 308 ſqq. *Julium Cæſarem Vanninum*, *Hieronymum Cardanum*, a *G. G. Leibnitio* excuſatum in Miſcellaneis p. 187. Veritatem divinam negat §. 15 deducendam ab arbitrio imperantium tanquam fonte ultimo, ponens Jus circa ſacra in poteſtate conformandi actiones externas Chriſtianorum, ne ſaluti publicæ creetur noxa; Jus Epiſcopale conſtituendi fidei fundamenta aſſerens ſoli Deo, Jus Epiſcopale ad illud fundamentum tolerandum & protegendum tribuit ſummis magiſtratibus, collegii chriſtiani ſociis, ex pacto collegii. Per *interna eccleſiæ*, quæ Conſtantinus M. ſibi denegabat apud *Euſebium* in Vita Conſtantini L. IV c. 24, intelligit annuntianda fidei fundamenta, per *externa* autem, non res civiles & profanas, ut *Leo Allatius* de perpetuo conſenſu L. I c. 15 p. 231, nec gentiles adhuc extra Eccleſiam conſtitutos, ut *Petrus de Marca* L. II de Concordia ſacerdotii & imperii c. 10; ſed ordinem Eccleſiæ externum. Diſtinctio Conſtantini diſplicet *Thomaſio*, *Hobbeſio*, *Jacobo Revio* de Epiſcopatu Conſtantini M. & *Hugoni Grotio*; defenditur a *J. B. Carpzovio*, *Stolzio* aliisque. Annuntiatio articulorum fidei a Deo ſancitorum equidem ſpectari poteſt ratione fori conſcientiæ, unde habet autoritatem mere divinam, & reſpectu fori externi, in quo accedit autoritas principis. Si poſteriori ſenſu Conſtantinus ſibi denegavit interna eccleſiæ, omnino erravit. Qui interna illa priori ſenſu ab arbitrio ſuo ſuſpendunt, admittunt Cæſaro-Papiam, a Ven. *Philippo Jacobo Spenero* in Piis deſideriis p. 10 repudiatam. Errorem Sadducæorum Chriſtus non refellit mentione ſanctimoniæ ſuæ, amplitudinis ſuæ ſententiæ, vel miraculorum a ſe editorum, ſed ex verbo Dei, ut *Luc. XVI*,

30, 31, XXIV, 27, 44, & quidem V. T. unde colligit Autor identitatem substantiæ fidei in V. & N. T. contra Socinianos, Arminianos, & nonnullos Reformatos, addens exempla Apostolorum fidei Christianæ veritatem e V. T. comprobantium *Act. IV, 11, 12, XXVI, 22, 23*. Si a perenni sanctitate annuntiantium veritas divina tantum pendeat, Apostolorum doctrinam fore repudiandam, docet porro; siquidem hi a peccatis omnibus non prorsus fuerint in vita sua & conversatione immunes *Gal. II, 11, 14, Act. XV, 39*. Probationem fidei singulorum consolantem a sanctitate divelli non posse, largitur ob *Gal. V, 6, 2 Cor. XIII, 4, 5, 7*. De illuminatione sic statuit. Eam esse duplicem, & inniti vi supernaturali verbo Dei insita in animo hominis sese exserente. Seponit veritatem illam, quæ ex principiis rationis rectæ & experientiæ evidentis de Deo rebusque divinis innotescat, quæ licet dicatur *veritas Rom. I, 18, 25*, ab illuminatione tamen derivanda non sit. Statum animi humani actumve, quo intellectus de revelatis ex vi verbo insita sit certus, vocat gradum primum illuminationis, qui aliis dicitur *alluminatio* sive *illuminatio incidens*, non recepta, non permovens voluntatem ad subjectionem sub ordinem salutis susceptum & vita ipsa expressum. Exempla addit *Act. XXIV, 25, Phil. I, 15, 18, 1 Cor. III, 1, 3, 5*, & testimonium *Speneri* in piis desideriis p. 15. Illuminationis indolem dispescit in tres gradus, lucem lychni lucentis in animo obscuro, diluculum, phosphori ortum, ex *2 Petr. I, 19*, & illustrat ex ritu candelabri sacri Judaici, unde Petrinam figuram cum Cel. J. G. *Lakemacheri* in Obs. Philol. P. III, Obs. 6 p. 166 desumtam credit. Sensum compunctionis, licet repressum, esse ex illuminatione, sibi persuadet, assensumque ex argumentis sacrarum litterarum externis. Vocem sic sumi putat *Eph. II, 8, 9*. Nemo tamen negaverit, firmam & justam illuminationem argumentis internis, beatitudine quadam niti ex unione cum Deo & fruitione bonorum spiritualium, roburque suum inde acquirere, & hanc duntaxat persistere immotam, qua talis est, in persecutionibus & martyriis. Hanc igitur potissime commendat, complementum quippe prioris illius dimidiatæ & imperfectæ. Characterem ecclesiæ veræ (externæ & visibilis) ponit in agnitione verbi divini genuine

 intel-

intellecti. Ad veritatem divinam amplectendam impellere nos, addit, miracula, sed non unice. Videtur tamen propendere in sententiam *Pascalii*, qui in *Pensées sur la religion* p. 154 ed. Ulm. 8, 1717 ita differit: *Il y a des miracles, qui sont des preuves certaines de la verité; & il y en a, qui ne sont point des preuves certaines de verité. Il faut une marque pour les connoistre; autrement ils seroient inutiles.* Et paullo ante: *Il faut juger de la doctrine par les miracles: il faut juger des miracles par la doctrine. La doctrine discerne les miracles: & les miracles discernent la doctrine.* Fons est notus, ex quo illa opinio orta est. Ipse enim *Pascalius* p. 155 notam discretionis miraculorum suspendit ab ecclesia. Nostri, ut similia statuerent, cum Nostro impulsi videntur præstigiis Magorum Ægypti & locis *Deut. XIII, 1, 2, 3, XXIV, 24, Luc. XXI, 8, 2 Thess. II, 9, Apoc. XIII, 1, 3*, ubi voces occurrunt, quibus alibi miracula vera designantur. Ponit tamen recte Noster p. 103, Deum omnipotentem tantum edere miracula ob veritatem indicandam vel confirmandam, licet instaurationem veritatis miraculis non indigere, ostendat ex Hiskiæ & Josiæ exemplis, ac *1 Cor. XIV, 22.* Salvator certe a mortalibus assensum veritati divinæ præbendum exegit eo, quod miracula ederet, uti patet ex *Jo. X, 25, 37, 38, V, 36, Matth. XI, 20 sqq. Act. II, 22, Jo. XV, 24, Jo. VIII, 2*, quod ipsum agnoscit Nicodemus *Jo. III, 2.* Huic criterio addebat potissimum Christus impletionem vaticiniorum, quæ olim prædicta erant, de futuris contingentibus, non nisi per Deum. At pergendum est, ut reliqua notiora brevissime recenseamus. Cogendum ad veritatem amplectendam esse neminem, ex exemplo Christi, Apostolorum, primæ Ecclesiæ & consensu *Claudii Fleurii* Diss. V Hist. Eccl. Tom. XVI præmissa p. 36 sqq. & Diss. VI T. XVIII præmissa p. 31 sqq. evincit, addens illa *Luc. IX, 54 sqq. 2 Cor. X, 4*, & *Cyprianum* Ep. 60 p. 143. Agit hinc de methodis variis docendi veritatem divinam & eliciendi assensum externum. Methodum Augustinianam fratrum Walenburgiorum non fuisse artem novam, docet p. 111, sed artificium *Perronii, Gontierii* & aliorum. Refellit eam exemplo Christi, qui adversus Sadducæos non attulerit totidem ex sacris litteris verba, sed vera & ratio-

ctionis principia & consecutionis ratiocinia ex dicto Scripturæ. Consentiri non posse, pergit, in unionem cum dissentientibus in doctrinis capitalibus ex via pacis & amoris, quando amor & obedientia in Deum & ejus veritatem ita in collisionem adducatur: monens varia adversus eos, qui articulos fidei nimis abbreviant, exemplo usus Christi, qui ejusdem numero corporis indolem a resurrectione noluerit separatam, quod leviculum videri possit Latitudinariis. Persequitur deinde methodum rationalem, hypotheticam & pædagogicam & doctrinam de convictione & refutatione, a qua rationes extrinsecas, impugnationes, dicteria & persecutiones esse sejungendas ac coercendas, firmissimis argumentis evincit.

FOSSILS OF ALL KINDS, DIGESTED into a Method &c.

h. e.

FOSSILIA OMNIUM GENERUM, IN METHODUM digesta, mutuæ ipsorum relationi & affinitati convenientem, cum Annotationibus & nonnullis litteris ac schediasmatibus, quæ ad augmentum scientiæ mineralis spectant; Autore JO. WOODWARD, M.D. & Prof. in Collegio Gresham. Regiæque Societatis Sodali.

Londini, apud Guil. Innys, 1728, 8.

Const. 27 pl. dimid. & 7 Tabb. æri incisis.

QUam præclare meritus sit Celeb. Autor cum de universa historia naturali, tum de ea potissimum illius parte, quæ ad fossilia atque mineralia spectat, nemini harum rerum studioso facile ignotum esse potest. Incredibili certe solertia, neque exiguis sumtibus, quadraginta fere annorum spatio, fossilium plerorumque omnium non modo ex Anglia, sed ex toto pene terrarum orbe collegit exempla, eademque in ordinem & catalogum quam accuratissime redegit. Et quanquam plurimis aliis negotiis impedito non tantum temporis in adamatum istud studium impendere licuerit, quantum quidem voluisset, tamen etiam ad su-

premum usque diem illud alacriter continuavit. Quippe cum per aliquot ante obitum suum menses lecto detineretur, hoc ipso tempore methodum, de qua nunc verba facimus, elaboravit atque adhuc superstes prelo subjecit. Quod quidem novissimam ejus Opus lectoribus curiosis eo gratius fore non dubitamus, quo certius est, id jam diu fuisse desideratum, nec facile ab alio aliquid præstantius & perfectius in hoc genere potuisse expectari. Distinguere autem fossilia solet in *realia* sive *nativa*, quæ vere & proprie talia sunt, & in *extranea*, quæ cum illis quidem permixta passim e terra eruuntur, ceterum animalibus potius & vegetabilibus primam ac veram suam originem debent, jam inde ab universalis illius diluvii tempore repetendam. De his in adjunctis quibusdam epistolis nonnulla commemorat: illa vero sola methodo sua complectitur, atque in sex præcipuas classes redigit. Quod dum facit, etiam complures subjicit eruditissimas atque utilissimas annotationes, quibus non modo nomina fossilium cum antiqua tum recentiora, sed & naturam & usum eorum egregie explicat. Adjecta quoque est tabula, in qua uno intuitu conspiciuntur omnis generis fossilia, juxta naturæ methodum in classes ordinata: quam quidem tabulam, cum totius opusculi compendium exhibere videatur, hoc loco integram inserere operæ pretium putamus. Est autem hujusmodi:

FOSSILIA sunt

- I. Opaca, insipida, *friabilia; in aqua solubilia;* flammam non concipientia; TERRAE: quæ ad *tactum*
  - *leves*, & quasi sebaceæ; quæ *linguæ*, si illi admoveantur,
    - *adhærent*; CIMOLIA-PVRPVRASCENS, CIMOLIA-ALBA, ARGILLA, TERRA-SAMIA, TERRA-LEMNIA, tam *rubra* quam *alba*, BOLVS ARMENIA, KILLOIA, RVBRICA molliuscula;
    - *non adhærent*; STEATITES, MOROCHITES, GALAXIA seu LEVCOGRAPHVS.
  - *scabræ* & siccæ; TERRA-VIRIDIS, TERRA-CAERVLEA, RVBRICA duriuscula, TERRA-TRIPOLITANA, KILLOIA duriuscula, TERRA-CARIOSA, TERRA-MELITENSIS, TERRA-SINENSIS, e qua vasa, *porcellana* dicta,

dicta, fiunt, OCHRA, TERRA-FLAVESCENS, UMBRIA, CRETA, STEINOMARGA *G. Agricolæ*, quæ est *Lac Lunæ Ol. Wormii*, TERRA-NIGELLA vegetabilis, Dædala, LUTUM, MARGA, s. *Terra rubella*, Zoica, Adamica, TERRA-MISCELLA.

Appendix; GLAREA, s. SABULUM, ARENA.

II. Insipida, *dura*, non ductilia, *nec in aqua solubilia*; LAPIDES: qui mole sunt

- *majore*, in strata dispositi; *compositionis*
  - *laxioris*, ad tactum *scabri*; LAPIS-MOLARIS, COS tam *gyratilis* quam *portabilis*, SAXUM-ARENARIUM, SAXUM-SCABRUM, SAXUM-SECTILE, SAXUM-CALCARIUM, SMIRIS.
  - *spissioris*, ad tactum *læves*, quique attritu *aliquatenus politi* fiunt; LAPIS-FISSILIS, LAPIS-LYDIUS, COS-OLEARIA, COTICULA.
  - *duræ & compactæ*, adeo ut *ad nitorem poliri* possint; ALABASTRITES, MARMOR, OPHITES, PORPHYRITES, GRANITA.
- *minore*; qui *Marmore*
  - *non duriores*;
    - *figuræ & constitutionis* incertæ & *indeterminatæ*; ROTULAE-LAPIDEAE, GLOBULI-LAPIDEI, LAPIDES-BORBORI, SCHIRRI-LAPIDEI.
    - *figuræ* extus variæ & *incertæ*, *constitutionis* vero internæ *determinatæ* & regularis:
      - compositi e *fibris* parallelis, quæ in horum plerisque *flexiles* sunt, & *vi elastica* præditæ; GYPSUM-STRIATUM Anglicum, AMIANTHUS s. ASBESTOS, ALUMEN PLUMOSUM.
      - compositi e *laminis* præsertim planis & parallelis, quæ *flexiles* sunt & *vi elastica* præditæ; TALCUM, MICA

MICA *G. Agricolæ* argentea s. alba, aurea, & nigra.

qui, interpositione laminarum, e materia ad fluores dictos potissimum accedente constantium, *dividuntur in Talos* s. partes angulares, pentagonas, hexagonas &c. LUDUS HELMONTII.

fistulosi, ex *tubulis* eadem materia constantibus *compositi*; LAPIS-SYRINGOIDES.

Compositi e *crustis* altera alteri superinductis:

arcte cohærentibus, nulla intus cavitate; BEZOAR-MINERALE.

intus cavi, cum materia quadam inclusa, crustæ non adhærente:

solida & lapidea, veteribus *Callimus* dicta; AETITES-SILICEUS, AETITES-OCHREO-FERREUS.

laxa, ut arena, ochra, creta, terra; GEODES.

liquida; ENHYDROS.

Figuræ & constitutionis certæ, regularis & *determinatæ*; SELENITES, LAPIS-SPECULARIS, BELEMNITES s. *lapis Lyncis (Lyncurius* forte veterum) CORPORA CORALLOIDEA-FOSSILIA, Lapides coralloidibus affines: STELECHITES, MYCEITES, PORPITES, ASTROITES, LAPIS-FAVAGINOSUS, FLUORES figurati: CALCUM, CRALBUM, STALACTITES, STALAGMITES, OSTEOCOLLA.

duriores;

opaci;

opaci; 1) plerumque *unicolores*: LAPIS-NEPHRITICVS, MALACHITES, PRASITES, IASPIS-RVBENS Ægyptius; 2) *Variorum* in eodem corpore *colorum*: LAPIS-LAZVLI, ſ. Cyaneus, HELIOTROPIVM, IASPIS.

ſemipellucidi; 1) *verſicolores*, prout vario ſitu luci objiciuntur: OCVLVS-CATI, OPALVS; 2) *Coloribus* in ſubjecto *permanentibus*: CALCVLI aliquot & SILICES compactiores & elegantiores, ACHATES, LAPIS-CALCEDONIVS, ACHATES-MOCHOENSIS, OCVLVS-BELI, ONYX, SARDONYX, LAPIS-SARDIVS ſ. CARNEOLVS vulgarior, CARNEOLVS albus, item luteus, qui rariſſimus, BERYLLVS Gemmariorum, qui *Carneoli* ſpecies eſt magis pellucidi & ſaturius rubentis.

pellucidi;

colorati: TOPAZIVS recentiorum, qui *Chryſolithos* veterum, HYACINTHVS Gemmariorum, RVBINVS Rupium, Rubinus BALASSIVS, Rubinus SPINELLVS, CARBVNCVLVS recentiorum, Rubinorum ſpecies rariſſima, AMETHYSTVS, SAPPHIRVS, tam ſaturate quam pallide cærulea, quæ *Sapphyrus aquea* dicitur. Gemma Italis AQVA-MARINA dicta, quæ forte BERYLLVS *Plinii*, SMARAGDVS, CHRYSOLITVS recentiorum, qui *Topazius* veterum;

coloris expertes: CHRYSTALLVS, SAPPHIRVS-ALBA, ADAMAS.

III. *Friabilia*, aliquatenus *pellucida*, linguam *pungentia*, in aqua *ſolubilia*, ea autem evaporata denuo *coaleſcentia*, & in

Mm figu-

figuras angulares se componentia: SALIA, (§) SAL-FOSSILE, tam *Rupeum*, quam *Gemmeum*, Sal Cyrenaicum s. AMMONIACUM, TINCAL Persarum, quod videtur *Chrysocolla* esse veterum, NITRUM Ægyptiorum veterum, recentiorum NATRON s. LATRON, NITRUM recentiorum, SAL-ACIDUM fossile, e quo, cum materia *bituminosa*, *cretacea*, vel *metallica* coalescente, oriuntur SULPHUR, ALUMEN, & VITRIOLUM.

IV. *Flammam* facile concipientia & *oleum* præbentia, *in aqua non solubilia*; BITUMINA,
- *liquida*: NAPHTA, PETROLEUM, OLEUM TERRAE BARBADENSE.
- *solida*: BITUMEN, PISSASPHALTUM, SUCCINUM, GAGATES, Lapis AMPELITES, LITHANTRAX.

V. *Metallis affinia*, quibusdam sc. metallorum proprietatibus prædita, *pondere* saltem & *splendore*; MINERALIA,
fluida; ARGENTUM-VIVUM-NATIVUM.
solida, *igne fusilia*, sed *non ductilia*; CINNABARIS, ARSENICUM aureum, ARSENICUM rubrum s. SANDARACHIA, PYRITES, MARCASITA, COBALTUM, LAPIS-CALAMINARIS, ANTIMONIUM, BISMUTHUM, SPELTRUM, NIGRICA-FABRILIS.

VI. *Ponderosa*, *splendentia*, *solida fusilia*, & *ductilia*; METALLA: AURUM, ARGENTUM, CUPRUM, FERRUM, STANNUM, PLUMBUM.

Appendix ad Cap. de *Ferro*, HAEMATITES s. SCHISTOS, MAGNES, MAGNESIA, ferri plusminus in se continent.

Præter tabulam, quam modo exhibuimus, & ipsam methodum fossilium notis illustratam, sequentes adhuc schedæ in hoc Volumine comprehenduntur: 1) Litteræ ad *If. Newtonum*, simul cum methodo fossilium, ab Autore transmissæ, in quibus de difficultate & usu ejusmodi methodi agitur; 2) Litteræ ad *Jo. Hoskyns*, in quibus conqueritur Autor, quod studium fossilium nondum in formam artis redactum sit, quodque scriptores harum rerum fossilia *nativa* ab *extraneis* parum distinguere consueverint; 3) Literæ ad eundem, de *ceraunitis*, sive *armis* atque instrumentis antiquorum *lapi-*

lapideis, cuneis e. g. securibus, spiculis, jaculis &c. quæ scilicet ante detectum ferri usum vulgo adhibita fuerunt, quæque nunc ex terra eruta, pro lapidibus ista forma natis, vel cum fulminibus e cœlo delapsis, perperam haberi solent, de *gemmis* item *magicis* seu *margaritis mineralibus*, ut a quibusdam vocantur, quæ ex genere quodam crystalli, forma fere sphærica vel sphæroidum, arte paratæ, & ad varias superstitiones olim usurpatæ sunt, ad imitationem fortasse Hebræorum *Urim* & *Thummim*, cum expressis quarundam harum rerum iconibus; 4) Instructio ad conficiendum accuratum atque utilem fossilium nativorum catalogum; 5) Epistola ad N. de viris doctis, qui Autorem in studio Historiæ naturalis adjuverunt; 6) Epistola ad eundem, de origine, natura, & constitutione *Belemnitis* lapidis; 7) alia Epistola ad eundem, de origine & natura *Coralloidum*; 8) Observationes de corporibus corallinis, quæ in mari formantur; 9) Instructio succincta de observationibus & collectionibus rerum naturalium rite instituendis; 10) Additamentum ad alteram partem *tentaminis circa Historiam naturalem telluris*; ubi tanquam notatu maxime dignum observat Autor, se nullas unquam vidisse vel animalium vel vegetabilium partes petrificatas, quæ non ejusmodi fuerint, quales extremo vere, (quo scilicet tempore universale illud diluvium contigit) esse consueverunt. Postremo etiam breviores duo Indices adjecti sunt tum fossilium in libro commemoratorum, tum aliarum quoque rerum, de quibus, data occasione, mentio fit. In Præfatione ubertas terræ Anglicanæ, in præbendis varii generis fossilibus, nec non libertas & felicitas insolarum in iisdem fruendis, maximopere prædicatur.

PIECE, QUI A REMPORTE' LE PRIX DE L'Academie Royale des Sciences, proposé pour l'année 1726,

hoc est,

DISSERTATIO PRÆMIO AB ACADEMIA Scientiarum pro A. 1726 proposito condecorata.

Parisiis, apud Claudium Jombertum, 1727, 4.

Plag. 7½ Tab. æn. 1.

Altera hæc Dissertatio est, quæ *Bernoulliana* prælata fuit, propterea quod Geometra summus vires vivas defenderat a judicibus publice impugnatas, hujus autem autor Cl. *Mazierius*, Congregationis Oratoriæ Presbyter, rejicit & impugnatoribus applaudit. Sane Academia Scientiarum *Mazieriana* non nisi proximum a *Bernoulliana* locum ipsamet tribuit. Argumentum sunt leges conflictus corporum elasticorum a probabili explicatione causæ physicæ elateris deductæ. Causam physicam elateris esse existimat materiam subtilem, seu elementum secundum *Cartesii*, cui tribuit vim infinitam aut propemodum infinitam & fluiditatem perfectam. Eam libere fluere per poros corporum, perinde ac fluida densiora per canales amplos, & cuivis impetui cedere absque ulla resistentia. Constare eandem ex admodum exiguis corpusculis in particulas minutiores in infinitum absque ullo labore divisibilibus. Corpusculorum figuram esse ordinarie sphæricam, sed ob pororum irregularitatem ea facile induere figuram irregularem; imo eadem mutare figuram, dum in corpore, cujus poros occupant, mutatio aliqua contingit. Materiam istam subtilem esse in infinitum compressam & compositam ex infinitis corticibus, qui maxima rapiditate circa centrum moventur & sibi mutuo æquilibrantur, quemadmodum vortices majores *Cartesii*. Vortices autem minores majoribus æquilibrari per vim centrifugam. *Malebranchii* nimirum hypothesibus de materia subtili seu secundo elemento *Cartesii* utitur ad explicandam elasticitatem. Enimvero cum Cel. *Bernoullius* ostenderit, corpus compressum non posse restitui in pristinum statum, nisi vortices materiæ subtilis sint incarcerati; *Mazierius* autem liberum per poros tanquam canales transitum iisdem concedat: non operæ pretium esse arbitramur, ut plura ea de re dicamus. Regulæ ipsæ conflictus, quas Autor exhibet, non differunt ab iis, quæ a pluribus autoribus fuere demonstratæ, nec nova methodo easdem deducit. Quoniam vero regulæ vulgo propositæ ad corpora perfecte elastica spectant; Noster ostendit, quomodo regulæ istæ ad ea quoque applicentur, quæ perfecta elasticitate destituuntur. Ceterum in casu eo subsistit, quemadmodum vulgo fieri solet, in quo cor-

corpora in se invicem directe impingunt; non vero ad alterum, qui difficilior est, & hactenus intactus fuerat, digreditur, quo corpora plura secundum diversas directiones se mutuo oblique petunt. Attigit nonnulla huc spectantia *Bernoullius* in sua Dissertatione; sed iis difficiliora supersunt, in quibus enodandis non inanem operam sumerent Geometræ primi ordinis. Ceterum Cl. Autor edidit de parvis istis vorticibus materiæ subtilis peculiarem Tractatum, ut sit loco introductionis ad novam quandam physicam, & præsentem Dissertationem illustret, quem dudum recensuissemus, nisi illum frustra hactenus expectassemus.

PHILE DE ANIMALIUM PROPRIETATE, ex prima editione ARSENII & libro Oxoniensi restitutus a JO. CORNELIO DE PAUW, cum ejusdem Animadversionibus & Versione Latina GREG. BERSMANNI. Accedunt ex eodem libro Oxoniensi non pauca hactenus inedita.

Trajecti ad Rhenum, apud Guil. Stouw, 1730, 4.
Alph. 2.

MAnuel Philes Ephesius, qui hunc librum de Animalium Proprietate Jambicis versibus composuit, floruit circa tempora *Michaelis Palaeologi* junioris, cui hoc Opus dicatum est. Ipsa jam ætas scriptoris dignitatem libri docere poterit. Nihil enim novum, nihil reconditæ eruditionis hic erit quærendum; sed omnia ex aliorum traditione, potissimum vero ex *Æliani* Historia Animalium desumta sunt. Græce primum editus est ab *Arsenio*, Monembasiæ Archi-Episcopo, Venetiis 1530, 8. Deinde ab *Gregorio Bersmanno* cum Versione Latina. Sed cum *Philes*, more recentioris Græciæ, numerum potius syllabarum, quam metrum observasset, *Bersmannus*, autoritatem præceptoris sui *Joach. Camerarii* secutus, plurima in Græco contextu immutavit, ut *Philen* ad metrum reduceret. Hæc res adeo male habuit Doct. *Jo. Cornelium de Pauw*, ut *Philen* istum *Bersmanni* spurium & adulterinum vocare, aliaque satis dura in virum istum diligentissi-

mum, ejusdemque doctorem venerandæ memoriæ, proferre non timuerit. Ipse itaque, postquam *Abr. Gronovius* ei editionem *Bersmanni* cum MSto Oxoniensi collatam obtulerat, ad novam Poetæ hujus editionem animum applicuit, utut ne *Arsenii* quidem exemplar in manibus haberet. Nactus tamen postea variantes lectiones ex *Arseniana* editione descriptas, inde & ex MSto Oxoniensi *Philen* integritati suæ restituere annisus est. Et hoc primum atque præcipuum Cl. Editoris est meritum, quod *Arsenii* editionis, aut Oxoniensis libri lectiones, *Bersmannianis* eliminatis, in contextu repræsentaverit. Observationes enim, quas adjecit, paucæ sunt, nec adeo singularis momenti. Nihil certe continent pleræque, quam variantes lectiones libri Oxoniensis aut Editionis *Bersmannianæ*, & præterea indicium, ex quo loco *Æliani Phile* sua desumserit; denique conjecturas quasdam Editoris. Si vero hic illic plura verba facienda fuerunt, nulla tamen veterum scriptorum autoritas, quæ sola in ejusmodi scriptis delectationi esse solet, adjicitur; sed passim ista verba: *Norunt eruditi; non ignorant periti; ipsi tirones sciunt*, & iis similia, totam demonstrationem absolvunt. Quæ nos nullo reprehendendi animo, sed tantummodo, ut paucis de opera Doct. Editoris absolvamus, indicare debuimus. Bene quippe cognitum habemus, *Philen* istum non esse, in quo multum desudemus. Et ex eadem ratione facile ferimus formulas istas Editoris: *Plura sua loco; videbimus alias accuratius; plura forte alias; videbimus etiam alias; plura de his alibi; de quibus opportunius suo loco*, & similes, quæ millies in exiguo hoc libro leguntur. Si dubitas, vide modo pag. 267, & bis pag. 273, 275, 276, 278, 279, & miraberis forte in tam paucis pagellis istud, quod nos ferendum judicamus. Ipsi etiam miramur, qui factum sit, ut, cum toties de Additamentis ex MSto Oxoniensi admonuerit Editor, oblitus tamen sit docere, Celeb. *Fabricium* pridem ex MS. *Bodlejano* aliquot ejus generis Additiones evulgasse. Videsis Venerandi Senis Biblioth. Græc. Lib. V cap. XVI, sive Volum. VII pag. 697; nec pœnitebit vidisse, cum de autore ipso quædam illic tradantur, quem Cl. Editor ita obscurum, ut erat, & gente patriaque, & ætate aliisque talibus, quæ Editores de auto-

autoribus suis obscurioribus commemorare solent, prætermisit.

PAULI COLOMESII, RUPELLENSIS, Italia & Hispania Orientalis, sive Italorum & Hispanorum, qui linguam Hebræam vel alias Orientales excoluerunt, vitæ, αὐτογράφῳ Autoris nunc primum editæ & Notis instructæ a JO. CHRISTOPH. WOLFIO, Pastore ad D. Cathar. & Scholarcha.

Hamburgi, sumtibus viduæ Felgineriæ, 1730, 4. Alph. 1 pl. II.

IAm diu est, quod eruditi *Pauli Colomesii* Italiam & Hispaniam Orientalem avide desiderarunt. Noverunt scilicet, eam ab Autore, tum alibi, tum in Præfatione ad Galliam Orientalem non solum promissam, sed etiam prelo ita paratam fuisse, ut Bibliopola aliquis Rupellensis, qui rerum suarum sedem Amstelodami tunc fixerat, ea lege acceperit, ut sumtibus suis excudi faceret. Ita tradit *Petrus Bælius* in Dictionario Historico & critico Tomo I p. 950 edit. Roterodam. A. 1702. Sed res aliter cecidit, quando & *Colomesii* & bibliopolæ fata intercesserunt. Ἀυτόγραφον tamen *Colomesii*, quod idem Bibliopola in manibus habuisse videtur, ab injuria temporis vindicatum fuit, & non ita pridem ad Rev. *Hermannum van de Wall*, verbi divini apud Amstelodamenses præconem facundissimum, ex ejus autem museo ad S. Rev. *Wolfium* pervenit. Is vero Commentationem utramque luce non minus dignam recte arbitratus est, quam ejusdem Galliam Orientalem, eadem scilicet ratione & industria concinnatam. Inter Italos XC, qui litteras Orientis calluerunt, & ex parte scriptis ornarunt, eminent *Ægidius Viterbiensis* sive *de Canapina*, *Hieron. Aleander*, *Bartolus a Saxoferrato*, *Rob. Bellarminus*, *Marius de Calasio*, *Angelus Caninius*, *Isaacus Casaubonus*, *Seb. Castalio*, *Joh. Deodatus*, *Franc. Donatus*, *Felix Pratensis*, *Pet. Galatinus*, *Anton. Legerus*, *Marius Marinus*, *Raimundus Mithridates*, *Thomas a Novaria*, *Santes Pagninus*, *Joh. & Joh. Franc. Pici*, *Porchetus*, *Paulus Riccius*, *Paulus Sarpius*,

pius, *Jul. Cæsar Scaliger*, *Augustinus Steuchus* & *Immanuel Tremellius*. Inter Hispanos & Lusitanos, quorum sunt omnino XXXVI, familiam ducunt *Casp. Ammonius*, *Bened. Arias Montanus*, *Alphonsus Boni hominis*, qui ab aliis *Bonus homo* vocatur, *Paulus Burgensis*, *Matthæus Hadrianus*, *Paulus de Heredia*, *Jac. Lopez Stunica*, *Joh. Mariana*, *Anton. Nebrissensis*, *Raimundus Martini*, *Joh. Segobiensis*, *Franc. Ximenius* & *Alphons. Zamora*. Inter Hispanos duæ fœminei sexus, *Juliana Morella*, & *Loisa Sigæa* a doctrina orientali celebrantur. In vitis, aliorum plerumque, nominatim *Thuani* & *Gerh. Jo. Vossii*, verbis enarrandis brevior est *Colomesius*, in scriptis recensendis diligentior, in testimoniis autem & judiciis aliorum afferendis copiosissimus & interdum forte nimius. Testantur id, quæ inter Italos de *Casaubono*, *Castalione*, *Galatino*, *Legero*, *Jul. Cæs. Scaligero* & aliis, inter Hispanos vero de *Ælio Antonio Nebrissensi* & *Bened. Aria Montano* afferuntur. Nonnunquam *Colomesio* epistolas nonnullorum ἀνεκδότους inserere placuit. Ita p.137 sqq. leguntur octo *Casauboni* epistolæ gallice ad *Pet. Perillaum*, affinem ipsius, exaratæ, quæ in plenissima epistolarum *Casauboni* collectione Almeloveniana frustra quæruntur. Testimoniis de *Ant. Legero* cumulatis jungitur p. 199 *Cyrilli Lucaris*, Patriarchæ CPolitani, ad *Diodatum* epistola longior, sed lectu digna, quæ, ut in notis observatur, *Italice* & *Gallice*, (quæ posterior versio a *Colomesiana* illa interdum abit) in *Jac. Aymonii* Monumentis authenticis ad religionem Græcorum spectantibus Hagæ Comitum A.1700 in 4 editis extat. Notæ S. Rev. Editoris eo spectant, ut observata *Colomesii*, ut res tulit, nunc emendentur, nunc confirmentur, nunc allatis, qui de iisdem Scriptoribus exposuerunt, augeantur. Sic in Italia Orientali *Colomesium*, *Thomam Obicinum* p. 188 a *Thoma a Novaria* s. Novariensi p. 189 præter rem distinxisse, in notis recte monetur, & allatis idoneis argumentis, evincitur. Hispanis annumeratur *Caspar Ammonius* p. 219, quem, patria quippe Hasseletensem, ad Belgas potius pertinere, notæ commonstrant. Mirati sunt nonnulli, atque inter hos *Davides Ancillonius* in Miscellaneis Criticis Tom. II p. 94, cur *Colomesius* in Gallia Orientali *Casauboni* mentionem non fecerit.

Jam

Jam vero consilii ejus causa p.129 aperitur. Qui enim Genevam patriam habebat, ad Italos potius quam Gallos referendus ipsi videbatur. In iisdem notis nonnunquam ad *Alphonsi Ciacconii* Bibliothecam universalem, quam manu exaratam & usque ad *Epimenidem* productam in scriniis doctissimus Editor servat, provocatur. Illam Cl. *Franc. Dionysii Camusati*, JCti Parisiensis, cura cum notis ejusdem formis jam exscriptam & copiosa Præfatione munitam lucem propediem visuram esse, ex Præfatione ad Opus hoc *Colomesianum* intelligimus. Præmittitur denique Index Italorum & Hispanorum, quorum ratio a *Colomesio* habita est, insertis eorum nominibus, quos reliquis additurus erat Cel. *Wolfius*, si per infirmiorem valetudinem nunc quidem licuisset. Firmet eam & roboret Numen maximum, ut & hæc & alia destinata perficere ex voto possit!

TWO DISSERTATIONS CONCERNING Sense and the imagination: with an Essay on Consciousness &c.

h. e.

DISSERTATIONES DUÆ DE SENSU ET imaginatione; adjicitur tentamen de mente sui ipsius sibi conscia.

Londini, sumtibus Joh. Tonson, 1728, 8 maj.

Plag. 16.

ILla nunquam non Philosophorum sors fuit, ut scripta eorum magno olim applausu excepta, & quæ in sui admirationem plurimos mortalium rapuerunt, post fata autorum copiosam adversariorum manum experiantur. Ita *Lockii* de intellectu humano tentamen inter sæculi sui ornamenta quondam relatum, his temporibus a civibus quoque viri eruditi fato jam functi ingenti scriptorum farragine passim impugnatur. Horum numero Autor quoque scripti hujus Anonymus accedit, ex Philosophi de ideis doctrina consequentiam eliciens, quod bruta eadem, qua homines, intellectus facultate gaudeant. Exprobrat ipsi, quod perceptionem, ut Philosophi ajunt, quæ hominibus ac brutis com-

 munis

munis est, pro actu intellectus venditans, male inter hominem ac bruta discrimen sustulerit, & suspicatur, multos celebritate nominis tanti viri inductos, sententiam illam adoptasse, quod bruta non nisi gradu vel externa figura ab homine differant; seu potius, quod genus humanum speciem duntaxat aliquam brutorum constituat, siquidem externa figura illud non magis a quovis brutorum genere, quam ipsa hæc brutorum genera inter se distinguantur. Demonstrare igitur Noster instituit, quod facultates percipiendi, sentiendi ac imaginandi, quæ brutis cum homine communes sunt, ad intellectum haud spectent, & in facultatum mentis humanæ numerum haud referendæ sint. Ita enim liquidum fore arbitratur, quod essentia intellectus humani a mera, quæ in brutis deprehenditur, perceptione longe distet, quod ratio ac intellectus solidam ac certam humani generis a brutis differentiam constituat, & brutum nihil nisi animal ab intellectu prorsus destitutum denotet. *Lockii* autem argumenta ipsa non aggreditur, atque propositum suum in Præfamine testatus, vix unica vice nomen ejus in Opusculo hoc diserte in jus vocat, sed suam sententiam stabilire satis habet, persuasus, illa subducto fundamento per se ruitura esse, postquam sua accurate demonstraverit. Majori Operi de intellectus humani natura se Dissertationibus hisce viam parare asserit, quod commode a se evulgari nequeat, nisi ante errores Philosophorum de sensu & imaginatione occupet, qui multis impedimento fuerunt, ne lubricam esse *Lockii* doctrinam perviderent, nec ipsi acu rem tangere possent. Sensum itaque in limine statim definit, quod sit facultas tantum percipiendi, quæ, dum percipit, mere passiva est, utpote subjecta semper actioni illius objecti, quod perceptionem in illa excitat, neque ulla potentia cogitandi de rebus, quas percipit, prædita. Licet enim nonnulli sensibus illam saltim dederint provinciam, ut corpus defendant ac conservent, Noster tamen animæ rationali instrumenti quoque vicem illos præstare contendit. Sensuum itaque perceptio a ratione non pendet, licet illi instrumenti loco serviat, & perceptio sensitiva rei cujusvis mera repræsentatio corporei alicujus phænomeni v. g. caloris, soni, odoris &c. est. Offert sensus menti perceptiones suas ac imagines, non vero no-

tiones aut cogitationes, quas mens inde format, imperat. Differentia igitur intellectus a sensu in eo maxime posita est, quod sensus objecta externa percipiat, quæ intellectus concipit. Ita sensus duritiem corporum tactu percipit, tanquam aliquid, quod manuum pressioni resistit, sed intellectus duritiem concipit, tanquam qualitatem corpori inhærentem, cujus existentia ab eodem corpore pendet. Monet Autor, solicite cavendum esse, dum sensus perceptionem a conceptibus mentis discernimus, ne intellectus aliquam operationem iis, quæ assensum spectant, immisceri patiamur, maxime cum verba communi usui accommodata raro apposita satis sint, ad distinguendum accurate inter actiones mentis & sensus. Et cum non vulgus modo, sed eruditi quoque viri, qui intellectus humani naturam studiose rimati sunt, hoc in negotio errores sibi obrepere passi sint, Autor data opera demonstrat, quod sensus, proprie loquendo, plane non intelligant. Si enim humana mens per facultatem sentiendi intelligeret, sequeretur, hominis intellectum secundum proportionem virtutis sensuum vel acutum vel hebetem fore. Contrarium vero experientia testatur, cum homines rudis admodum atque obtusi ingenii, sæpe tamen sagaciores alios facultate sensitiva longe antecellant; imo varia brutorum genera sensuum acumine homines vincant. Prodit hoc loco Autor sententiam suam de anima brutorum, ejusque differentia ab eo principio, quod hominibus inest. Sensum brutis denegari haud posse, pro explorato habens, illi instinctum naturalem superaddit, qui in brutis principii rationalis, quod hominibus inest, vicibus fungatur, ita ut principium activum brutorum sensu & instinctu, prouti rationale principium in homine sensu ac ratione, absolvatur. Inde discrimen inter sensum atque intellectum repetit, & prolixius persequitur, numerosa argumentorum copia, quam in aliis hujus generis scriptis frustra quæsiveris, contendens, sensum ab intellectu toto, quod ajunt, cœlo differre. Singula vero illa momenta excerpere, prolixum nimis & ab instituto nostro alienum foret. Accedimus potius ad alteram Dissertationem, qua de Imaginationis natura ac virtute commentatur. Constat actiones mentis humanæ respicientibus, inesse nobis facultatem sistendi pro lubitu animo nostro

ſtro atque eidem repræſentandi ideas, quas ex viſu, tactu, auditu &c. accepimus, etiamſi objecta, unde ideas illas hauſimus, præſentia nobis haud ſint. Uſus facultatis hujus ille eſt, ut ſit quaſi ſecundarius ſenſus in reliquorum ſenſuum ſubſidium nobis additus, quorum vice fungitur, tanquam ſingulos repræſentans. Non incommode igitur ſenſus quidam communis dici poſſet unica hæc, ſed ſenſibus aliis omnibus ſuccenturiata facultas. Egregius ejus uſus eſt, quod abſentia objecta, &, quas ab illis accepimus, ideas, dum aliquid meditamur, tanquam præſentes promat ac menti exhibeat, ut in cogitationibus noſtris abſque operoſa repetitione ſenſationum antecedentium progredi nobis liceat: & cum per ſenſus objecta non alia ratione percipiamus, quam quæ extra nos exiſtunt, inſignis illa imaginationis virtus eſt, quod ideas acceptas multis modis pro lubitu variare ac immutare queamus. Ita quantitatem rerum, quas concepimus, mille modis immutamus, aliam figuram, locum alium, atque alia attributa pro arbitrio noſtro illis affingimus. Imaginatio itaque, ſi a ratione rite dirigatur, inſtrumentum eſt egregiæ illius, quæ menti humanæ ineſt, virtutis, quam vulgo inventionem vocant. Etiamſi enim nonnulli vocem hanc iis quoque rebus applicent, quæ caſu inveniuntur, proprie tamen eam rationis noſtræ actionem denotat, cum imaginatione adjuta, ideas componendo, abſtrahendo, atque multis modis transponendo, novam elicit veritatem. Regi igitur imaginatio a ratione debebat. At ſæpius naturalem corporis habitum, atque affectuum impetus ſequitur, ut mirum non ſit, illam in diverſis hominibus variam adeo inveniri. Dignum, in quod accurate inquiratur, argumentum illud Noſter judicat, an per univerſum orbem duo reperiantur homines, quorum imaginatio ſit eadem, & non æque ac externus habitus & figura omnium mortalium differat. Indubium enim eſt, omnes homines eodem modo cogitare, atque intellectum ipſorum non niſi gradu capacitatis differre, cum alius alio in judicando ac diſcernendo res propoſitas magis acutus ſit, & facilius eorum, quæ proponuntur, nexum cum aliis veritatibus aſſequatur. Abſque eo enim impoſſibile foret, ut per ſermonis uſum alter alterius cogitationes aſſequeremur, cum teſte experientia homines quocunque

que

que terrarum intervallo remoti, postquam de verborum significatione inter ipsos convenit, mentem aliorum facile intelligant. Sed longe alia imaginationis ratio est, quæ nunquam fere in diversis hominibus congruit, sed vel secundum naturalem animi dispositionem ac affectum, vel secundum corporis habitum, & prout Philosophi ajunt, temperamentum, multum diversa est. Et animi quidem dispositio varias adeo imaginationi induit formas, ut omnes sigillatim recenseri vix possint. Sed corporis habitus duas imaginationis species, respectu ad intellectum habito, constituit. Inde enim est, ut imaginatio vel vivida ac promta, vel vehemens ac pertinaciter constans sit. Illa qui donati sunt, ingenium habent mechanicis inventionibus apprime aptum, & si aliarum quoque facultatum mentis vigor accedat, ingenium poeticum aut oratorium inde resultat. Alterius vero generis imaginatio mentem obtundit, hominem stupidum reddit, atque intellectu fere privat, ita ut gradus melancholiæ in ejusmodi homine proportionem impetus ac vehementiæ imaginationis accurate sequantur. Facultatis hujus vehementia in causa est, cur nonnulli, quibus mentem sede motam non esse, aliæ actiones testantur, sibi tamen persuasum habeant, se vel mortuos, vel ex vitro conflatos esse, quos ex parte saltim mente captos dicere liceret. Suis hisce de imaginatione cogitatis contra *Hobbesium* pugnat, asserentem, imaginationem nihil esse nisi sensum languidum, & quasi emorientem, atque ulterius tum imaginationis a sensu differentiam, tum vigorem ejus ac continuam actionem, ex somniorum inprimis varietate, adstruit. Vigor autem imaginationis cum intellectus opera sæpe præpediat aut turbet, solicite cavendum est, ne vitium hoc nobis obrepat, cujus fugiendi media indicat Autor. Paucos enim ab eo satis prudenter sibi cavere, proverbium experientia comprobatum demonstrat, quemlibet hominem ceteroquin sapientem, certo tamen in loco cœcutire. Hæc ita persecutus Autor, ad prioris Dissertationis argumentum subito, ne prætextum quidem inopinati hujus transitus quærens, regreditur, causatus duntaxat, adversariorum, *Lockii* puta, sententiam tam alte mentibus multorum infixam esse, ut pluribus telis illam confodi opus sit. Misso itaque illo de imaginatione argumento,

prolixius demonstrare molitur, quod idearum perceptio non sit actus intellectus humani. Hoc ut evincat, adstruit, ideam non esse notionem, ut Philosophi loquuntur, & per notiones, conceptus abstractos ac universales intelligere videtur. Discrimen quoque inter idealem ac sensitivam perceptionem statuit, & quomodo ex mente ipsius inter se differant, explicat. Sed singularum rerum istarum momenta adducere nobis non vacat, cum restet etiam ultima Dissertatio, qua de ista mentis facultate Autor agit, quæ efficit, ut homo cogitationum suarum sibi conscius esse possit. Cum nemo ante ipsum in argumento hoc uberius pertractando versatus sit, in limine statim deprecatur, si quid vel impolitum vel imperfectum in Dissertatione hac occurrat. Definit vero conscientiam, quod sit sensus internus, ac menti indita cognitio, non modo existentiæ suæ, sed exercitii quoque cujuslibet e facultatibus ipsius cogitandi, percipiendi, imaginandi, recordandi, volendi, verbo omnium, quas edit, actionum. Videt enim mens ac sentit, quod ipsa cogitet & percipiat, quod facultas imaginandi ac recordandi non modo sibi ipsi innata sit, sed modum quoque actionum illarum, quæ in mente contingunt, accurate intuetur. Sequitur inde, conscientiam hanc internarum animi actionum, fundamentum esse omnis scientiæ nostræ, cum nihil a nobis intelligatur, quin mentis aciem in ideam rerum perceptarum retorqueamus. Argumentum quoque inde nascitur, quod mens humana, tanquam distincta a corpore substantia, vere existat, ejusque essentia intellectu absolvatur. Quæcunque enim facultatum mentis agat, illam semper tanquam objectum cognitionis suæ mens respicit, quæ actio mentis vere rationalis, seu ut Philosophi loquuntur, intellectualis est. Mens itaque semper modo enti rationali ac intelligenti proprio agit, h. e. illa facultas, quam Philosophi potentiam intelligendi vocant, essentiam ejus ac naturam constituit. Imo hoc fundamento conscientiæ actionum nititur certitudo de existentia nostra, qua cuivis constat, se ens singulare, ab aliis omnibus distinctum, esse. Vulgaris sermonis usu hoc confirmatur, cum homo ratione privatus extra se positus esse dicatur, siquidem ab intellectu, sive ab actu mentis reflectendi & conscientia illa sui destitutus, de existentia sua certus esse nequeat. Inde vero ulterius Autor concludit, corpus, quod sui ipsius conscium sibi esse nequit, nostri partem haud constituere. Eorum enim errorem, qui corpus partem sui esse autumant, inde fluxisse contendit, quod incongrue sibi persuaserint, corpus, seu quæ in illo sunt, organa sentiendi objecta concipere, hanc facultatem menti detractam corpori male tribuentes. Fingi enim jubet, mentem nostram lapidi, aliive substantiæ, instrumentis ac organis destitutæ, & quæ nul-

nullam perceptionis speciem mentiri queat, junctam esse, illamque de existentia sua simul certam, sibique ejus conscium esse. Ejusmodi mentem nunquam judicaturam esse arbitratur, quod lapis ille ad se pertineat, aut partem sui constituat, ut non nisi illi sociata unum totum absolveret. Illam lapidem hunc potius tanquam carcerem dedignaturam esse, cui male ac ratione, natura sua prorsus indigna, inclusa sit. Sola igitur anima rationalis ex mente Autoris, essentiam hominis ac naturam absolvit, ut corpus non nisi pro appendice aut lacinia habendum sit. Principia hæc Nostro argumenta suppeditant, quibus inanem *Hobbesii*, audacter paradoxa quævis proposito suo inservitura sectati, doctrinam explodat, quod somnia magis clara sint, quam quæ vigilantes cogitamus. Ex illis quoque argumenti *Cartesiani*, ad probandam existentiam cujuslibet propriam, ex connexione meditationum, dum vigilamus, & confusa illarum in somniis farragine desumti, fallaciam explicat. Cum enim cogitare semper sui conscium sibi esse involvat; dum *Cartesius* mentem in cogitationum nexum retorqueri jubet, illam jam sui sibi consciam esse atque existere, quod ipsum in quæstione est, supponit. Nec *Lockius* hoc in argumento Autori probatur, asserens, manifestam esse differentiam, si quis vere ignem sentiat, aut illo se aduri somniet. Commendari præterea principia a se posita ex eo posse judicat, quod illis libertas voluntatis humanæ, atque mentis immortalitas, multis Philosophorum telis nunquam non impugnata, egregie vindicentur, quod prolixius demonstrare satagit. Mantissæ loco, quantæ utilitatis sit, ut quis sedulo mentis suæ aciem in ipsam mentem reflectat, edisserit. Cum scriptum hoc, Autore ultro fatente, *Lockio* oppositum sit, atque pro majoris Operis, *Lockii* libris de intellectu humano substituendi, specimine promatur; civibus magni illius Philosophi, cujus merita inprimis in doctrinam Logicam eruditi, ut par est, suspiciunt, utri palma debeatur, dijudicandum relinquimus. Nostrum non est, quis *Lockii* hic adversarius sit, divinare. Dissertatione secunda principia moralitatis, ut Philosophi ajunt, affectum benevolum, ac sensum moralem, pro quibus, tanquam ingenii sui fœtu, Celeberr. *Hutchinsonium* depugnare constat, adstrui observavimus.

AMOENITATES LITERARIÆ, QUIBUS VARIÆ Observationes, scripta item anecdota & rariora Opuscula exhibentur.

TOMUS X.

Francofurti & Lipsiæ, apud Dan. Bartholomæi, 1729, 8. Plag. 19½.

Pergit

PErgit Cl. *Schelhornius*, utile miscendo dulci, elegantiora illustrare studia. Et hic quidem *primo* loco exhibet descriptam a Cl. *Bruckero* vitam *Achillis Pirminii Gasseri*. Jam quidem Celeberr. horum *Actorum* Director, *Menckenius*, nuper in Præfatione Tomi primi *Collectionis Scriptorum rerum Germanicarum* potiora de *Gassero* prodidit memoriæ. Uberiora vero dat *Bruckerus*, cui plura monumenta spectatæ fidei ob oculos habere contigit. Natus erat *Gasserus* A. 1505 d. 3 Nov. Lindavii. Hinc Selestadii duce *Joanne Sapido*, clarissimo illius ætatis Magistro, egregie profecit in literis. Tum delatus Wittebergam, *Luthero* ac *Melanchthone* usus est doctoribus. Tractato postea Viennæ studio Medicinæ Matheseosque, priorique in Academia Montis Pessulani continuato, A. 1528 Avenione accepit Doctoris insignia. Hinc praxi artis medicæ clarum consecutus in patriis terris nomen, anno circiter 1546 Augustam Vindelicorum demigravit, ibique in dies auxit bonam & eruditionis & virtutis suæ famam, defunctus ibi A. 1577 mense Decembri. Tantus fuit religionis cultor Lutheranæ, ut & *Flacius* ipsi dedicaret octavum Tomum *Centuriarum Magdeburgensium*. Reliquit & multos libros argumenti medici, mathematici, philologici, & historici, qui hic nominantur singuli. Ac eminent inter historicos *Annales Augsburgenses*, nuper demum in lucem prolati ab Illustri nostro *Menckenio*: de quibus hic agitur copiose, autorisque & fides & industria commendatur. *Secundum* locum in Tomo hoc *Schelborniano* tenet *Matthiæ Schenckii*, Lycei Augustani Rectoris, A. 1571 exstincti, *Vita*, ab ipsomet perscripta. *Tertio* exhibetur *Index Scriptorum Amœbæorum, controversiam de monarchia Siciliæ Papam inter & Siciliæ Reges nostro hoc seculo agitatam concernentium.* *Quarto* sistitur Cl. *Jo. Jac. Breitingeri Exercitatio critica in veterem Vitam Persii poetæ*. Duo hæc habet Capita, quorum priore refelluntur, qui vel *Suetonium*, vel *Valerium Probum*, vel *Cornutum*, ejus scriptorem fuisse credunt. Noster contra docet adductis argumentis, Scholiasten Persii, cujus nomen ignotum, Vitam istam contexuisse. Posteriori Capite & ipsa hæc *Vita*, & *Animadversiones* in eam *Castigationes*que proferuntur doctissimæ: subnexis *Joannis Buherii*, Senatus Regii Divionensis Præsidis, eruditissimis ad eandem vitam annotationibus. *Quinto* loco ipse Cl. *Schelbornius* producit *Vitam M. Antonii Flaminii*, a *Joach. Camerario* descriptam: adjiciens alia cognitu dignissima, inter quæ maximum spatium occupant editiones librorum Aldinæ. *Sexto* loco prodit vita *Petri Carnesecæ*, olim ab eodem concinnata *Camerario*. Hinc sistuntur *Monumenta Heilbronnensia in agro Cisnigrano inventa*, id est, Romanæ aliquot Inscriptiones, a Cl. *Breitingero* doctissimis ornatæ annotationibus. Tum *Schelbornii Variæ Observationes* exhibentur, historiam illustrantes literariam: quarum prima supplet ea, quæ olim Cl. Autor protulerat de *Francisco Lamberto*, Marpurgensi Theologo. Postremo e Bibliotheca *Uffenbachiana* primum eduntur quatuor lectu haud indignæ epistolæ, *Grotii, Freberi, Caroli Patini, & Rechenbergii.*



ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Julii Anno MDCCXXX.

POMONA, OR THE FRUIT-GARDEN illustrated.

h. e.

HORTUS FRUCTIFERUS ILLUSTRATUS, seu modus sincerus fructus omnis generis in Anglia exstantes multiplicandi, ex variis experimentis in quocunque solo & sub variis aspectibus resultans, cum Observationibus practicis de vi imbibendi & transspiratione arborum fructiferarum &c. Autore BATTY LANGLEY, *Twickenhamensi.*

Londini, apud G. Straham, R. Gosling, & rel. 1729, fol. Alph. 1 pl. 20, Tabb. æn. plag. & semiplag. 79.

OPus horticultoribus haud dubie exoptatissimum exhibemus, quod vel paucis verbis indicasse nobis satis erit. Autor curiosissimus, quem Hortulanum putamus, solam experientiam magistram sequitur; de causis physicis, si pauca excipias, quæ de imbibitione succi terreni & de perspiratione arborum habet, haud multum solicitus est. Divisit Opus sex partibus, quarum prima agit de putatione, (*pruning*) cujus rationes & effectus evidenter demonstrantur; secunda de fixione (*nailing*) arborum, ubi inprimis docetur, qua distantia sint figendæ ad muros, qua in re plerique hactenus errasse dicuntur; tertia de modo præservandi flores fructuum ab aeris & ventorum injuria; quarta de regulis in amputatione fructuum nascentium servandis, ne plures relinquantur in stipite, quam

ad maturitatem producendam natura sufficit; quinta de ratione conservandi fructus inde a flore ad maturitatem usque; sexta de modo conciliandi fructibus verum saporem & colorem, ubi inprimis idoneæ tempestatis in colligendis & servandis fructibus ratio observanda. Quibus generatim ita expositis, de singulis quoque fructuum generibus quæ sint notanda, distinctis Capitibus in parte ultima exponit. Accessit postremo *Hugonis Staffordi* ad Autorem Epistola satis prolixa, historiam & descriptionem continens potus sapidissimi, quem Angli, in Devonia maxime, ex succo pomorum parare consueverunt, vulgo *Cyder* dictum.

AN INTRODUCTION TO A GENERAL System of Hydrostaticks and Hydraulicks,

hoc est,

INTRODUCTIO AD SYSTEMA GENERALE Hydrostaticæ atque Hydraulicæ Philosophicum & Practicum; Autore STEPHANO SWITZER.

Londini, ap. T. Astley, S. Austen & L. Gilliver, 1729, 4 chart. aug. Alph. 2 pl. 16 Tabb. æn. 60.

CUm Cl. Autor insignem Hydrostaticæ atque Hydraulicæ usum perpenderet, atque theoriam pariter ac praxin per plurimos libros ac plurima volumina sparsam deprehenderet; non inutilem operam se præstiturum confidit, si hinc inde dispersa in unum Volumen colligeret, ac in systema quoddam redigeret. Secutus est in theoria *Archimedem, Galilaum, Torricellium, Boylium, Wallisium, Plotum, Hookium, Mariottum, Desagulierium, Derhamum, Hauksbejum*, & alios; in praxi autem *Vitruvium, Boecklerum, de Caus*, aliosque architectos Romanos, Italos, Gallos, Batavos & Germanos. Dividit Opus in quatuor libros, quorum duo priores Volumine primo; duo autem posteriores Volumine secundo continentur. Libro primo de aquæductibus & fontibus naturalibus agit; secundo hydrostaticam, tertio autem hydraulicam explicat; quarto denique calculos ex-

exponit, quibus quantitas aquæ per tubos fluentis aut ex fontibus artificialibus dato tempore salientis determinatur.

Nimirum postquam libro primo sub initium opera hydraulica & olim & hodie celebria breviter recensuit, quæ de origine fontium tradidere Autores celebres, *Aristoteles*, *Mariottus*, *Plotus*, *Hookius*, *Hallejus*, aliique, prolixe exponit, & quid sibi in hoc argumento difficili probabilius videatur, uberrime docet. Distinguit autem inter fontes temporarios & perennes, quorum hi continuo aquas fundunt, illi non nisi per intervalla. Per intervalla fluentes dividit in regulares & irregulares, quorum illi regulariter fluunt, etsi non omni totius anni tempore; hi interdum integros annos fluunt, ac pluribus deficiunt. Fontes perennes per differentias aquarum a se invicem separat. Fontium per intervalla regulariter fluentium originem a pluvia nive derivat: perennium vero ortum a causis subterraneis deducit. Admittit adeo meatus subterraneos, per quos ex mari refluit aqua, fide Autorum fide dignissimorum, fluvios subterraneos commemorantium. Varias autem recenset causas, quibus aqua ultra libellam maris in montibus urgetur. Huc refert inæqualem pressionem ob differentiam gravitatis specificæ aquæ marinæ ac fontanæ, calorem subterraneum, filtrationem seu ascensum per tubulos capillares, attractionem *Newtonianam*, inæqualem Oceani altitudinem, distantiam centri gravitatis a centro magnitudinis, variationes ponderis atmosphærici, gravitationem Lunæ in æstu marino, procellas aliaqve his gemina. Describit deinde varios modos, quibus fontes sub terra latentes deteguntur, omnem methodum libellandi aquas cum variis libellarum generibus, conductus aquarum una cum variis tuborum generibus, veluti argillaceis, ferreis, ligneis atque aquarum receptaculis, nihil eorum omittens, quæ ad hanc praxin spectant, & experientia partim aliorum, partim domestica comprobantur.

Libro secundo, postquam etymologiam & definitionem Hydrostaticæ explicavit, atque aquæ proprietates, quas inter etiam attractionem cohæsionis cum *Desagulierio* in Notis ad *Mariotti* Tractatum de motu aquarum refert, una cum proprietatibus flui-

dorum gravium expoſuit, de gravitatione fluidorum agit, ſecutus *Boylium* in paradoxis hydroſtaticis; variorum de vacuo ſententias proponit, in *Newtonianorum* caſtra tranſiens, qui argumentis *Newtoni* adducti, vacuum propugnant cum Atomiſtis; effectus aeris in hydroſtaticis ab ejus gravitate pendentes deſcribit; inſtrumenta delineat, quibus principia hydroſtatica ad examen revocantur, inter quæ etiam hygrometra & thermometra refert; effectus aeris in hydroſtaticis ab eorum elaſticitate, dilatatione atque compreſſione proficiſcentes exponit, ubi etiam antliam pnevmaticam in ſcenam producit & regulas motuum de corporum conflictu ex *Wallisii* Mechanica exhibet. Deſcribit autem ſtructuram antliæ, qualem debemus *Hauksbejo*, in Actis Supplem. Tom. V Sect. IX p. 403 repræſentatam, & *Graveſandio* in Elementis, quæ vocat, philoſophiæ *Newtonianæ*, de quibus diximus in Actis A. 1720 p. 220 & A. 1726 p. 316. Proponit deinde problemata de deſcenſu corporum gravium ex inventis *Galilæi*, & de aquis ſalientibus ex inventis *Mariotti*. Tandem de impetu aquarum in rotas molendinorum incurrentium agit, ubi & venti rationem habet, cujus vi molendina agitantur.

Libro tertio, ubi nonnulla de etymologia hydraulicæ & machinis hydraulicis veterum in medium attulit, principia mechanica ſeu ſtatica de vecte, axe in peritrochio, cochlea & trochlea præmittit, ob eorum in praxi hydraulica uſum. Deinde ſiphonem & fontes artificiales deſcribit una cum cochlea *Archimedis*, antliis & variis machinis, quibus agitantur. Invenies hic, præter machinas a *Boecklero* in Theatro machinarum deſcriptas, varias in Anglia uſitatas, & inter eas quoque non unam, quæ vi ignis aquam elevat, ubi inprimis attentionem meretur illa, quam *Thomas Newcomen* dedit, a *Saveriana*, in Actis A. 1700 p. 29 repræſentata, plurimum diverſa. Et ne quid induſtrius Autor prætermiſiſſe videatur, quod ad praxin hydraulicam ſpectet, de hydraulicis quoque machinis agit, quibus organa perficiuntur, quales jam veteribus cognitas fuiſſe ex *Vitruvio* lib. X c. 13 conſtat.

Libro quarto quæ continentur, ex *Mariotti* inprimis Tractatu de motu fluidorum deſumta ſunt, quem ex Gallico idiomate

mate in Anglicanum traduxit *Desagulierius*, ubi etiam exponit, quæ ille de affrictu tuborum tradit. Sub finem denique fontes salientes, cum ornatu architectonico magno numero æri incisos, una cum præcipiti aquarum lapsu & cryptis artificialibus repræsentat.

EUSTACHII MANFREDII, BONONIENSIS Scientiarum Instituti Astronomi, de annuis Stellarum aberrationibus ad Eminentissimum ac Reverendissimum JO. ANTONIUM DE VIA, S. R. E. Cardinalem.

Bononiæ, typis Constantini Pisani S. Inquisitionis Impressoris, 1729, 4.

Plag. 10 Tabb. æn. 6.


OBservarunt Astronomi moderni, nonnullis stellis fixis exiguas, sed constantes atque annuas accidere motuum vicissitudines, atque inde de ceteris invaluit suspicio. Observationes propriis experimentis comprobatas in dubium minime vocat Celeberrimus *Manfredius*; sed causam illarum aberrationum in medio relinquit. Etsi enim nonnulli ex eo, quod statis anni temporibus recurrant, inde colligant, eas a motu telluris annuo circa solem pendere, sicque Systema mundi *Copernicanum* demonstratum esse existiment; optime tamen observat Astronomus acutissimus, ad decernendum telluri motum non satis esse, ut cujuspiam ex stellis fixis positus alio anni tempore alius reperiatur, sed præterea requiri, ut errores hi & iis temporibus, & in eas plagas, & ea proportione contingant, quam motus illius ratio postulat. Quamobrem ut constare possit, utrum errores in fixis observati annui a motu telluris circa solem pendeant, nec ne; Noster theoriam accuratam parallaxium annuarum condidit. Continet illa theoria theoremata de parallaxibus annuis, quales futuræ essent, si ex motu telluris circa solem orirentur. Investigavit deinde rationes, quibus & aberrationes istiusmodi, si quæ sint, commodissime deprehendi & ad illa theoremata, quasi ad criteria quædam, perfa-

cile exigi queant, istiusque methodi periculum fecit in observationibus cum alienis, tum domesticis. Enimvero operæ pretium erit, ut de argumento novo atque arduo specialiora quædam in medium afferamus.

Tenendum itaque, si terra circa solem motu annuo moveatur, & diameter orbis annui ad distantiam fixarum a terra habeat rationem sensibilem, triplicem observari debere parallaxin, nimirum parallaxin simpliciter sic dictam, quam & absolutam vocat Noster, parallaxin longitudinis & parallaxin latitudinis. Sit E H I sphæra, in cujus superficiei puncto quovis F sit stella quædam fixa, centrum sphæræ sit in centro solis S, circulus eclipticæ E C I, cujus planum per solem S transit, sphæramque in duas partes æquales dividit, & cujus polus in P. Sit porro ROT orbis annuus, in quo terra circa solem movetur, in plano eclipticæ, justo major hic delineatus, quo lineæ quædam ac puncta in eo distingui possint, & per puncta P F transeat olius circulus maximus B P F C, eclipticam in duobus punctis oppositis B & C secans, qui ad planum eclipticæ perpendicularis. Est igitur circulus latitudinis, qui longitudinem stellæ F definit, adeoque in C longitudo stellæ, principio arietis in A existente, arcus F C latitudo ejus & F P distantia a polo eclipticæ. Spectator igitur in sole S constitutus metietur longitudinem stellæ angulo A S C, latitudinem angulo F S C & distantiam a polo eclipticæ angulo P S C. Ducatur diameter eclipticæ B S C, quæ est communis sectio circuli latitudinis B P C & eclipticæ. Lineam hanc B S C *Lineam Syzygiarum* appellat Noster, quia tellure in eadem existente stellæ F solisque S syzygiæ observantur, nempe tellure existente in R stella F soli S conjuncta spectabitur in C, illa vero existente in O eadem soli opposita cernetur. Sit jam terra in T, ducanturque rectæ F S & T F, erit angulus T F S *Parallaxis* fixæ F *absoluta*, seu simpliciter ita dicta; sit F L ad B C perpendicularis, ducaturque recta T L, erit angulus F S L latitudo stellæ F vera, angulus F T L latitudo e tellure visa, adeoque differentia eorum *Parallaxis latitudinis*. Quare si ex centro L intervallo L S describatur circulus S h, ducaturque recta F h, erit T F h parallaxis latitudinis.

TAB. III.

Deni-


H
P
F
B
E
R
S
h
O
T
t
L
a
A

Denique ducta recta T a ipsi S A parallela, erit angulus a T L stellæ F longitudo e tellure visa. Quare cum longitudo e sole visa sit angulus A S L; erit angulus T L S *Parallaxis Longitudinis*. Demonstrat Autor, quomodo sese habeant parallaxes istæ singulæ. Ne autem rigorem Geometriæ observare teneatur in iis, in quibus temere observatur; ideo postulati loco sumit, diametrum orbis R T O non esse majorem, quam ut ex maximo sphæræ E H I circulo arcum scrupulorum primorum quatuor subtendat, unde porro consequitur, nullum angulum, qui ad sphæricam superficiem E H I existit, atque ab aliqua orbis R T O diametro subtenditur, duobus scrupulis majorem esse posse. Hoc autem ideo sumit, quod alias fieri non potuisset, ut stellarum errores atque adeo ipse telluris motus tam diu fefellerit Astronomorum omnium observationes. Primo igitur parallaxin absolutam fixarum considerat. Ostendit parallaxes absolutas ejusdem stellæ aut duarum in eadem sphæra existentium, tellure ubivis in orbe annuo posita, esse inter se ut sinus angulorum ad tellurem; maximas autem esse parallaxes, si angulus ad tellurem fuerit rectus, atque hinc data positione stellæ ad eclipticam punctum orbis annui definire docet, in quo tellure existente maxima sit absoluta parallaxis. Hanc autem maximam parallaxin absolutam ad sensum æqualem esse angulo, quo ipsa semidiameter orbis annui e sphæra spectatur, cum angulus ad solem rectus est, ut adeo omnium stellarum in eadem sphæra existentium parallaxes maximæ sint æquales & data maxima parallaxi unius detur ratio semidiametri orbis annui S T ad semidiametrum sphæræ fixarum S F. Minimam parallaxin absolutam esse in conjunctione, a conjunctione autem ad quadraturam perpetuo augeri & exinde usque ad oppositionem continuo minui, in punctis vero a conjunctione vel oppositione æqualiter distitis æquales esse parallaxes. Easdem ad sensum æquales esse, tellure in punctis orbis annui oppositis existente, & duarum stellarum in eadem sphæra existentium parallaxes minimas esse inter se ut sinus latitudinum visarum in conjunctione, in diversis autem sphæris existentium parallaxes maximas esse reciproce ut earum distantias a sole, & ubi eandem latitudi-

titudinem habuerint & a conjunctione æque distent, reciproce ut illarum distantias a tellure. Ostendit tamen, distantias a sole esse fere easdem cum distantiis a tellure. Si stellæ ejusdem fuerint latitudinis, parallaxes in æquali a conjunctione distantia esse directe ut earundem parallaxes maximas, adeoque & minimas esse ut maximas; si latitudo diversa fuerit, eas esse in ratione composita ex directa sinuum latitudinum & reciproca distantiarum a sole. Hæc sunt palmaria parallaxis absolutæ symptomata.

Videamus jam porro, quænam sint potiora, quæ de parallaxi latitudinis tradit Noster. De his primo loco observat, eam in ipsa conjunctione ac oppositione cum absoluta eandem esse, atque deinde ostendit, quomodo data stellæ longitudine & latitudine in orbe annuo reperiatur punctum, in quo visa latitudo veræ æqualis, adeoque parallaxis latitudinis nulla. Ostendit deinde in primo & quarto quadrante post conjunctionem latitudinem visam minorem esse vera, in secundo autem & tertio majorem. Augeri eam perpetuo a conjunctione ad oppositionem & ab hac ad conjunctionem perpetuo minui. In punctis a conjunctione vel ab oppositione æque distantibus æquales esse visas latitudines & latitudinis parallaxes. Sinus visarum latitudinum ejusdem stellæ e quibuslibet punctis orbis annui esse inter se in ratione reciproca distantiarum stellæ a tellure in illis punctis. Stellarum in eadem sphæra existentium maximas parallaxes esse ut sinus visarum latitudinum, & ad sensum ut verarum. Hæc sunt palmaria parallaxis latitudinis symptomata, quæ calculo confirmavit in stella habente latitudinem 87 graduum, posita maxima parallaxi absoluta minutorum 2. In ipsa nimirum ecliptica nulla omnino est latitudinis parallaxis & stellarum, quæ minus duobus tribusve gradibus ab ecliptica distant, parallaxes latitudinis sub sensum non cadunt.

Quæ de parallaxi longitudinis demonstrat, huc potissimum redeunt. Stellarum omnium in ecliptica existentium parallaxin longitudinis ejusdem esse cum absoluta parallaxi, & omnium stellarum ubicunque positarum visam longitudinem a conjun-

junctione ad oppositionem majorem esse vera, ab oppositione ad conjunctionem minorem; parallaxin vero longitudinis in syzygiis nullam esse, a syzygiis autem ad quadraturas semper augeri, donec in quadraturis sit maxima, a quadraturis ad syzygias rursus minui & in punctis æque a conjunctione vel oppositione dissitis æqualem esse. Stellarum adeo visam longitudinem perpetuo mutari, licet vera interim imminuta ponatur, & motum hunc a conjunctione ad quadraturam esse directum, post quadraturam vero usque ad oppositionem retrogradum; a secunda quadratura ad conjunctionem iterum directum, in ipsis vero quadraturarum articulis stationem esse sideris & maximas parallaxes longitudinis in quadraturis contingere, in quibus nullæ sunt latitudinis ad sensum parallaxes. Ejusdem stellæ extra eclipticam positæ sinum parallaxis maximæ longitudinis esse ad sinum maximæ absolutæ ut radium ad cosinum latitudinis, & plurimas esse stellas, quarum parallaxis longitudinis longe major sit quam vel absoluta, vel latitudinis, si nempe maximæ singularum specierum comparentur. Maximas autem parallaxes longitudinis duarum stellarum esse reciproce ut distantias inter solem & perpendiculum in planum eclipticæ e stellis ipsis demissum. Si stellæ in eadem sphæra fuerint, maximas parallaxes longitudinis esse reciproce ut cosinus latitudinum. Construxit Tabulam maximarum parallaxium longitudinis ad singulos gradus latitudinis, posita maxima absoluta minutorum 2.

Supposuit Cel. Autor in explicanda parallaxis triplicis fixarum differentia, figuram orbis annui esse circularem & soli concentricam. Quare cum constet, eam esse eccentricam atque ellipticam, ideo inquirit, quid in parallaxibus efficere possit orbis annui figura. Ostendit autem, nullam in catalogis fixarum consignari stellam, quæ nostro saltem ævo non eum obtineat situm, ut respectu parallaxis cum longitudinis, tum latitudinis perinde sit, sive hypothesi circulari concentrica, sive elliptica eccentrica utaris, ut adeo in parallaxibus fixarum discernendis ab aliis aberrationibus nullus metuendus sit error, si theorematis Autoris utamur.

Longitudines & latitudines observari commode nequeunt atque adeo ex declinationibus & ascensionibus rectis observatu longe facilioribus per calculum eruuntur. Consultius itaque erat, parallaxes declinationum & ascensionum rectarum accurate definiri, quam parallaxes latitudinum & longitudinum. De eo cum cogitaret *Manfredius*, animadvertit, aberrationes fixarum juxta æquatorem & polos mundi multo facilius animo concipi earumque leges ac quantitates investigari, si eas contemplemur in immensa quadam superficie sphærica universum amplectente, quam si ipsas spectemus in planis triangulis, quæ in æquatoris plano, vel in planis ad hunc circulum rectis parallacticos angulos continent; quemadmodum in parallaxibus absolutis atque in iis, quæ ad Eclipticam referuntur, fecerat. Eum igitur in finem ex iis, quæ de parallaxibus absolutis atque latitudinis & longitudinis demonstravit, tanquam principiis ostendit, quænam sit figura quæque in omnem plagam amplitudo curvæ illius semitæ, quam fixæ singulæ in ea superficie annuo spatio descripturæ sunt, ubi tellus in orbem circa solem feratur, scilicet quod in rigore Geometrico semita illa apparens, quam fixæ annua parallaxi affectæ in sphæra universi describunt, nulla sit ex sectionibus conicis vulgatis, neque alia quæpiam ex iis curvis, quæ in uno plano existunt, ab ellipsi tamen tam parum discrepet, ut ad sensum pro ellipsi haberi possit. Hinc vero deducit parallaxes declinationis & ascensionis rectæ. Demonstrat inter alia, si stella in ipsa conjunctione aut oppositione ascensionali versetur, nullam fore parallaxin ascensionalem, parallaxin autem declinationis fore ipsam absolutam parallaxin. Docet autem in ellipsi cujuslibet fixæ puncta definire, in quibus, cum ipsa spectabitur, maxima futura sit ascensionis rectæ parallaxis, atque inde ulterius colligit tempora maximarum parallaxium ascensionalium, tametsi absolutæ ignorentur. Quærendum nimirum esse punctum eclipticæ eandem vel oppositam cum stella ascensionem rectam habens; eas esse Solis longitudines, quibus diebus nulla est parallaxis ascensionalis, puncta vero Eclipticæ hinc inde quadrante distantia esse ea, quibus diebus maximæ parallaxes ascensionales eveniant. In singulis stellis,

quæ

quæ vel in coluro solstitiorum existunt, vel in quibus circulus declinationis circulo latitudinis ad rectos angulos occurrit, parallaxin maximam ascensionalem utrinque æqualem esse, in reliquis omnibus ex parte anguli acuti nonnihil majorem quam ex alia. Stellarum in eadem sphæra existentium & ejusdem declinationis maximam parallaxin illi contingere, quæ in ipso coluro constituitur, & maximam parallaxin ascensionalem, quam ulla ætate stella subire potest, ea illi contingere, qua versatur in sectione coluri solstitiorum ac circuli eclipticæ paralleli, quam stella percurrit, polo mundi propiori. Stellarum autem parallaxes ascensionales multo majores esse posse parallaxi maxima absoluta. Docet etiam in eadem ellipsi definire puncta, in quibus maxima cujuslibet stellæ est parallaxis declinationis, nec non ea, in quibus nulla est. Reperit autem parallaxes maximæ declinationis accidere in syzygiis ascensionalibus, nullas vero in intermediis longitudinibus æque ab iis distantibus. In coluro syzygias ascensionales coincidere cum longitudinalibus, alibi in medias elongationes longitudinis eas incidere. Omnium stellarum in eadem sphæra existentium atque ejusdem declinationis minimam parallaxin illi accidere, quæ in coluro solstitiorum existit ad partes a polo eclipticæ remotiores. Maximam parallaxin declinationis nunquam majorem esse posse parallaxi absoluta, & omnes stellas, quarum distantia a polo eclipticæ minor est 23° 29′, aliquando parallaxes declinationum nancisci posse maximarum maximas, neque alias præterea.

Ampla theoria præmissa tandem docet, quomodo stellarum aberrationes observari & cum annua parallaxi conferri debeant. Ad observandas declinationes commendat arcus murales ex metallo fabrefactos & telescopio in arcus centro volubili instructos, inprimis autem telescopium prælongum, cui ferreus vel orichalceus sit tubus, ad parietem firmum neque valde recenter extructum cochleis adstrictum & micrometro instructum, in quocunque circulo verticali, modo circulo æquinoctiali æquidistet. Ipsum quoque modum observandi & computandi parallaxin describit, atque exemplis illustrat, usus observationibus *Roberti Hookii* A. 1669 & *Flamstedii* A. 1696 habitis, at-

que *Cassini* A. 1717 publicatis. Apparet autem ex calculo Autoris, observationes *Hookianas* & *Cassinianas* cum motu annuo telluris circa solem conspirare; ast *Flamstedianas* ab eodem dissentire. Est autem juxta *Hookianas* parallaxis absoluta maxima lucidæ in capite Draconis 15 scrupulorum secundorum; juxta *Cassinum* in Sirio 9 secundorum. Parallaxes ascensionales observatu difficiliores sunt. Dari aberrationes ascensionales primum certo animadvertisse *Maraldum* A. 1704 monet, a quo excitatus ipse quoque easdem observaverit. Quæ enim jam ab A. 1701 a *Ræmero* observata sunt & in Copernico triumphante nuper a Cl. *Horrebovio* publicata, Noster nondum vidit, etsi ab *Islæo* juniore didicerit, simile quid a *Ræmero*, cum viveret, fuisse observatum. Et huc etiam refert, quæ *Blanchinus* de Lyra & Capella ingentibus & immotis telescopiis observavit, etsi nondum publicæ luci exposita. Describit deinde modum observandi & modum aberrationem ascensionalem observatam ad leges annuæ parallaxis expendendi. Illustrat præcepta exemplo observationibus *Maraldi* A. 1704 & 1705 & domesticis A. 1727 & 1728 usus in Sirio. Aberrationes autem ascensionales observatas cum parallaxi annua ascensionali parum convenire docet, etsi earum aliquæ cum iis consentiant. Optime tandem concludit, tum demum cum hypothesi *Copernicana* præclare actum iri, si & aberrationes in declinatione & in ascensione recta observatæ cum legibus parallaxium annuarum declinationis atque ascensionis rectæ consenserint.

ACTA PHYSICO-MEDICA ACADEMIÆ Cæsareæ Leopoldino-Carolinæ Naturæ Curiosorum.

Volumen II,

cum Appendice.

Norimbergæ, apud hæredes W. M. Endteri & J. A. Engelbrechti viduam, 1730, 4.

Alph. 4 cum fig. æn. Tab. 18.

JActuram fecit haud levem illustris Academia Cæsarea Leopol-

poldino-Carolina, amisso capite suo ac Præside, D. *Luca Schræckio*, qui die 3 Januarii hujus anni non immatura quidem morte sublatus, sed ætate maturissima decessit, senex optimus & vitæ & honorum, sed & laborum satur; posteaquam octogenario tribus annis totidemque mensibus major, vixit in singulare decus & incrementum rei Medicæ ac seorsim laudatæ Academiæ, cui ultra semiseculum interfuit Collega maxime industrius, eidemque præfuit laudabiliter usque in octavum lustrum, inter Medicos longævos, saltem gloria meritorum, nulli secundus. Solatium interim fuit non minimum Collegis, postquam perceperunt, vacuum Præsidis officium suffragiis suis omnes atque singulos Societatis hujus Adjunctos decrevisse D. *Johanni Jacobo Baiero*, Prof. Publ. Altorfino, de re Medica & inprimis de Academia hac jam dum optime merito, qui Ephemeridum hactenus Director, etiamsi jam in hoc munere successorem sibi elegerit & constituerit D. *Michaelem Ernestum Ettmullerum*, in nostra Academia Professorem Publicum, suis etiam de arte salutari meritis longo abhinc tempore conspicuum, Volumen tamen II Actorum Physico-Medicorum, quod jam excerptum dabimus, luci publicæ exponere non destitit, quod 209 observationes continens, haud secus ac prius multa exhibet notatu dignissima.

Ex *Historia Naturali* Obs. 57 rubigo sanitati noxia, 122 crystallus inter grandines e nubibus decidens, 123 cautelæ in venenorum emtione observandæ, 134 nebula quædam morbifera, 172 historia terræ motus commemorantur. In specie ex *Regno Vegetabili* Obs. 72 germinatio Vegetabilium in Vegetabili, 117 pili cum ovulis insecti insoliti in ceraso, 169 rariores quædam plantæ ac fructus Voigtlandiæ, 176 chamæmelon monstrosum, 177 Aloes Americanæ per suum semen felix propagatio exhibentur. Ex *Regno Minerali* Obs. 30 lapides figurati in monte Wetteraviæ, 110 gemmæ figuratæ, una cum judicio de gemmis in Mumia Gothana inventis, 156 examen terræ margæ arsenicalis, *Schabengifft*, suppeditantur. Ex *Regno Animali* Obs. 36 causæ nondum finitæ controversiæ: an bruta habeant sensus & rationem? evolvuntur, 83 modus traditur astaco fluviatili somnum conciliandi extraordinarium, 91 rara & varietate colorum distincta, ex India allata avis, tribus gaudens pedibus, describitur, 92 vi-

92 vitulus maculosus a nativitate oculorum luminibus orbus, nec cauda nec ano perforato præditus, 126 chela astaci fluviatilis tribus apicibus prædita, 127 nidus vesparum admirandus, ac 120 alaudarum comestio minus fausta traditur. In *Physiologicis* Obs. 9 dentes in vetula sexagenaria renati, 35 puer insolitæ magnitudinis, 50 funiculus umbilicalis infantis recens nati prope corpus abruptus & non ligatus absque damno, 76 mulier impraegnationis tempore semper surda, 113 dens ex medio palati emergens, 121 lac in uberibus canis fœminæ non impraegnatæ, 145 embryo sex septimanarum singulis artubus & membris integer observata leguntur. In *Anatomicis* Obs. 54 massa mammarum glandulosa unicum constituere corpus cum tubulis lactiferis maximis perhibetur, 55 valvulæ conniventes in tractu intestini ilei explicantur, 56 tegumentum peculiare membranæ tympani fœtuum inserviens delineatur. In *Chymicis* Obs. 136 oleum destillatum formicarum æthereum, 140 salium mediorum præparatio curiosa sine visibili acido, & 141 solutio martis ab alcali via sicca describitur, ac 171 de vera solis extractione differitur. Plures leguntur observationes ad *Pathologiam* spectantes: ut Obs. 1) de visu duplicato, 2) cordis vicinarumque partium prava conformatione, 6) morte subitanea ex forti percussione in regione hepatis, 7) palpitatione cordis ab hydrope pericardii & nimia cordis obesitate, 8) pancreate & hepate corrupto in pingui homine, 11) ruptura oculi cum fragore, 16) tussi lotionem pedum ex sola aqua calida subsequente, 18) abscessu saccato in thorace phthisici, 19) pericardio sanguine distento & corde arroso in orthopnoico, 20) pericardio cartilagineo cum corde coalito in hydropico, 21) lienis & renis ruptura ex casu ab alto lethali, 22) cranio & sterno carioso, ac calculis pulmonum in scorbutico, 23) corde suppurato, 25) suffocatione ex esu mytulorum venenatorum, 26) inedia septem mensium, 31) cephalæa ab hydrope ventriculorum cerebri, causa avtocheiriæ, 33) suggillatione labii inferioris & menti singulari, 49) ruptura uteri gravidæ cum fœtus & secundinarum in cavitatem abdominis exclusione, 51) paralysi partium inferiorum ex fractura spinæ dorsi, 52) amavrosi ex vomitu cruento, 53) polyposis sangui-

guinis concretionibus, 58) biennali lumborum spasmo, 60) insigni calculum vesicæ recte dignoscendi difficultate, 62) aphonia & diarrhœa cruenta ex vermibus, 63) prolapsu uteri ex flatulenta intestinorum distensione, 64) mictu cruento ex hæmorrhoidibus vesicæ, 65) scirrho intestinorum, 66) aphonia ex catarrho, 69) polypis binis in corde, cum ingenti lienis tumore & pulmonibus pleuræ undique adnatis, 70) cœcitate ex contusione capitis ad parietem, 71) angina cum subsequente febre purpurata & inflammatione renum, 75) apoplexia ex abusu pulveris tabaci, 78) insigni hæmorrhoidario, 79) exanthematibus malignis arthritidi vagæ supervenientibus, 80) hydrope ovarii sinistri, 84) deglutitione difficili ex epiglottide indurata, 85) sudore colliquativo insolito, 86) frequenti sternutatione ex vapore calcis vivæ, 87) cœcitate ex calculo, 90) morte a polypo cordis magno, 94) hernia umbilicali pro tumore cystico habita, 96) infante ore clauso & concreto nato, 97) fœtu bicorporeo circa abdomen concreto, 98) obstipo capite cum ossis occipitis & superiorum colli vertebrarum carie conjuncto, 99) exostosi seu excrescentia cranii osseo-spongiosa, 100) tumore capitis a carne fungosa cum carie cranii, 101) femoris luxatione & capituli defectu, 102) paralysi a medullæ spinalis exarescentia, 103) costarum a sterno separatarum coalitu novo, & coli in intestinum rectum prolapsu, 104) variis ulceribus sinuosis in scorbutico, 105) carie ulcerosa brachii, manus & genu in cachectico, 106) parotidibus exulceratis cum vomicis pulmonum & mesenterii, 107) empyemate cum sanguine intra pericardium stagnante, 108) lienteria ex abscessu mesenterii magno, 109) aortæ ossescentia in sene apoplectico, 114) variolis anomalis, 115) vesicula fellis monstrosæ magnitudinis in bove saginato, 124) superfœtatione abortiva, 128) calculo per anum sua sponte ejecto, 130) stranguria in gravidis, 131) morbo acuto Lipsiæ 1718 grassato, 132) colica periodica, 133) epilepsia ex visu epilepticæ, 134) rabie & hydrophobia tractationi pellis rabie extincti canis adscripta, 137) diuturno alvi fluxu periodico, paroxysmi febris intermittentis exordio quotidiano, 143) tremore artuum temporario a vermibus, sæpius recurrente, 144) syncope ex vermibus,

147)

147) singulari purpuræ ac variolarum complicatione, 148) chronica intricataque morborum complicatione, 149) tardiori vulneris capitis lethalis progressu, 150) insolitis egredientis sanguinis viis, 151, 153) morbis epidemiis, 152) epidemia bovina tabifica, 154) variolis verrucosis, 157) ischuria ex plethora, 158) arthritide maxillæ inferioris, 160) linguæ paralysi a vermibus, 161) mensium per inconsueta loca effluxu, 162) deglutitione annuli innocua, 163) abortu ex neglecta pertinaci alvi obstructione, 164) calculis felleis, 165) febre tertiana annua, post æquinoctium vernale recurrente, 170) phthiriasi insolita) 171) Judæo androgyno recens nato cum ano imperforato, 173) satyriasi epileptica infantis a callo in pene, 178) hepate scirrhoso concretionibus osseis & calculis referto in ascitico & hernioso, 182) salacitate singulari, 183) variolis a cane per contagium contractis, 184) gustu depravato, 185) hæmorrhoidibus a venæsectione in brachio suscitatis, 186) hæmorrhoidibus a juventute in senectutem usque liberaliter fluentibus, 199) impotentia virili a fascino, 200) vomitu a fulgure, 201) melancholia ex esu columbarum, 202) abhorrescentia a sambuco, 203) ad haleces appetitu & nausea, 204) phyalismo gravidarum, 208) margaritarum aversatione, 209) nævo materno, & 210) constitutione epidemica Ferrariensi Ann. 1729. Hinc *Curationes felices* delineantur Obs. 3) tumoris testiculi dextri scirrhosi, 5) hydropis, 12) tumoris strumosi per mercurium, 14) clavi per hirudinum appositionem, 68) ficus seu tumoris cilii superioris palpebræ absque sectione, 77) panni oculi, 81) herniæ varicoso-humorosæ, 82) asthmatis spastico-periodici, 138) sterilitatis ab ulcere diuturno pedis per salivationem, 142) sterilitatis a præmature suppressa tertiana cum cortice chinæ causatæ, 146) sphaceli uteri in puerpera remediis externis sufflaminati, 159) cardialgiæ per venæ sectionem, 175) scabiei per vinum Hispanicum, 189) apostematis panis melliti esu contracti, & 198) odontalgiæ magicæ. In *Praxi Medica* observata sunt sequentia: Obs. 4) aciculæ deglutitæ cum urina redditæ, 17) empyematicus abscessu sponte rupto & aperto præter spem convalescens, 27) enteroscheocele allisione testiculi & inflammatione; & enterocele colica

lica ſpasmodica ſuperveniente curata; 29) ſudor ſingularis poſt ſuperatas variolas, 32) purpuræ non rite ad finem decurrentis variæ ſucceſsiones, 37) juvenis ſcorbuticus draſticis occiſus, 41) ex purgantium abuſu febris hectica & mors, 42) cachexia ictetica ex martialium abuſu, 43) ex draſtici uſu diſpoſitio convulſiva, 46) ex eodem ruptura oculi & cœcitas, 47) viſus hebetior in ſene ophthalmia superveniente curatus, 59) ex tumore pedis in podagra evaneſcente aphonia & mali moris ſymptomata, 61) varia in melanchalico, 66) inexpectata & funeſta ſalivatio, 74) ebrietas a clyſtere ex vino generoſo confecto, 89) ex purgantium repetito uſu noxæ, 95) caries oſſium in malo iſchiadico, 116) vermis poſt variolas e ſiniſtri oculi cantho majori erumpens, 129) dolor abdominis enormis ex aſſumto cortice Peruviano, 163) ſcabies moleſtiſſima podagram excipiens eamque ſolvens, 164) abuſus acidularum Deinacenſium lethalis, 179) alvus antiſpaſticis ſoluta, 180) tumor bubonodes ſuppuratus poſt tormina hyſterica ſalutaris, denuo reverſus cum colica inflammatoria lethalis, 181) vulnus ab ictu ſclopeti, lardo ſolum & cannabi contorta infarcti lethale, 187) malum iſchiadicum exulceratione tibiæ ſolutum, 188) diarrhœa ex ſudore matutino ſuppreſſo orta, hoc redeunte ceſſans, 190) ſternutatio crebrior & vomitus autocraticus ab ingluvie ſalutaris, 191) contagium diarrhœa & ſudore ſpontaneis enervatum, 192) puſtula genæ variolarum vicaria, 193) aſcites diureſi ſpontanea ſolutus, 194) vomitoriorum diverſus effectus, 195) varia evporiſta & ſpecifica, 197) inflammatio tibiæ ab hirudinibus igne crematis, 205) hydrophobia nullo præcedente animalis morſu orta & in famem caninam tandem ſoluta, 206) fruſtum cordis bubuli comeſtum poſt biennium excluſum, & 207) hydrops lapſu ſanatus. Porro phænomena deſcribuntur in *Sectionibus* Obſ. 7 & 47) aſthmaticorum, 18) phthiſici, 20 & 34) hydropicorum, 22) ſcorbutici, 107) empyematici, 108) lienterici, 109) apoplectici, 125) fœtus monſtroſi, 178) aſcitici & hernioſi, 13) anaſarca, 31) cephalæa, 69) febre quartana, 80) ovarii hydrope, denatorum, & 155) arſenico enecati. Inter *Facultates & virtutes medicamentorum* Obſ. 10 & 155) noxæ delineantur ab arſenico albo vel deglutito vel capillis inſperſo

inductæ, 93) opium nec expectorationem nec alvi lubricitatem impedivisse dicitur, 118) de sabinæ virtute emmenegoga, 119) de nociva radicis solani furiosi, bella donna dicti, qualitate disseritur, 120) absorbentium noxæ exemplo juvenis probantur, vomitu frustum, molem pugni majoris æquans, & ex absorbentibus remediis compactum, reddentis; 144) ex frequenti mellis cum pane esu scarabæi in intestinis geniti perhibentur, & 156) cautelæ circa usum internum terrarum margarum injunguntur. In *Chirurgicis* notantur Obs. 38) ex tumore claviculæ pendente incaute tractato cancer lethalis ortus; 39) cruris sinistri rigiditas ex vesicantium abusu; 40) ex unguento mercuriali arthritis fixa scorbutica; 44) ex emplastrorum incauta applicatione dolores pleuræ & totius lateris sinistri; 45) ex venæ sectionis abusu amaurosis & convulsiones; 48) instrumentum novum pro curanda phimosi, & 111) Liquor vulnerarius Dippelii describitur, qui ita paratur: Rec. herb. nummular. chærefol. sol. beton. plantag. querc. aristol. rot. ana manip. ij. sanic. verbasc. sedi maj. crassul. vincæ per vinc. rad. pimpinell. alb. ana manip. iij. flor. millefol. manip. ij. succ. express. adde spirit. Vin. ana, item sal. gemmæ manip. j. destillentur. Denique ad *Medicinam Forensem* spectat Obs. 27.) Infanticidii scrutinium; 118) quæstio, num sabinæ abusu abortus procuratus fuerit? & 119) num mors arthritidi, an radici solani furiosi sit adscribenda?

De cetero in Appendice hujus Voluminis leguntur I *Caroli Friderici Löw* Epistola de morbo complicatissimo paucissimis medicamentis sublato. II Ejusdem Epistola de morbo petechiali 1683 Posonii grassato. III *Joh. Jac. Scheuchzeri* otia æstivalia circa Thermas Badenses. IV *Joh. Jac. Baieri* Sciagraphia musæi sui & Supplementa oryctographiæ Noricæ. V *Georg. Frid. Franci de Frankenau* lugubris Epistola de Incendio fatali nupero urbis Hafniensis, & insigni Bibliothecæ tam propriæ quam Academicæ jactura. VI *Wilhelmi Hulderici Waldschmidt* de superfœtatione falso prætensa, cum Extractu Protocolli judicii inquisitorii in puncto suppositi partus stellionatus & acceleratæ mortis infantis proprii. VII Memoria *Viti Riedlini*, Acad. Cæs. Nat. Curios. Adjuncti, Collegii Medici Ulmensis;

ſis Decani, & Gymnaſii Scholarchæ. Et VIII Memoria *Johannis Mauritii Hoffmanni*, Ephemeridum Acad. Nat. Curioſ. Directoris, Academiæ Altorfinæ Senioris & Medicinæ Profeſſoris Publici.

Ξενοφῶντος Κύρου παιδείας Βιβλία ὀκτώ.

hoc eſt,

XENOPHONTIS DE CYRI INSTITUTIone Libri octo. Græca recognovit cum Codice MSto Oxonienſi & omnibus fere libris editis contulit, plurimis in locis emendavit, Verſionem Latinam reformavit, Obſervationibus ſuis, Tabula Geographica, binisque Diſſertationibus præmiſſis auxit & illuſtravit; Notas STEPHANI, LEUNCLAVII, AE. PORTI & MURETI recenſitas & caſtigatas, Variantium Lectionum delectum, Indicesque neceſſarios adjunxit THOMAS HUTCHINSON, A.M.

Oxonii, e Theatro Sheldoniano, 1727. 4 maj.
Alph. 4 pl. 3, Tab. æn. 1.

Nihil jucundius eſſet, quam argumentum Κύρου παιδείας breviter enarrare, ſimulque rerum varietatem & elegantiam, Scriptoris ingenium & doctrinam, ac cetera, quæ in pereximio iſto libro animos legentium advertere ac tenere ſolent, enumerare. Verum cum hæc omnia eruditis pridem cognita ſint, qui autem ignorant, majore cum voluptate iſta ex ipſo ſcripto petere queant; tali quidem labore ſuperſedere poſſumus. Ad ea autem, quæ Cl. *Hutchinſon* ornandæ huic editioni contulit, attendere debemus. Primo loco memorari debent binæ *Diſſertationes* Xenophonti præmiſſæ, ex optimis ſcriptoribus omnis generis, ut ne ſacer quidem codex, in quo frequens Cyri mentio, excludatur, ſummo ſtudio confectæ. Altera 40 paginas implet, & Vitam Xenophontis, ſcripta ejusdem, ſingulatim autem hanc Cyropædiam tractat; ubi argumentum libri ad iſta tria revocatur: ad diſciplinam & inſtituta Perſica, ad monita

tam mores, quam rem militarem spectantia, denique ad vitam & obitum Cyri. De illis omnibus quæ alii Historici tradiderunt, expenduntur & cum Xenophontea narratione conferuntur. Porro Xenophontem de Cyro ad historiæ fidem scripsisse ostenditur, & causæ, ob quas ei potius, quam Historicis ab eo dissentientibus, accedendum sit, afferuntur. Postremo populorum situs, quorum in his libris meminit Xenophon, ex Geographiæ monumentis confirmatur, ac Tabula Geographica, typum imperii Persici sistens illustratur. Altera Dissertatione sacra, & civilia, & militaria Persarum instituta moresque, quorum in hac historia meminit Xenophon, exponuntur & aliorum scriptorum autoritate pleraque omnia confirmantur. Sufficiant hæc de Dissertationibus. In ipso scripto perpoliendo ita versatus est, ut jam ex codicibus aut conjecturis virorum doctorum Xenophontem pluribus locis emendatiorem legere liceat. Adhibuit impressos libros præstantissimos, & Codicem MStum *Bodlejanum*. Hujus autoritate jam repositum leges Lib. I pag. 69: τέτε μεγάλε ἔργε ὄντος ὄντος, ἐπίςασθαι ἀνθρώπων ἄλλων προςατεύειν, ὅπως κ. τ. λ. ubi vulgo erat: ὄντος ὑφίςασθαι, sine distinctione. Lib. II pag. 112 olim erat: Ἃ δὲ προεῖπε, τάδε ἦν· Ἰδιώτη μὲν ἀγαθὸν ἑαυτὸν παρέχειν εὐπειθῆ τοῖς ἄρχουσι, sed Noster ex MS. & duobus impressis aliisque de causis illud ἀγαθὸν recte sustulit. Eodem Libro pag. 123 προϊέναι, pro προσιέναι, & προελθὼν, pro προσελθὼν, jubente MS. revocavit, atque ita emendandum esse, *Leunclavius* & *Stephanus* conjectura assecuti sunt, quæ eo facilior fuit, quod mox bis illud προϊέναι, semel etiam προέρχομαι repetatur. Lib. III pag. 172 ἀδελφὰς, pro ἀδελφὲς ex MS. & Zonara, tum ex versionibus Philelphi & Gabrielii, &, quod potissimum, ex fide historica legentium exhibuit. Iidem fere autores fecerunt, ut jam pag. 178 habeamus: ἢ φθάσαι, ἢ ἀποβιάσασθαι, ubi alii libri dabant: φωράσαι, ἢ ἐπιβιάσασθαι, item eadem pagina ex MS. ὥςε πρόσωθεν ἔφθασας, ubi alii πρόσθεν exhibent, *Stephanus* autem & *Leunclavius* πόῤῥωθεν substituere voluerunt. Prior tamen illa lectio: φθάσαι ἢ ἀποβιάσασθαι etiam in Ed. Basileensi A. 1555 & aliis habetur. Pag. 220 restituit: διαῤῥήσειαν

ἐν

ἐν ἅπασιν (quod alii in margine exhibere solebant) quoniam *Bodlejanus* Codex offerebat: θαῤῥήσωσιν ἂν ἅπασιν, ut saltem ἂν in ἐν esset mutandum. Lib. IV pag. 289 idem Codex *Leunclavii* correctionem τȢ ἐπικάλει, in ἀπεκάλει confirmat, atque hoc jam in textu legitur; ut & : καὶ ὅτως ἀφικνȢνται, quod versiones aliorum confirmant, non καὶ ὅτοι δὴ ἐφικνȢνται, aut καὶ ὅτοι δὴ ἀφικνȢνται. Idem codex pag. 311 adstruit: ἃ μὲν οἱ μάγοι ἔφασαν, ubi alii: τὰ μὲν σιγῇ ἔφασαν, ex quibus verbis nullam idoneam sententiam elici posse putat. Lib. V pag. 343 *Bodlejanus* ille suppeditavit: ἀναθρέψαι τὸ φρόνημα, ubi alii contrario prorsus sensu ἀνατρέψαι. Lib. VII pag. 545 ex isto MS. reposuit: ταῦτα ἄριςα εἶναι, ubi alii ἄριςοι. Atque hæc de usu MS. *Bodlejani* in emendando Xenophonte. Ex omnibus tamen illis cognoscas, Cl. *Hutchinsonum* non solum librum manu exaratum, sed & alios duces secutum esse, ut omnes istas emendationes modo *Stephanum, Muretum, Leunclavium* conjectura præcepisse, modo ab editione Etonensi aut Versionibus *Philelphi* & *Gabrielii* indicatas esse. Experitur tamen & ipse, licet rarius, conjecturas. Sic Lib. VII pag. 481 ex Arriano emendandum censet: πρὸς κέρας, ἧπερ ἀσθενέςερον ςράτευμα γίγνεται, ubi vulgo ὥσπερ circumfertur, *Budæus* autem ᾗπερ substituendum censuerat, quod forte ab Arriani ἧπερ non est diversum. Non tamen ita proclivis est ad immutandum & solicitandum omnia, ut non sibi, ubi res postulat, temperet. Imo recte Lib. VI pag. 454 deserit MStum suum, qui habet ὡς ἥκιστα, licet id expresserit in versione sua *Philelphus*, cum recepta lectio ὡς οὐδὲν satis commoda sit. Ita & Lib. I pag. 76 vulgatum ςρατιᾶς, contra *Stephani* & *Leunclavii* ςρατηγίας, & pag. 81 receptum ἐπεὶ δὲ contra Lamberti Bos ἐπὶ δὲ defendit. Lib. autem II pag. 133 ἅρμα δίκαιον a *Leunclavii* novatione probe vindicat. Obiter etiam alios autores emaculat, ut ad Lib. III pag. 233 Hesychium. Obiter quoque ad Lib. V pag. 377 invehitur in Herodiani interpretem, bonum illum Ang. Politianum, qui tamen eo loco nihil peccasse videtur. Fortassis idem dicendum de vulgata lectione Lib. III pag. 229: ἐν μέλλουσι τοιαῦται διάνοιαι ἐγγράφήσεσθαι ἀνθρώποις καὶ ἐμ-

μονοι ἔσεσθαι, pro qua Noster, *Leunclavium* secutus, supposuit ἐγγενήσεσθαί ἀνθρώποις, alii autem ἐντραφήσεσθαι ostentant. Si dicendum, quod res est, & ἐγγενήσεσθαι, & ἐντραφήσεσθαι sciolorum interpretationes sunt. Alterum enim apud Græcos frequentissimum est, ubi impressionem firmam denotare volunt. Pindarus Olymp. X ἐγγέγραπται ταῖς φρεσί. Æschylus Prometh. vinct. v. 788: Σοὶ πρῶτον Ἰοῖ πολύδονον πλάνην φράσω, ἣν ἐγγράφου σὺ μνήμοσιν δέλτοις φρενῶν. Adde eundem Coëhph. v. 449. Eumenid. v. 275, & aliis aliquot locis. Ita & *Gregorius Nazianzenus* de Decalogo: σὺ δέ μοι ἔγγραφε σῇ καρδίῃ, & ipse D. *Paulus*: ἡ ἐπιστολὴ ἡμῶν ὑμεῖς ἐστε, ἐγγεγραμμένη ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν. Omittimus alia. Sed vel hæc evincant, vulgatam lectionem bene locum suum tueri posse. Ne dicam, mox sequi apud Xenophontem: ἕως ἂν ἐγγένηται αὐτοῖς, ut merito alii verbo illic faveamus. De emendationibus hactenus. Plura autem præstitit Cl. *Hutchinson*, quorum & nos mentionem facere debemus. Latinam versionem innumeris locis emendavit, & textui Græco atque adeo menti Autoris accommodavit. Veremur tamen, ne aliæ versiones interdum injuria redarguantur ut ineptæ. Exemplo rem declarabimus. Lib. IV pag. 292 particulam *si*, post verbum *miror* non recte poni existimat, si Græcum θαυμάζω εἰ juste exprimere velis; quia in Græco non *dubia*, sed *certa* admirationis causa exprimitur. At ita prorsus etiam Latini, qui *miror, si; mirum, nisi* adhibent, ubi causa admirationis vel certissima redditur. Eodem modo Lib. I p. 5 optime vindicat istam scripturam τῷ ἀφ' ἑαυτοῦ φόβῳ, quod neque male interpretatur *sui terrore*. Sed & Livius dixit *metus a Philippo*, Sallustius *metus a Tarquinio*, ipse Arnobius *metus ab illis*, plane ut Xenophon *terrore ab se*. In annotationibus autem non talia modo excutiuntur, sed observationes quoque varii generis adjectas videre licet. Modo illustres sententiæ ex aliis scriptoribus confirmantur, modo quæ ad interpretationem & intellectum singularium formularum pertinent, traduntur. In iis eminent, quæ ex Xenophonte ad vindicandum stilum Novi Testamenti peti possunt: quales observationes hic sunt valde frequentes. Et quanquam in notis

notis ipsis nuspiam a nobis repertum sit, Cl. *Raphelium* nostratem pridem istam operam occupasse, in Præfatione tamen palam profitetur Cl. Editor, se viro illi doctissimo pleraque ejus generis debere. Notæ ipsæ, prout res tulit, sunt satis adstrictæ: miramur tamen, qui factum, ut tot vulgares & protritæ observationes admiscerentur. Ita statim ad Lib. I p. 5 annotatum videas *ἀρξηται* verbum *πλεονάζειν* videri. Ad Lib. III p. 232 de *tessera militari* dicta reperias; ad Lib. IV p. 284 de ritu Persarum, quem *προσκυνεῖν* Græci vocant, & qui tironibus ex Corn. Nepote notissimus est, observationem legas, quæ, quod vix credibile, infra ad Lib. VII iteratur. Quæ ad Lib. VII p. 530 de lachrymis præ gaudio effusis, & ad pag. 547 de dicto Cyri: majoris esse virtutis parta tueri, quam primum acquirere, afferuntur, ea toties ab aliis inculcata sunt, & tot variorum scriptorum dictis adstructa, ut cumulum horreamus. Sed neque id institutum reprehendimus, maxime si recolimus, in his permissum esse & ingenio indulgere, & nonnullis lectoribus gratificari. Finem operi imponunt Indices, quorum primus voces Persicas explicat, secundus vocabula ad rem militarem spectantia interpretatur, tertius autem res memorabiles exhibet.

JO. BURCH. MENCKENII SCRIPTOres rerum German. maxime Saxonicarum &c.

Tomus III.

Conf. Mense superiori p. 241 seq.

UT de reliquis etiam scriptis, quæ hoc Tomo continentur, Lectori nostro constet, exstat XVI *Enochi Widemanni, Schola Curiens. Rect. Chronicon Curiæ, seu rerum, quæ Curiæ Regnitianæ ad Salam & in universa Variscia a primis initiis ad A. 1597 acciderunt.* Prodit hoc Chronicon in lucem, ab Autore quidem vernacula conscriptum & prelo paratum, nunc vero in exterorum gratiam a Cl. *Haltaussio* latine versum. *Jo. Christoph. Layrizius*, Gymn. Curiensis Rector, in *prodromo Historiæ Curiensis*, per modum programmatum vulgato, Chronicon hoc *immensis fere laboribus collectum* profitetur, ut plures sileamus; p. 629.

licet

licet non desint, quorum commodis non ubique prospectum, quique adeo malint Autorem partium studii accusare. Quanquam vero Autor A. 1615 demum d. 17 Dec. anno ætatis 65, e vivis sublatus sit, & libri hujus Codex unus in Curia usque ad A. 1608, ac alter in Bibl. *Jo. Georg. Schmidii*, Consiliarii Baruthini, ad A. 1612, iterumque ab A. 1633 ad 1643, una cum schediasmate de doctis Curiensibus, continuatus extent, de his tamen Supplementis solicitus haud fuit Cel. *Menckenius*, secutus tres Codices, qui omnes in A 1597 desinebant, etsi in ceteris alter altero præstaret. Namque cetera aliis Autoribus deberi videbantur, præsertim cum *Jo. Andr. Planerus in Hist. Variscia p. 3* testetur, se beneficio Consulis Curiensis vidisse & pervolvisse ipsum αὐτόγραφον Widemanni A. 1592 *confectum*, sive, ut Noster interpretatur, ad finem perductum. Glaciem hic Autor fregit, primus omnium Varisciæ historicorum, qui diplomata & chartas publicas passim Chronico inseruit, ac in rebus ad Ecclesiæ reformationem spe-
p. 698. ctantibus solus fere sapit. Legi in eo merentur Leges Burggravii Norib. hic insertæ, *de jure mellicidii, Zeidler Recht*, inter quas illa, quod qui apiarium effregerit, æque ut sacrilegus, seu qui templa effregerit, sit puniendus, de quo pœnæ rigore consulatur *Wagenseil* de Judiciis Reip. Norib. & *Hert.* Diss. de Consultat. LL. & Judiciis in Special. Rom. Imp. Rebuspubl. §. 31; & præterea
708. vetusta Curiæ statuta, unde discimus, homicidium non capite,
710. sed mulcta puniendum, quod & Augustæ Vindel. quondam obtinuisse, testatur *Gassarus* in Scriptor. hisce T. I p. 1458. XVII
713. *Jo. Othonis Catalogus omnium Episcoporum & Archi-Episcoporum Bremensium.* Non recondita continet hic libellus, tanta tamen prudentia & elegantia est concinnatus, ut eum e Bibliotheca Nob. *Jo. Henrici Eggelingi*, Syndici Reip. Bremensis, redemtum, publico haud invidendum putarit Noster. De Autore libri, nunc demum prelo subjecti, nihil innotuit, præterquam quod Lunæburgi natus, vixerit Bremæ A. 1580, quo desinit cum pio voto pro Henrico III, illius temporis Archi-Episcopo. Equidem ante oculos habuisse videtur *Henrici Wolteri* Chronicon Archi-Episcopatus Bremensis, in *Meibomii* Script. Germ. T. II exhibitum, cum quo tamen non convenit, sive res, sive ser-

monem

monem spectes, qui in nostro tersior multo deprehenditur. Jungitur huic XVIII *Breve Chronicon Ecclesiæ Hamelensis, Autore Joanne de Poelde A. 1374 conscriptum.* Ediderat quidem illud *Meibomius* T. II Collectionis suæ, merebatur tamen hic locum, quod accederent Codici huic, qui & melior *Meibomiano*, Cl. *Reichenii* & *Spilkeri* additamenta, vernacula licet, nec ante multos forte annos consignata, de pristinis urbis Hamelensis dominis lectu non indigna. Fuit Autor, de quo nihil *Meibomius*, Canonicus Hamelensis Senior, ut ipse testatur, unde & Ecclesiæ suæ commoda apud Ernestum Ducem Brunsuic. procuravit. Refert ipse, se Legendam Bonifacii abbreviasse, ac partem priorem Chronici sui ex vita S. Bonifacii, posteriorem vero ex decem Diplomatibus collegisse. Et pridem ex eo observavit *Sagittarius* Antiqu. Gentil. & Christ. Thur. p. 138, *Leznerum* perperam vocare Comitissam, Ecclesiæ hujus fundatricem, *de Osten*, cum ex nostro pateat, locum, in quo ipsa dominabatur cum marito, dictum fuisse *Ostende*. Memorabilia sunt inprimis, quæ Autor de Advocatia Ebersteiniis collata, & venditione Mindensi Episcopo facta, indeque orto prælio annotavit. Ordo nos ducit XIX ad *Petri Albini Genealogiam Comitum Leisnicensium, deductam a majoribus Viperti Comitis Groizensis. Petr. Albinum*, gentis nostræ Historicum, Genealogiam Comitum Leisnicensium edidisse, paucis constat, adeo ut a plerisque inter Codices MSCtos haberetur. Etenim cum literatorum suo tempore Mæcenatem, *Henr. Ranzovium*, Regis Danorum per Holsatiam & Ditmarsiam legatum, sibi devincire constituisset *Albinus*, ejus Genealogiam inde a Viperto illo bellicoso, ejusque majoribus, exigua licet veri specie, repetiit, & longa serie per Comites Leisnicenses circumductam, incertum quo loco, A. 1587 in forma octava, sub titulo: *Vipertus*, sive *Origines Ranzovianæ*, edidit, & *Ranzovio* conceptis verbis inscripsit. Alia tamen exemplaria eodem titulo ornata, *Albinus* dedicaverat *Wolfgango, Georgio, Hugoni* & *Vito Baronibus a Schœnburg*. Alia quoque sub ipso titulo *Genealogiæ Comitum Leisnicensium*, hic etiam merito retento, inscripserat Consulibus & Senatoribus urbis Wurcenæ, & forte adhuc alia aliis, quæ ideo monenda fuerunt, ne quis hunc libel-

p. 819

825.

821.

833.

lum sæpius jam fuisse excusum existimet, cum in tot exemplaribus nihil aliud, quam in primo folio titulus libelli, & formula dedicationis sit mutata. Librum huncce rarissimum, Cel. *Christ. Gottlieb Schwarzius*, Prof. Altorfinus, desiderio *Menckenii* nostri excitatus, Commentario luculento elegantissime illustravit, ut dubium relinquatur, majoresne gratiæ debeantur Autori, an Commentatori; utilissimam quoque subjunxit Appendicem, quæ & Commentationem novam de dignitatibus possessionibusque
p. 953. Viperti, & Diplomata varia, tabulasque Genealogicas, & alia dedit, uti ex Præfatione ipsius Appendici præmissa intelligitur. Favit quoque hisce laboribus *Serenissimus Dux Saxo-Gothanus*, ac clementissime annuit, ut Chartarium Altenburgense ad manus
1067. Cl. *Schwarzii* perveniret, qua in re multum se debere fatetur Summe Rev. *Ern. Sal. Cypriano* & Ill. *Jo. Basilio L. B. de Gleichenstein;* neque minus de hoc opere bene meritus est Ill. *Gribnerus* noster, qui cum Cel. *Schwarzio* argumenta quædam ex
Conf. 1105. vetustis Diplomatibus Tabularii Sax. excerpta perbenevole com-
1185. municavit. Habemus hic XX *Annales Erfurtenses vernaculos ab A. 1440 ad 1467, jussu Hartungi, Consulis Erfurt. collectos.* Annales hi vernaculi ex Tabulario Regio producti, fide laudeque digni, in rebus paullo recentioribus versantur. Qui eos e propriis schedis conscribi jussit, multaque ipse, ut ex fine operis patet, addidit, Vir maximæ dignitatis & Consularis, anno demum 1467, quousque Annales producuntur, mortuus, rerum ipsius tempore gestarum, quarum pars magna fuit, curam habuit, & quamvis ipse Annales hos in sacello D. Georgii custodiri optaret, effecit tamen, illo mortuo, Senatus, ut in curia deponerentur. Utrum Codex, ex Tabulario Regio hic prolatus, sit avtographus, an apographus, non liquet: vetustus certe & incorruptus est, eoque minus negligendus, quod *Chronicon Thuringiæ Rohtianum*, Tomo II a Nostro editum, continuare videtur Autor, ab eodem anno eademque re incipiens, ubi *Rohtius* finierat. Multa hic de litibus fratrum, Friderici & Wilhelmi, Ducum Saxoniæ, tentata sæpius concordia, ac conventu Mühlhusiano, præsertim ab Oratoribus Principum ibidem acta recensentur, unde vetus ordo in judiciis disceptandi intelligitur. Quæ de Conrado Kauffun-

gio,

gio, de Vicethumiis, Capistrano aliisque, ac monetæ inprimis mutatione diligenter observat, nunc tacemus. Offert se XXI *Ad. Ursini, Molybergensis, Chronicon Thuringiæ vernaculum, a primis initiis ad A. 1500.* Cum Chronicum Thuringiæ *Rohtianum* Tomo II, ut diximus, in lucem protraheret *Menckenius*, in Præfatione Ursiniani Chronici mentionem simul spemque fecerat ejus imprimendi, saltem ab anno, quo *Rohtianum*, quod sæpe secutus fuit *Ursinus*, definit. Verum cum Vir Cl. *Jo. Tobias Hoffmannus*, Friburgo-Thuringus, Juris ac Historiæ, patriæ præsertim, studiosissimus, *Ursini* Codicem, e Bibliotheca B. *Ad. Rechenbergii* Nostri quondam comparatum, & notulis nonnullis conspersum, obtulisset, atque hic in antiquitatibus longe aliter versari videretur ac *Rohtius*, multaque passim contineret, quæ in Rohtio frustra quæruntur, hinc librum integrum, demtis saltem, ne bis eadem recoquerentur, locis apud *Rohtium* iisdem pæne verbis extantibus, in lucem edidit Cel. *Menckenius*, maxime cum, illis omissis, opus ad paucas plagulas rediret. Mathematicum fuisse *Ursinum*, testantur *Jo. Sauerus in Theatro Urbium p. 223* & *Mart. Zeillerus in Topogr. Sax. Sup. p. 139*, & inter doctos Mühlburgenses Thuringos eum laudant *Mart. Christoph. Laurentius* in monument. Suevor. in Doringia, & personatus *Melissanter* seu *Jo. Gottfried Gregorius von Bergschlössern* p. 69. Absolutum esse opus A. 1547, titulus loquitur Codicis, licet historia saltem ad A. 1500 perducatur, unde fallitur *Georg. Mich. Pfefferkorn in merckwürdigen Geschichten von der Landgraffschafft Thüringen p. 11.*, *Ursinum* hunc, vulgo *Bæhring*, Chronicon suum ad A. 1517 deduxisse perhibens. Opus diu nimis presserat Autor, cum ipsius tempore *Cyr. Spangenberg*, qui de Opere hoc prodituro spem fecerat in Chron. Mansfeld. P. I c. 278, in Epistolis ad *Marc. Wagnerum*, hujus libro vernaculo *de Regno Thuringiæ* præmissis, *Epist. 16* & *20* valde de cunctatione illa queratur. Interim patet, librum MSCtum fuisse in manibus *Casp. Sagittarii*, qui in Antiquitat. Regni Thuringici L. II c. 9 §. 5 integrum locum inde exscripsit, & *Tenzelii*, qui tamen *Ursini* Chronicon cum *Rohtiano* videtur confundere. Continuationem hujus Chronici extare in Bibliotheca publica Fran-

p. 1239.

cofurti ad Mœnum, jam dictum in *Præf. cit.* verum cum contineat a nostris temporibus haud adeo remota, nec de Autore aut libri dignitate satis constet, de comparando hoc supplemento minus fuit solicitus Cl. Editor.

p. 1361. Sistitur hic XXII *Historia Belli Schmalcaldici, cum Sebastiani Schertelii a Burtembach Commentario de rebus a se bello gestis.* Opus vernaculum, cedro dignum, e Bibliotheca Ill. nunc B. *Krafft de Delmensingen*, Reip. August. Consulis, producitur, *Historia* nempe *belli Schmalcaldici*, non universi quidem, sed rerum saltem A. 1546 gestarum, *dem Oberländischen Kriegshandel*, ut ipse vocat, ab initio belli usque ad deditionem urbis Augustanæ, magna fide conscripta, & illis opposita, quæ Pontificii Scriptores impudenter commenti sunt, speciatim *Ludovicus ab Avila*, cujus loca suspecta in gratiam lectoris textui hic subjiciuntur. Docet inprimis Autor, quibus de causis exercitus Protestantium nihil præclari gesserit contra Cæsarem, quæque Hispani atque Itali avare atque crudeliter per Germaniam patraverint, & *Avilæ* inprimis fraudes ac mendacia detegit, salse eadem confutans. Ex ipso opere patet, Autorem fuisse hominem Germana fide, religioni Evangelicæ sincere addictum, qui patriæ religionisque libertatem scriptis & armis, etiam cum bonorum, existimationis ac vitæ discrimine, tutatus est. Idem vero *Sebast. Schertelius, Schertlinus* in hoc Codice vocatus, *a Burtenbach*, cujus vitæ Compendium ab ipso scriptum sub finem Codicis exhibitum fuit, Historiæ pariter de *bello Schmalcaldico* Autor extitisse videtur, cui bene congruunt elogia & in titulo & p. 1483 hic commemorata. Accedit, quod consilia, dicta & facta *Schertelii* tam accurate tamque copiose in toto scripto exponantur, ut potiorem illius partem constituant, quæ nec alii cuiquam tam bene perspecta esse potuerunt, & optime præterea respondent iis, quæ sub finem addita sunt ipsius manu, teste filio, consignata. Nec negligendum, librum desinere, postquam *Schertelius* jussu Cæsaris Augusta discessit in exilium, & *bello Schmalcaldico* non amplius interfuit; porro quod singularem prodat indignationem, quando *Avilam* asseruisse refert, *Schertelium* stipatorem quondam fuisse Cæsaris, eundemque in direptione urbis Romæ commilitonibus mensam habuisse venalem;

lem; ac quod convitiis Senatores quosdam Augustanos, ejus ex urbe discessum urgentes, oneret, quæ quidem sua non facit Editor. Et quamvis se nescire fingat *Schertelius*, qua re potissimum mo- p. 1476.
tus ipse Augusta excesserit, & num a Senatu promissa disceden- ti fuerint præstita; cum tamen in margine Codicis legatur: *ist beschehen*, i. e. *impletum est*, simulasse tantum hæc videtur, ne Autorem libri se publice fateretur. Neque illud adversatur, quod major passim Latinæ linguæ, Juris publici & Historiæ antiquæ cognitio appareat, quam ab homine per omnem fere vitam mi- litiam secuto expectaveris. Nam & Epitaphium ejus docet, 1502.
Adolescentem Musas coluisse, & *Nic. Mameranus* in Catal. expe- ditionis rebellium Princ. ac Civit. sub *Jo. Friderico* & *Phil. Hasso* vocat eum *Latine doctum*: addit *Mart. Crusius* in Annal. Suev. eum A. 1515 Philosophiæ Magistrum Tubingæ renuntiatum fuis- se, quo facto demum Autor signa secutus, ad summam usque belli præfecturam pervenit; plura de illo desiderantes evolvant *Sleidanum*, *Thuanum*, *Velserum* in Chron. Augustano, & inpri- mis *Seckendorfium*, *Schertelii* ex stirpe materna abnepotem, qui diarium ejus nostro, ut videtur, locupletius in manibus se ha- buisse testatur in *Comment. de Lutheran.* L. II p. 68 sq. Lectu 1503.
non indigna est XXIII *Herm. a Kerssenbroch Narratio de obsidione Monasteriensi*, *seu de bello Anabaptistico*. No- tus jam est *Kerssenbrochius Catalogo Episcoporum Padi- bornensium eorumque actis*, Lemgoviæ 1578 in forma octava editis: hæc tamen Narratio inter Bibliothecarum ci- melia hactenus delituit. Autorem fide dignum, & Historiam rerum sub oculis ejus gestarum adeo probatam fuisse ipsi Capi- tulo Monasteriensi constat, ut *Chytræo* teste in *Saxon.* L. VIII p. 471, cum Franciscus Præsul Monasterii apud Pontificem in su- spicionem hæreseos fuisset adductus, Capitulum ejus purgandi causa Romam miserit *Jo. Bolandi* & *Hermanni a Kerssenbroch* scripta, bellum contra Anabaptistas a Francisco susceptum & confectum complexa. De Autore nihil habemus certi, nisi quod ipse in Epistola Dedic. Catalogi memorati ad Henricum Ducem Sax. & Archi-Ep. Bremensem & Ep. Padibornensem A. 1578 scri- pta nomini suo adscribat: *Scholæ Padibornensis & Collegii Sa- lentiniani moderator*: ex qua epistola simul patet, Autorem

variorum injuriis fuisse impetitum, & conditionem ejus parum fuisse lautam. XXIV *Anonymi Chronicon Bohemiæ, ab origine Ducum usque ad A. 1329 deductum, & cum aliis Scriptoribus rerum Bohemicarum collatum; e Bibliotheca Menckeniana* cum lectoribus communicatur. De Autore libri plane non constat, & quamvis in fine legatur: *L. D. P. de K. explicit Chronica Bohemicalis feria IV ante S. Elisabeth Anno Dom. 1467*; Autorisne tamen, an Librarii nomen & ætas hic indicetur, non decernimus. Equidem in antiquis *Cosmam* fere in compendium mittit, stylo præterea barbaro utitur, luce tamen ideo dignus, quod varia passim Diplomata inseruit, præcipue sub Johanne Rege tabulas Ducum Silesiæ, quibus terras suas a Regno Bohemiæ in feudum recipiunt. Continet quoque apud alios minime obvia, uti de pactis reconciliationis inter Ottonem III & Precislaum Bohemum, de solennibus in Coronatione Regum Bohemiæ adhibendis, & cum ex Friderici Barbarossæ Diplomate probat: *propter excellentiam Imperialis coronæ, coronas Regum circulos ab Imperatoribus vocatas fuisse*: ut plura taceamus. Locum hic invenere XXV *Cosmæ Pragensis Chronicæ Bohæmorum Libri III; collati cum membrana Tabularii Dresdensis.* Post recusam alteram hujus operis rarissimam editionem Freheri, Cel. *Schwarzii* notis auctam, nihil superesse videbatur; Codex tamen in Regio Tabulario asservatus tam diversus inventus ab edito, ut accuratam collationem exposceret, quem utique probabile est circa finem seculi XIII scriptum fuisse. Emendationes præcipue nominum propriorum magni omnino sunt momenti, ut inspicienti facile patebit. Ad finem Lib. I p. 1782 accedit bene longa oratio de exordio, Abbatibus quatuor prioribus, & fatis Zazovensis Monasterii, & passim alibi Zazovensia immiscentur: quæ certe non *Cosmæ* sunt, sed Continuatoris, qui & mortem *Cosmæ* p. 1800 A. annotavit, & in eodem Zazov. monasterio vixisse videtur, interpolationes. Id quod apparet: 1) quia p. 1802, C. hic Continuator ait: *se supra* (scil. in Libro III *Cosmæ* p. 1794 D.) *mentionem Diethardi Abbatis fecisse*. Et ibid. p. 1802 D. *quod superius promisimus absolvere*. Promiserat autem p. 1798 B. Ceterum in continuatione singu-

laria

Margin notes: p. 1617. (beside "ne Ducum usque ad A. 1329"); 1655. (beside "quibus terras suas"); 1671. (beside "tinet quoque"); 1703. (beside "in Coronatione"); 1771. (beside "lis coronæ"); T. II, p. 1955. (beside "sis Chronicæ Bohæmorum")

laria hæc observanda: p. 1800 C. Lotharius Imp. sibi & Imperio vindicare nitebatur jus etiam eligendi Ducem Bohem. Sed Dux Sobeslaus p. 1801, A. contendebat, electionem nunquam fuisse in Imperatoris, semper autem in Bohemiæ Principum arbitrio, penes Imperatorem vero solam fuisse electionis confirmationem: p. 1806, A. Fridericus Barbarossa dicitur Wladislaum Bohem. Ducem donasse corona, qua ipse Imperator in summis festivitatibus utebatur. Et tamen in Anonymi Chron. Boh. p. 1704, B. supra ipse Cæsar in suis literis testatur, se *circulum* ei gestandum concessisse; circuli autem Regales dicebantur ad differentiam coronæ Imperialis. Ibid. p. 1806, B. ad A. 1159, eleganter de Jure Imperatoris & Imperii in ordinanda sede Romana traditur: Daniel Ep. Prag. *utraque persona Cæsaris & totius regni* Concilio Romano præfuit, & in eo *coram cunctis regni Principibus* & CL Episcopis Victor Papa electus est. Denique non omittendum, p. 1799 Presbyteri adhuc uxorati mentionem esse factam; & p. 1804 A. ad A. 1143 tradi, Legatum Apostolicum separasse sacerdotes ab uxoribus. Singulare lector pretium statuet XXVI *Benj. Leuberi, JC. Catalogo Regum, Electorum, Ducum, Comitum, Marchionum ac Palatinorum veterum potentiorum Saxoniæ, Misniæ ac Thuringiæ ut & Marchionum, Comitum, Baronum ac Toparcharum paullo recentiorum, quorum memoria in Saxoniæ Super. Circulo exstat.* Stupendi laboris opus molitus erat *Leuberus*, Dresdensis, J. U. D. causarum Patronus, & Cameræ Lusaticæ Procurator, incomparabili libro de *stapula Saxonica* notissimus. Namque meditatus est sub *Quartæ Monarchiæ* nomine Opus ingens, cujus Librum I typis subjecit, sub titulo: *Quarta Monarchia Lib. I* seu *Catalogus Impp. Regum, Principum Rom.* (quo nomine universos Orbis Romani imperantes complectitur) *Autore Benj. Leubero, J. U. D. Advocato, cum privilegio Ser. Dn. Elect. Sax. Dresdæ 1643, in folio*, cujus exemplar ad *Menckenium* Cel. delatum, nulli ferme innotuit, adeo ut juris publici factum fuisse haud videatur, maxime cum nec exemplum illud integrum sit, ut & *Synchronismus Principum*, in eodem Volumine contentus, & ab anno ante C. N. 50 ad A. 1538 de- p. 1809.

du-

ductus, nec alius præmittatur titulus, quam ille, qui multo ante, quam opus inprimi cœpit, æri videtur incisus, nec ullum librarii fiat indicium, unde Autor sumtuum forsan suppeditatorum pertæsus, opus affectum reliquit. Facta inde cum Ampl. *Jo. Friderico Weidlero*, J.V.D. & Mathematum Prof. Vitemb. permutatione, ad manus *Menckenii* pervenerat Codex *Leuberi* avtographus, prelo prorsus paratus, & familias Ill. Germaniæ Comitum, Baronum ac Dynastarum prope mille & sexcentas, secundum ordinem X Circulorum digestas, complexus, quem *Monarchiæ Quartæ Librum III* inscripserat Autor. Verum ne collectioni huic inferretur, obstabat libri moles, oblatis præsertim aliis minime omittendis; & cum Vir. Ill. *Mich. Henr. Gribnerus Librum II Monarchiæ Leuberianæ* avtographum, præter alia, Saxoniæ nostræ Comites, Marchiones, Burggravios vetustiores continentem, benignissime communicaret, omnia, quæ ad vetustos Saxoniæ Thuringiæque Reges, ad Duces item, Comites ac Dynastas Saxoniæ Sup. spectant, e tribus hisce libris decerpsit Cel. *Menckenius*, & hoc loco publici juris fecit, sub peculiaribus titulis indicans, quæ ex quovis libro sint decerpta. Equidem una eademque familia bina vice, ut Beichlingiana in Libro II & III, occurrere videtur, quod tamen institutum Autoris, qui in illo vetustissimas, in hoc paullo recentiores excussit, postulabat, cum longe diversa utrinque inveniantur. Quod ad methodum, præmittit generatim de quavis familia notatu digna, inde eorum, penes quos rerum summa sive in Ducatu sive in Comitatu vel Dynastia fuit, nomina inde a primis initiis per Decurias refert, addito anno, quo ad regimen pervenerunt, vel certe floruerunt, eosque, qui rerum habenas, & quousque simul tenuere, indicat, lacunas vero, quas subinde, sed paucas, reperit, aliis supplendas relinquit, & quamvis genealogias exponere non constituerit, sed eos tantum memorare, qui ex quaque familia in Toparchiatu sibi successerunt; quoties tamen occurrit, qui proxime antecedentem patrem non habet, ostendit breviter, cujus ille filius fuerit, ut adeo, quo jure successerit, pateat; licet forte plura de successionibus singulorum quidam non immerito optaverint. Interim apparet, Autori longe plurima Diplomata, in

in historia inprimis Dynastarum fuisse consulenda, ut suam cuique ætatem recte assignaret, quæ si voluisset indicare, rem certe fecisset vix pretio æstimandam. Ceterum spem facit Editor Cel. fore, ut Typographus horum Scriptorum solertissimus, si hæc non displicere cognoverit, integrum *Leuberi Librum III*, tot scilicet Germaniæ nostræ familias Nobilissimas illustrantem, ea, qua suevit, industria in lucem protrahat. Subjungitur huic XXVII *Diplomatarium Caroli IV Imp. & Boh. Regis, ex Cod. chartaceo Bibliothecæ Acad. Lips.* p. 2009.
Apographi hujus ratio habenda erat in seculo hoc vere diplomatico, licet compilator annum & diem non adscripserit, cum Juri Publico & Historiæ Germ. lucem affundat clarissimam, e quibus pauca afferemus. Carolus IV Theodorico Abbati Corbejæ potestatem concedit constituendi liberos Comites, vulgo *Freygrafen*, Judicii Westfalici, ubi de silentio & secretis Scabinorum, qua de re elegantissima extat Comment. *Menckenii* nostri de Feimeris A. 1707 e cathedra defensa. Idem Imperator Præposito Susanensi largitur privilegium, nomine Cæsaris preces primarias faciendi in Ecclesiis transrhenanis. Num Augustæ jus primariarum precum competat, contra *Mulz.* in Repræs. Maj. Imp. P. II c. 33 n. 247, ex Diplomate Eleonoræ, Imp. Friderici III Conjugis, probantem, negat Ill. *Gribner.* Opusc. T. 4 s. §. 14 not. Alii id ex communicatione Imperatoris admittunt saltem in collegiis fœminarum religiosis; verum hæc gratis dici, monstrat Diploma Annæ, Caroli IV uxoris, quo preces primarias dirigit ad Præceptorem Ord. S. Joh. Hospit. Hierus. per Alemanniam, & Jus hoc Imperatricibus & Reginis Rom. competere ait *tam ex jure, quam ex approbata consuetudine.* Accedunt Diplomata Sigismundi de causis civilibus tam Clericorum quam Laicorum in foro civili componendis; & unum Friderici III, quo Æneam Sylvium, postea Pontificem, lauro Poetarum donat. Agmen claudit XXVIII *Erasmi Stellæ, vulgo Stüler, de origine, vetustate, appellatione & regionibus Tubantinorum, Cygneorum, Libanothanorum, Misnensium, nec non Molbii fluminis descriptio.* Rubrum hujus carminis exhibetur ex veteri Codice MSC. vix vero id convenire existimandum est cum altero ejus opusculo, quod suo adhuc tempore ineditum memorat *Albinus*,

2031. 2010. 2011. 2037. 2039. 2040.

Chron. Misnens. p. 302 & 340 sub tit. *de populis & rebus priscis oræ inter Salam & Albim*, quod prosa oratione compositum esse, ex *Albini* locis excerptis patet, nec poema hoc typis excusum prodiisse antehac, ex *Albino* videtur verosimile, cum loc. cit. ex professo de *Stella* scriptisque ejus agens, hujus mentionem prætermiserit. Libonothanum se ipsum vocat; utrum vero Cygneus fuerit, ut plerique sentiunt, an vero, ut alii, Lipsiensis, *Albinus* in medio relinquit. Interim Philosophiæ & Medicinæ Doctorem fuisse, atque Cygneæ Proconsulis, & Physici muneribus esse functum, præterea in rebus naturalibus probe versatum, de Gemmis librum reliquisse, *Gesnero* laudatum, dubio ca-
p. 2053. ret. *Albinus* quidem, quæ *Stella* tentaverat in Historia patriæ, non omnia probat, sed id tribuendum tempori esse fatetur. Tandem Observatiunculas doctissimas in III hosce Tomos subjunxit Nob. *Haltaufs*, sæpius laudatus, qui & pleraque ex Codicibus accurate descripsit, & *Indicem* additurus *luculentissimum*, qui nunc comparet, illi interserere notulas sub manu natas voluit, quas ut seorsim ederet hoc loco, autor ei fuit Cel. *Menckenius*: ex his vero intelligent lectores, quid Orbis eruditus de illo sibi polliceri queat. Opus itaque jam pridem desideratum & Germaniæ & Saxoniæ nostræ præsertim utilissimum felici sidere nunc conspicimus finitum, quod ut fieret, nec impensis haud mediocribus, nec viribus, quantum per fractam annis hisce valetudinem licuit, pepercit *Menckenius* noster, cujus ut Deus ter Opt. Max. vires instauret, vitamque & senectutem, quam fere ingressus est, longam ac felicem ei largiatur, boni omnes nobiscum precantur.

Des H. Theophili drey Bücher an Autolycum.

i. e.

S. THEOPHILI, EPISCOPI VI ANTIOcheni, Libri III ad Autolycum, doctum inter gentes Virum, in quibus, reprehensa superstitione, Christianæ religionis veritas asseritur, e Græco in Germanorum vernaculam traducti, atque Præfatione & observationibus aucti a GUSTAVO

GUSTAVO CHRISTOPH. HOSMANNO, ad Div. Nicol. apud Kilonienſ. V. D. M.

Hamburgi, apud vid. Th. Chr. Felgineri, 1729, 8. Plag. 20.

CUm Plur. Rev. Autor vel e controverſia de rebus Chronologicis cum Cl. *Kohlreiſſio* aliquandiu reciprocata nomen jam inter eruditos conſecutus ſit, de novo hoc ejus fœtu nonnihil hic memorare operæ pretium fuerit. Equidem de editione librorum *Theophili* hujus Antiocheni græco-latina recentiori, ac perquam nitida, quam curis debemus Cel. *Jo. Chriſtoph. Wolfii*, Theologi Hamburgenſ. in Actis noſtris A. 1724 Menſ. Febr. dictum eſſe meminimus, atque adeo nec de librorum horum argumento nec pretio jam aliquid repetendum eſſe ducimus. In genere autem calculum non tantum noſtrum, ſed & bonorum omnium impetrare exiſtimamus inſtitutum illud, quod, uti ſcriptorum hucusque profanorum quædam monumenta, ita & Eccleſiaſticorum quæ habentur præſtantiora in idioma noſtrum transferri incipiant, cum id linguæ noſtræ non modo gloriæ ſit, ſed & decori ejusdem magis magisque augendo provehendoque inſerviat. Atque ita exterarum aliarum nationum morem imitantur ac æmulantur Germani, a quibus, ut taceamus exempla aliunde petenda, jam habemus verſionem horum *Theophili* librorum in linguam Anglicam, a *Joſepho Betty*, M. A. Oxon. A. 1722, in 8 vulgatam, & optarunt dudum Belgæ, eandem quoque in ſuum idioma transferri, ut ex recenſione Ephemeridum Belgicarum (*Republyk der Geleerden* A. 1724, M. Jul. & Aug. n. 1) patet, licet, quantum nobis conſtat, Interpres jam noſter horum deſideria & vota verſione ſua quodammodo anteverterit.

Quam bene autem transferendi officio hic noſter Interpres functus ſit, tum ex fide ejus accurata, tum ex dictionis elegantia, quam ad negotium hoc attulit, rectius æſtimare licebit. Fidem ſuam vel in eo probavit maxime, quod ex primi Græcique textus originalis fontibus hos rivos ſuos derivarit, atque ad ejus, quam ex editione *Wolfiana* habere licuit, integritatem,

neutiquam vero ad translationum aliarum fidem hanc versionem suam exegerit. Comprobant hoc potissimum notæ & observationes, textui translato passim subjectæ, in quibus plus simplici vice rationem reddit, ubi non modo ab Angli, sed & Latini nonnunquam Interpretis rationibus sibi recedendum, atque ad avthentici textus συνάφειαν recurrendum fuerit. Idque vel ita curate tenet, ut in locis dubiis & in Græco fonte corruptis nec suis, nec aliorum Interpretum aut Criticorum Commentatorum conjecturis indulgere voluerit, sed, quam habemus lectionem Græcam, ad verbum reddiderit, cujus rei primum documentum nobis observatum habetur Lib. I §. V not. (f) p. 5 hujus versionis, quod instar speciminis esse poterit. De dictionis porro elegantia Germano Lectori judicium relinquimus. Ceterum in eo Noster a reliquis, quantum scimus, de *Theophilo* scriptoribus discessit, quod confidit, *Theophilum* Judaicæ potius quam Ethnicæ gentis propaginem, ac ante suum quidem ad Christianorum sacra accessum, Sadducæorum familiæ addictum fuisse, idque in Præfatione rationibus non contemnendis probat. Quod ad Observationes textui, ut diximus, subjectas attinet, non est, ut plura dicamus. Enim vero cum in Appendice de V Capitibus, quibus occasionem dederat *Theophilus* in libris suis, paulo distinctius pleniusque disputet, nonnihil de iis addere lubet. Prima est demonstratio immortalitatis animæ humanæ, ex creationis suæ modo, quam *Hosmannus* p. 187 sqq. productis omnibus hujus causæ rationibus & præsidiis egregie firmare & exornare nititur. Secundum est de apparitione Dei in paradiso, quo in Capite sententiam *Theophili* sui haud probat, sed ab ea discedit. Tertium firmat necessitatem antiquitatis Scripturæ Mosaicæ, præeunte *Theophilo*, tuendam. Quartam literarium Salomonem inter Hiramumque commercium in idioma nostrum transfusum exhibet. Quintum *Theophili* rationes Chronologicas edisserit, & quomodo ad Autoris hypotheses alibi propugnatas revocari possint, condocet. Tandem etiam velut ἐπίμετρον Volumini huic ab Autore adjecta est farrago Observationum seu Cogitationum *Jo. Lightfooti* in varia Geneseos loca, quarum partem ad Cap. IX *Genes.* productam D. *Sigismundus Hosmannus*, Nostri parens, jam ante

ante hos 30 annos ex versione sua ad calcem editionis opusculorum *Jo. d'Espagne* vulgaverat. Harum igitur ad finem usque libri partem reliquam hic loco haud incongruo exhibet Noster; quod multa in iis sint, quæ ab argumentis a *Theophilo* pertractatis haud abludant: cujus etiam rei non obscura vestigia in Libro III *Theophili* nos deprehendisse existimamus.

A NEW LAW-DICTIONARY, BY GILES JACOB, Gent.

h. e.

ÆGIDII JACOBI NOVUM LEXICON Juris, continens Interpretationem & Definitionem terminorum in Jure occurrentium, legumque omnium & praxeos, sub diversis titulis & capitibus, quo simul historia & antiquitates legum ac consuetudinum explicantur.

Sabaudiæ Londinens. apud Knapton, Darby, Pemberton & rel. 1729, f.

Alph. 8 plag. 12.

OPus eruditum & admodum concinnum exhibemus, quo Leges Anglorum omnes, earumque denominationes ac origines usus que modernus vel breviter, vel fusius, ubi res postulat, explicantur, Regumque & Parliamentorum decreta diligenter annotantur, Doctorumque scripta, quæ conferri merentur, optimæque eorum editiones commendantur. Neque vero hic ea tantum reperias omnia, quæ ad jura Anglorum ecclesiastica & civilia, ut & feudalia inprimis, spectant, verum & alia, quæ ad statum tum Ecclesiæ tum Reip. Anglicanæ spectant, qualia sunt munia publica sacra & profana, curiæ item publicæ, vestitus genera diversa, instrumenta militaria, mensuræ diversæ, ritus veteres vel aboliti vel confirmati, idola etiam gentilium eorumque cultus, Festaque a Christianis sancita & id generis alia, non sine voluptate legi poterunt. De pœnis inprimis veterum accurate agit Autor, qualis fuit illa Saxonum, qui rixosas mulieres in sella, *Cuckingstool*, Latine *Tumbrellum* seu *sella ster-*

coraria dicta, repositas aquis putridis demergebant, ita tamen, ut ne suffocarentur. Singularia legum Anglicarum plura afferri possent, si Lexica excerpere nobis integrum foret: unum tamen vel alterum breviter attingemus. Statuto anno 5 *Henrici IV* facto feloniæ rei dicuntur, qui aurum & argentum multiplicare ausint, quod multi tum crederent, Alchymistas deterioris metalli cum nobilioribus permutationem effecturos, quo adeo factum ut impostores Anglia excederent & in aliis regionibus impunius artes suas exercerent: notat tamen & Autor, statuto illi alio *primo anno Wilhelmi III & Mariæ* promulgato fuisse derogatum. Herbæ Nicotianæ plantatio Anglis sub gravi mulcta interdicta *2 Caroli II*, simul tamen Medicis indultum, ut Nicotianam plantare in hortis Medicis impune possent. Ceterum testatur Cl. Autor in Præfatione, se inde ab A. 1720 huic operæ sedulo insudasse, (quamvis non infitietur, se alia quoque opuscula, horis subsecivis elaborata, interea temporis in lucem emisisse,) atque adeo longe plurimos terminos, ab aliis Lexicographis prætermissos, hic nova ratione explicasse, ita ut vix tertia pars aliis, reliqua omnia sibi soli debeantur.

AMOENITATES LITERARIÆ, QUIBUS variæ Observationes, scripta item anecdota & rariora Opuscula exhibentur.

Tomus XI.

Francof. & Lipsiæ, apud Dan. Bartholomæi, 1729, 8.
Alph. 1 pl. ½.

PRimum hujus Tomi locum occupat Cl. Editoris *Dissertatio de Joanne Campano, antitrinitario.* Vixit is tempore Lutheri, & haud leves excitavit strepitus, sed memoria ejus deinceps ita est obscurata, ut pauci nunc norint, quid hominis fuerit; imo ut ne ii quidem ejus mentionem faciant, qui data opera persequuntur antitrinitariorum historiam. Commemoratis igitur prius duobus aliis *Joannibus Campanis*, Cl. *Schelhornius* loca *Lutheri & Melanchthonis* adducit, quibus hujus *Campani* meminerunt. Natus is erat vel in oppido Maseyk ad Mosam, vel in regio-

regione Juliacensi. Ex Coloniensi Academia, in qua literis operam dedit, ejectus est, si *Cornelio Agrippa* credimus, injuste, a grege scilicet obscurorum virorum sive Scholasticorum Coloniensium, quos insectatus erat, vocatus eam ob causam, cujus rei testis est *Wicelius, victor sophistarum Coloniensium.* A. 1528 se contulit Wittebergam, sed ita ibi se gessit, ut, antitrinitarium eum esse, nemo animadverteret. A. 1529 Marpurgum abiit, disputaturus ibi cum Luthero de S. Cœna: sed non fuit admissus ad colloquium. Ex quo apparet, eum Lutheri antagonistam non solum esse, sed etiam prædicari voluisse: quanquam is contempsit hominem nec refutatione publica dignatus est. Eodem anno ad *Wicelium* se contulit Nymeciam, oppidum haud procul Witteberga situm. Proferuntur hic tres *Wicelii* apologiæ, historiam *Campani* haud parum illustrantes. Scripsit hoc tempore (an ediderit, incertum,) *Campanus* librum *contra totum post Apostolos mundum*, quem *Melanchthon* commemorat, itemque Lutherus. A. 1532 edidit Germanico sermone *restitutionem & emendationem S. Scripturæ.* Amicum & fautorem habuit *Sebastianum Franckium*, hominem παράδοξον, cujus hic epistola ad *Campanum* scripta exhibetur. Tandem *Campanus*, rejectæ Trinitatis reus, a Duce Juliacensi in carcerem conjectus est. Nec vero hic unus fuit ejus error. Nam Lindanus, Episcopus Ruremundensis, A. 1575 librum edidit adversus ejus errorem de S. Cœna. Post viginti sex annorum captivitatem libertati redditus homo fanaticus, ubi deinceps vixerit mortuusque sit, haud constat. Sunt, qui eum confundunt cum *Joanne Campensi*, alio ejusdem ætatis Hæretico: de quo, quia & ipse ignotus, certiora tradit Cl. Autor. Hinc recenset *Campani* librum supra memoratum, ejusque de Patre, Filio, & Spiritu sancto impias ineptias producit. *Secunda* Dissertatio est Cl. *Zimmermanni*, comparantis religionem Christianam cum philosophia Socratis, indeque illius evincentis excellentiam. Scilicet cum Socrates habeatur, & quidem suo merito, maximus prisci ævi & in theoria & in praxi philosophus, si ostenditur, ejus philosophiam nihil esse ad religionem Christianam, eluceat inde necesse est Christianæ religionis divinitas. Demonstrat vero

pri-

primum, quanto inferior sit Socratis docendi methodus eâ, qua Christus usus est & Apostoli. Deinde notat Socratem, quod publicos in religione errores tolerarit & silentio involverit, cum contra Christus & Apostoli religiosos sui temporis errores clarissimis verbis rejicerent. Tum veras Socratis & laudabiles doctrinas, tum theoreticas, tum practicas, comparat cum doctrinis Christi, quantumque hæ illis præstent, pluribus docet. Potissimum urget, quod philosophia Socratis careat *incentivis ad pietatem*, Christiana e contrario religio iis abundet gravissimis & efficacissimis. Cetera brevitatis studio omittimus, perdocta omnia & lectu dignissima. *Tertio* sistitur *Brevis notitia codicis MS. varios sermones complectentis in Concilio Constantiensi habitos*. Latuit hicce codex adhuc in bibliotheca Monasterii Blavifontani, quod est in Wurtembergia. Habet is sermones viginti octo, e quibus eorum duntaxat indicem exhibet Cl. *Schelhornius*, quos Cl. *Hardtius* non commemoravit, neque in *Actis Concilii Constantiensis*, neque in *Historia Reformationis literaria*. Sequitur *quarto loco Judicium Magistrorum Academiæ Viennensis de propositionibus quibusdam Joannis Munsingeri*, quod conjunget lector cum Academiæ Pragensis de eodem Munsingero *Judicio*, quod jam ante *T. VIII p. 511 sqq.* Noster exhibuit. *Quinto* legenda offertur *Memoria Raymundi Krafft de Dellmensingen, Reip. Ulmensis viri consularis*. Non postremus hic est ævi nostri Mæcenas, cujus bibliothecam instructissimam alibi laudavit pluribus Cl. noster *Schelhornius*. Hujus igitur nuper (A. 1729 d. 17 Febr.) exstincti & familiam illustrem & vitam & in remp. literariam merita singularia hic describit. Ac sane officium hoc est literatorum hominum, ejus generis viros debitis prosequi laudibus, & aliorum studia accendere ad eos æmulandos. *Sextum* locum tenent *Selecta ex Jo. Jac. Thurmii* (juvenis ingenio præcoce, A. 1669 mortui,) *Diario itineris literarii Germano-Belgici*. Permulta hic proferuntur singularia & cognitu jucunda de doctissimis viris, quos adire contigit isti docto juveni. *Septimo* loco prodeunt duæ epistolæ D. *Jo. Bened. Carpzovii* ad *Theophilum Spizelium*, quæ & ipsæ sunt lectu dignæ ob varias, quas continent, animadversiones lite-

literarias. Has sequitur *Calendarium etymologicum, ex Lombardica Historiæ Jacobi de Voragine, quæ a plerisque* Aurea Legenda sanctorum *appellatur, congestum.* Altera hæc est editio libelli A. 1604 ab *Erasmo Schmidio* editi, sed ob raritatem pæne incogniti. Ex ridiculis medii ævi etymologiis, quæ hic proferuntur, hæc sufficiant specimina. *Donatus*, id est, *a Deo natus*; *Bernhardus a beer*, puteus, & *nardus*, quæ est herba odorifera; *Cornelius a cornu*, & *leos*, id est, populus; *Catharina*, a *catha*, id est, universum, & *ruina*, quasi *universalis ruina.* Ultimo hujus Tomi loco exhibentur Cl. *Jac. Bruckeri Analecta ad Vitam Matth. Schenckii* in proxime præcedenti Tomo vulgatam.

D. EBERHARDI DAVIDIS HAUBERI *Primitiæ Schauenburgicæ. Fasciculus primus & secundus.*

Guelferbyti, apud J. C. Meisner, 1728, 8.

Plag. 19.

MAxime Reverendus Autor, S. Theol. D. & Ecclesiarum Schauenburgicarum Superintendens, idemque primarius Pastor Hagensis, & Consiliarius ecclesiasticus, primo loco hic exhibet *Prodromum originum Schauenburgicarum atque Schauenburgicæ palingenesia.* Descripto scilicet situ castri *Schauenburgi*, (vulgo *Schaumburgi* scribunt,) ejusque etymologia acute explicata, diligentissime scrutatur origines familiæ Comitum Schauenburgicorum, subjecta etiam Tabula genealogica. Hinc discimus, primam eorum patriam fuisse Santerslebium, pagum agri Magdeburgici, primumque Comitem Schauenburgicum a Conrado II Imp. creatum esse Adolphum A. 1030: hujus filium, Alphonsum II Schauenburgicis terris junxisse Holsaticas: istamque stirpem masculinam exaruisse A. 1640 in Ottone: refloruisse tamen in Comitibus Lippiacis, quorum unus Elisabetham Schauenburgicam habuit in matrimonio. Sequitur *recensio Scriptorum res Schauenburgicas illustrantium.* Et hic quidem Rev. Autor primo eos producit, qui in universum egere p. 23.

 de

de Comitatu Schauenburgico: *Hermannum de Lerbecke*, cujus *Chronicon Comitum de Schovenborg* notis illustravit *Meibomius*; *Henricum Aquilonipolensem*, (Nordhusanum fortasse vel Northemiensem,) poetam misellum, cujus *Adolpheidem* idem edidit *Meibomius*; & *Cyriacum Spangenbergum*, autorem *Chronici Schaumburgici*. Hinc exhibet scriptores particulares, e. g. *Frid. Wilh. Bierlingii* Dissert. *de Familia Comitum Holsato-Schauenburgicorum hoc seculo exstincta*. His subjungit scriptores illos, qui oblata occasione in operibus suis historicis attigere res Schaumburgicas. Id cum etiam fiat in *Lexico universali historico*, B. *Buddei* auspiciis edito, complures ejus errores in hoc capite emendat *p. 45 sqq.* Succedunt scriptores de singulis Comitibus, atque adeo & Orationes funebres. Ultimo loco commemorantur scriptores de rebus ecclesiasticis ac scholasticis hujus Comitatus, itemque constitutiones provinciales.
p. 65. Accedit *Delineatio* accuratissima *insignium Comitum Schauenburgicorum*: quorum & figura æri incisa in limine hujus Operis conspicitur:
79. itemque delineatio mausolei Hagensis horum Comitum, hoc est, Inscriptiones aliquot sepulchrales.

93. Hinc prodeunt *Primitiæ Schauenburgicæ*, vitas exhibentes Superintendentium Schauenburgicorum atque Pastorum primariorum Hagensium, una cum historica scholæ, Gymnasii, atque Academiæ Stadthagensis descriptione. Occurrit hic *p. 107 sqq.* vita D. *Josuæ Stegmanni*, quem Autor noster vocat *virum incomparabilem*, *atque omnium illorum Ephororum tum doctrina atque eruditionis amplitudine, tum vitæ innocentia ac pietate, præcipuum*. *P. 109 sqq.* vita sistitur D. *Joannis Gisenii*, Theologi Rintelensis primarii: quam propterea se persequi accuratius, scribit Max. R. Autor, quod ea vix usquam reperiatur descripta. Atque ea de causa etiam scripta ejus recenset diligentissime *p. 121 sqq.* Ad Pastores primarios Stadt-
155. hagenses quod attinet, inter hos eminent D. *Jo. Jac. Bernhardi*, D. *Josua Stegmannus*, (jam supra laudatus,) & D. *Alardus Vaeck*. Singulorum libri hic commemorantur satis accurate.
200. Invenit etiam inter hæc Autor doctissimus occasionem, uberius exponendi controversiam Buscherianam, quæ inter Calixtinos sive

sive Helmstadienses fere prima fuit. Colophonem huic libro imponit *Historia scholæ Hagensis* sive Stadthagensis, *nec non Gymnasii, atque Academiæ, quæ Hagæ Schauenburgicæ quondam floruere.* Scholam illam hic legimus a Principe Ernesto mutatam fuisse in Gymnasium Academicum, ita ut Rectori ejus etiam titulus *Magnifici* tribueretur. Quos illud Gymnasium habuerit Professores, quæque illi scripta publicarint, hic loci libenter cognoscent curiosiores. Postea Gymnasium hoc mutatum est in Academiam, sed quæ paulo post translata est Rintelium, ubi adhuc viget floretque. p. 233.

JO. ALEXANDRI DOEDERLINI, Academiæ Nat. Curiosorum & Societatis Berolinensis Collegæ, ac Rectoris Weissenburgensis, Commentatio Historica de Nummis Germaniæ mediæ bracteatis & cavis; accessit Disquisitio de pecuniæ medii ævi valore, numorumque nostræ ætatis origine.

Norimbergæ, apud Jul. Arnold. Engelbrecht & Endteri filias, 1729, 4.

Alph. 1 pl. 12 cum fig. æn.

INter varia studiorum genera majoribus nostris aut plane non, aut saltim leviter satis culta *nummorum antiquorum*, præcipue *Germanorum*, cognitio non postremo loco memoranda est. Primus illius autor laudatur *Joannes Jacobus Luckius*, Senator Argentinensis, qui medio fere superioris seculi *Syllogen* edidit *nummorum Germanorum veterum*, addita eorundem explicatione erudita, & laudabile adeo exemplum præivit patriarum rerum studiosis, & hanc *antiquitatum Germanicarum* partem curiosius indagandi. Neque vero defuerunt, qui premerent insequenti tempore ipsius vestigia, clarissimi Viri, *Joannes Christophorus Olearius, Guilielmus Ernestus Tenzelius, Christianus Schlegelius, Joannes Andreas Schmidius, Joannes Georgius Liebknechtius, Otto Sperlingius, Joannes Petrus de Ludewig, Joannes Michael Heineccius, Davides Hottingerus, Joannes*

Georgius Leuckfeldius, pluresque alii, quorum conatus mors intercepit, illi vero elaboratissimis Commentariis *rem nummariam Germanorum* illustrare instituerunt. Debetur etiam illis non exigua laus, quod difficultates, quibus circumsepta est istius generis cognitio, maximam partem feliciter satis superaverint, & expeditam bene effecerint viam per obscura antiquitatis patriæ compita pedem curiosum circumlaturis. Movit hoc virorum præstantissimorum exemplum & Germanicarum rerum studium *Clarissimum Doederlinum*, ut & ipse præsenti Commentario *de Nummis medii ævi Germanorum bracteatis* materiam pertractandam sibi sumeret. Qua in re cum ita versari ipsi placuerit, ut, in usum suum conversis, quæ laudati modo autores ante ipsum hac de re recte commentati fuisse videbantur, quorum etiam larga manu testimonia afferuntur, passim adderet Vir doctissimus, quæ minus dilucide aut minus etiam aliquando vere ab iisdem posita existimarentur; prætermissis illis, quæ alibi jam centies lecta ac relecta sunt, eorum nos quidem jam potissimum rationem habituri referendo sumus, quorum propria ad Autoris nostri ingenium atque doctrinam gloria pertinet; addituri simul summatim, quæ *de nummis bracteatis*, Weissenburgi haud ita pridem effossis, qui præcipue commentandi occasionem ipsi præbuerunt, commemoravit.

Germanorum antiquissimos nullum plane pecuniæ usum noluisse, extra dubium positum est; qui tamen insequenti tempore a Romanis hinc inde introductus fuisse legitur. Quo autem præcipue seculo cudendi nummos consuetudo apud illos invaluerit, cum in diversas admodum sententias ab autoribus discedatur; illa Nostro veri videtur simillima, quæ provinciis Romanorum receptis & Christiana religione admissa hoc factum statuit; ubi tamen simul monet, de *solidis* hoc tantum *nummis*, ad Romanorum quippe exemplum effictis, intelligendum esse; non item de *cavis* sive *bracteatis*. In horum vero origine adstruenda Illustris *de Ludewig* conjecturis, ad seculum X. illam referentis, maxime adstipulatur; cum, qui antiquiorem existiment, solidis argumentis destituantur, qui vero recentiorem, experientiæ repugnent. Cum itidem existant, qui unos Germa-

nos

nos istiusmodi *nummos bracteatos*, quos a forma externa etiam *cavos*, *laminares*, aliisque nominibus appellamus, excudisse arbitrentur, non vera illos docere ostendit, quod jam seculo Justiniani Imperatoris Constantinopoli simile monetæ genus usurpatum fuisse, adeoque pridem ante Germanos, deprehendatur; quod exemplum dehinc Gothi plurimique ex Septentrione populi, Angli itidem, imitati sunt; a quibus nostrates didicisse probabili admodum ratione videntur. Perstitit vero apud illos una cum *solidis cavorum* vulgaris usus atque promiscuus; donec seculo XIII illi temporum calamitate plane evanescerent, ipsi etiam *bracteales*, pristina puritate amissa, deteriores fierent. In causis vero hujus monetæ designandis, neque illa Nostro placet, quam plurimi allegant, prisca nempe Germanorum probitas, qua factum sit, ut subferratis depravatisque Romanorum nummis puros ipsi, licet leviores minusque comtos, substituere voluerint; neque, quam alii arguunt, inscitia melioris notæ nummos feriundi; neque penuria metalli nobilioris atque argenti, quam alii prætendunt; sed potissima, imo propria, videtur Viro doctissimo causa, majorum nostrorum sordida quædam parsimonia, qua ducti, contenti maxime fuerint simili monetæ genere, quod minima opera minimaque artificis monetarii industria constaret. Ad Jura porro illa fabricandi quod attinet, cum primario ad summum Imperii Principem spectarent, ad inferiores insequenti tempore Status etiam sunt derivata; imo etiam ad ecclesiæ præsules, Episcopos atque monasteria. Enimvero major longe copia postremi generis nummorum hodienum superat, quam Imperatorum atque Principum; cujus rei hæc maxime existimari potest ratio, quod hi, in impensis faciundis largiores, maluerint splendidiores, *solidos* nempe, ferire nummos, & istam *brattealium* turpitudinem dedecori sibi futuram putaverint. Materiam ipsorum argentum, idque purissimum, fuisse, αὐτοψία ostendit; recentiori ætate nonnunquam etiam ære aut cupro mixtum. Num etiam aurum atque æs? in utramque partem disceptata quæstio est; ad quam ἐπέχει Vir clarissimus. Forma si spectetur, ineptam illam maxime fuisse atque deformem, in propatulo est; cujus causa in medii ævi ruditate optime

quæritur. Non nisi *orbicularem* figuram illas ostendere, arbitratus est Cel. *de Ludewig*; alii tamen *quadratos* etiam se vidisse affirmant, quod & Autor noster confirmat; qui insuper contra eundem Virum Illustrem, nummos istos ἀκεφάλους, & in quibus nulla plane conspicitur impressa effigies, *bracteatorum* censu habendos esse existimantem, contrarium operose asserit. Postquam porro varias harum figurarum species, ubi modo res inanimatas, librum, claves, turres, templa &c. modo animatas, aquilam, cygnum, leonem, ursum; modo vegetabilia, rosam, lilium, palmam; modo personas, stantes, sedentes, equitantes, flexis genubus precantes repræsentant, recensuisset, & apud alios scriptores de hoc argumento obvia perquam diligenter compilasset, singula autem *Bracteatorum Weissenburgensium*, quorum sexaginta duos æri insculptos simul exhibet, exemplis illustrasset; de inscriptionibus quædam subdit, quibus illorum aliqui insigniti deprehenduntur; unde colligit, non ad commerciorum tantum usum, sed ad memoriam etiam sui ad posteros conservandam fabricari quandoque jussisse Principes, Præsules ac civitates similes monetas; latina autem, non patria lingua hac in re usos fuisse ideo, quod ævi illius genius illam huic dignitate longissime anteponere consuevisset. Claudit denique integram Commentationem luculenta *de valore pecuniæ medii ævi, & illius, quo præsenti tempore utimur, origine*, disquisitio; cujus rationes cognovisse cum fortassis minimæ inter lectores nostros partis interesse persuasum habeamus, ab illis referendis merito hic abstinemus; atque hoc tantum in fine addimus, gentilibus suis rem pergratam haud dubie fecisse Autorem doctissimum, quod, cum anno proxime elapso Weissenburgi in veteris cujusdam ædificii ruinis casu quodam urna aliqua detegeretur, quæ non contemnendam hujusmodi *bracteatorum* copiam contineret, ipsi vero ad ignotæ rei spectaculum obstupescerent, & ethnicæ superstitionis reliquias, immo quidvis aliud potius, quam *medii ævi nummos*, existimarent, meliora ipsos hac de re edocere voluerit præsenti Commentario, & suo exemplo patriæ vetustatis amorem illorum animis inspirare; quin & alios lectores, qui hujus rei non adeo ignari sunt, diversas doctorum sententias studiose hic in unum congestas, jucunde spectaturos esse confidimus.

Der

Der Europäischen Kayser- und Königlichen Häuser, Historische und Genealogische Erläuterung 2c.

h. e.

IMPERATORUM AC REGUM EUROPÆ illustratio Historico-Genealogica, a prima origine ad nostra tempora, Autore GEORGIO LOHMEIERO, Inspectore Luneb. quondam deducta, nunc vero, quantum fieri potuit, completa & documentis necessariis munita a JO. LUDOV. LEVINO GEBHARDI, Prof. Academiæ Equestris Regiæ Luneb.

Tomus I.

Luneburgi, e typographia Sterniana, 1730 fol. maj. Alph. 2 pl. 20.

CUm quadraginta fere abhinc annis, anno nempe 1690, primus hic *Tabularum Lohmeierianarum* Tomus prodiisset, mox eodem Anno M. Mart. p. 152 ejus mentionem non sine laude fecimus, institutumque Autoris breviter explicavimus. Cumque & hic Tomus & sequentes aliquoties ex eo tempore, cura etiam Celeb. Genealogi, *Jacobi Wilhelmi Imhoff*, editi in omnium hactenus manibus fuerint; nunc tantum de nova hac eaque eximia multumque passim aucta ac emendata editione paucis nobis dicendum erit. Nimirum Autor, non Genealogiæ modo, sed & Historiæ maxime intentus, ut parceret chartæ, passim non personas modo illustres, fœminas inprimis earumque liberos, sed & aliquando integros ramos, prætermiserat, cui defectui nec *Imhofius*, qui emendare librum quam augere maluit, mederi ausus est. Præterea optabant plurimi, fontes etiam, unde sua hauserit Autor, subinde indicatos. Itaque utrumque præstare aggressus est hoc Tomo (quem mox secundus, qui sub prelo est, tertiusque & plures forte sequentur) Cl. *Gebhardi*, qui non modo pluribus locis Tabulas ipsas supplevit, sed & tum in Tabulis, suis locis, tum sub finem cujusque indicavit Autores idoneos prope mille, breviter quidem, sed ut postremo, Lectori rectius consulturus, adderet simul Indicem luculentum Operum omnium,

um, quæ passim produxit, indicatis simul editionibus meliori-bus tum eorum, quæ sigillatim, tum quæ passim in Collectionibus optimis prostant, & additis subinde de scriptorum veterum ætate, αὐθεντίᾳ aliisque observatiunculis. In Præfatione vero, optimorum librorum sibi copiam factam tum a Duumviris Celeb. *Jo. Frid. Pfeffingero*, Consil. & *Jo. Henr. Büttnero*, Secret. tum ex ipsa Bibliotheca publica Luneburg. gratus profitetur. Gratulamur itaque Autori eruditissimo de superato partim labore incredibili, optamusque, ut ceteros quoque Tomos pari felicitate absolvat.

L'ETAT ET LES DELICES DE LA SUISSE.

hoc est,

STATUS ET DELITIÆ HELVETIARUM,

per modum relationis criticæ descriptæ ab Autoribus quibusdam celebrioribus.

Tomi IV.

Amstelodami, apud Wetsteinios & Smithum, 1730, 12 maj.
Alph. 3 pl. 17 Tabb. æn. 8o.

QUi non ignorant, *Delitias Helvetiæ* sub ficto, ut arbitramur, *Gottliebi Kypseler de Munster* nomine, jam tum A. 1714 Lugduni Bat. apud Petrum vander Aa quatuor Tomis prodiisse, scire haud dubie gestient, quid hic novi operis promittere sibi debeant. Observamus itaque vel paucis, Delitias illas utique repeti, sed ita passim, inprimis quoad ea, quæ ad statum publicum, constitutiones Rerumpubl. earumque inter se & cum exteris fœdera, unionem, vires, antiquitates etiam, & res passim gestas, tum & id quod interest, maxime spectant, auctas, ut novus quodammodo videri liber possit. Certe duplo auctior est hæc editio priori, & Tabulas quoque plures continet; præterea docemur in Præfatione, Autorem per octennium publico nomine sedisse in Helvetia & curiosa omnia assidue annotasse.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Augusti Anno MDCCXXX.

A VIEW OF SIR ISAAC NEWTONS Philosophy.

hoc est,

CONSPECTUS PHILOSOPHIÆ ISAACI NEWTONI.

Londini, typis S. Palmeri, 1728, 4, chart. aug. Alph. 2 pl. 10 Tabb. æn. 12.

I*Saaci Newtoni*, Viri Summi, magna in omnem doctrinam merita ubivis terrarum celebrantur. In eo inprimis immortale nomen consecutus, quod naturæ cognitionem mathematicam, cujus olim ideam quandam animo conceperat *Archimedes*, edito specimine in libris de æquiponderantibus & insidentibus fluido, & quam recentiori ævo excolere cœperat *Galilæus*, mirifice provexerit, & Astronomiam inprimis Physicam a *Keplero* tentatam plurimum illustraverit, Opticamque inventis auxerit sat egregiis. Edidit huc spectantia in duobus libris, quorum alterum sub titulo Principiorum Philosophiæ naturalis mathematicorum, alterum sub titulo Opticæ prodire jussit. Accessit post fata viri vita immortali digni liber tertius sub lectionum opticarum titulo, in quo inventa illa optica etiam continentur. De utroque Opere diximus in his Actis, scilicet de Principiis in Actis A. 1688 p. 304, A. 1714 p. 131 & A. 1727 p. 73. de Optica vero in Actis A. 1706 p. 59 & A. 1710 p. 185. Confer Acta A. 1717 p. 232. De Lectionibus denique opticis nuper demum annotavimus, quæ e re lectoris esse judicavimus. In

Principiis Geometra summus motuum inprimis doctrinam ultra inventa *Archimedis*, *Galilæi*, *Hugenii*, *Wrenni*, *Wallisii* plurimum provexit & subinde ad phænomena nonnulla explicanda transtulit, utque principiorum in cognitione rerum naturalium usum luculento quodam exemplo doceret, ea ad explicandos motus cœlestes per causas physicas applicavit in ellipsibus *Keplerianis* ex hypothesi *Hookiana* ab *Hevelio* in opere Cometographico indicata. Et quamvis non ubivis in theoriis motuum adhibuerit naturæ hypothesin, utpote non semper manifestam; methodum tamen naturam mathematice tractandi mirifice excoluit aliisque Geometris ansam dedit, ut vestigiis ipsius insistentes in eodem argumento difficili vires suas periclitarentur. In Optica præter novas luminis colorumque proprietates meteora quoque nonnulla emphatica, qualia sunt colores iridis, explicavit & per modum appendicis quæstiones quasdam de rebus naturalibus adjecit. Cum igitur in his contineantur, quæ ad omnem Physicam illustrandam conducunt, hypothesibus sterilibus hactenus a multis magis deformatam, quam excultam, *Newtono* merito improbante; Vir clarissimus *Gravesandius* institutiones physicas in usus academicos conscripturus, ex *Newtoni* Principiis & Optica atque partibus Matheseos mixtæ propositiones & definitiones ordine digessit, quas rerum naturalium curiosis cognitu utiles existimavit & sub titulo *Philosophiæ Newtonianæ* edidit, quemadmodum ex Actis A. 1723 p. 371 cognosci potest. Quoniam Principia inprimis *Newtoni* ita conscripta sunt, ut lectores requirant Geometras primi ordinis; *Henricus Pembertonus*, cui *Newtonus* postremam illorum editionem commiserat, consultum judicavit, quæ in Principiorum ac Opticæ Opere *Newtoniano* continentur, populari sermone a se recenseri, ut ab iis etiam intelligerentur, qui tantos in Mathesi sublimiori non fecere progressus, quantos *Newtonus* in lectoribus suis requirit. Hunc suum de utroque Opere *Newtoniano* discursum exemplo *Gravesandii* Philosophiæ *Newtonianæ* conspectum appellat. Digessit eum in tres libros, quorum primo de motu corporum in genere agit, secundo de systemate mundi tractat, tertio ad Opticam spectantia tradit. Ad motum corporum

porum in genere ex Principiorum Opere refert, quæ de legibus motus, potentiis mechanicis motuque pendulorum, conflictu corporum seu motu ex percussione attingit & de viribus centralibus ac resistentia fluidorum ex instituto tradit *Newtonus* Principiorum libro primo atque secundo. Ad systema mundi refert, quæ de causis physicis motuum cœlestium tradit vir profundæ indaginis in Principiorum libro tertio, principiis de viribus centralibus ad planetas cum primarios tum secundarios atque cometas in ellipsibus *Keplerianis* applicatis. Ad Opticam ex Opere Optico refert, quæ de coloribus lumini inhærentibus & a corporibus opacis dependentibus, de refractione, reflexione luminis, itemque de vitris opticis atque iride reperit Vir summus. Atque ita discursu suo complexus est omnia, quæ ad cognitionem naturæ mathematicam spectantia Physicisque utilia dedit *Newtonus* in Principiorum & Opticæ Opere. Cum de iis, quæ in utroque continentur, abunde dictum sit in his Actis locis paullo ante citatis; ut ex discursu *Pembertoniano* specialiora excerpamus, opus non est. In Præfatione monet, *Newtonum* non probasse, quod Geometrica per calculos Algebraicos tractentur, ac ideo Algebræ imposuisse nomen Arithmeticæ universalis in oppositione ad titulum, quem sine judicio Tractatui de Algebra in inveniendo ad Geometriam applicanda præfixerit *Cartesius*, dum eam Geometriam appellavit. Ipsum prædicasse *Slusium*, *Barrowium* & *Hugenium*, quod fuerint ab illo more, qui tunc invalescebat, alieni; plurimum commendasse institutum *Hugonis de Omerique* in Analysi veterum restauranda maximique fecisse *Apollonii* de sectione rationis librum, ex quo clariorem analyseos veterum ideam haurire liceat, quam quæ ante editum ab *Hallejo* hoc antiquitatis egregium monumentum fuerit Geometris. Eundem sæpius Nostro commendasse stylum & modum res Geometricas tractandi *Hugenianum*, cum *Hugenium* optimum veterum inter Geometras recentiores imitatorem judicaverit. *Newtonum* sæpius in se ipso improbasse, quod initio studiorum mathematicorum insigni errore ad opera *Cartesii* aliorumque scriptorum algebraicorum animum appulerit, antequam elementa *Euclidis* ea attentione legisset, quam

Autor adeo eminens meretur. Fama non solum in Anglia, verum etiam in ceteris regionibus percrebuit, *Newtonum* in ætate provectiori non amplius intellexisse inventa sua; sed se contrarium expertum fuisse testatur *Pembertonus*, rumorem inde enatum ac disseminatum esse suspicatus, quod non semper sibi præsens fuerit, quando de iis sermonem cum ipso miscere voluerint alii. Monet Noster, *Newtonum* magnam Tractatus præsentis partem legisse ac probasse, & , quamvis postrema Principiorum editio plurimum mutationis subierit, plura tamen adhuc immutanda fuisse, si quidem temporis spatium sufficiens suppetiisset. Se vero hunc defectum suppleturum in Commentario in librum *Newtonianum*, in quo se demonstraturum ea, quorum demonstrationem non dedit *Newtonus*, & explicaturum pollicetur singulas expressiones, quæ explicatione indigent. Hunc Commentarium se adjuncturum esse versioni Anglicæ Principiorum *Newtoni*. Ceterum refert, *Newtonum* scripta recentiorum parum legisse & inprimis in hypothesin *Hookianam* de causis physicis ellipsium *Keplerianarum* incidisse A. 1666, cum in horto solus deambulans perpenderet causam gravitatis in iis distantiis, in quibus experimenta capere licet, sensibiliter non imminui. Inde enim ipsum intulisse, eam longius extendi debere, quam vulgo docetur, nec vidisse rationem, cur non extendi debeat usque ad lunam, ita ut vi ista in orbita sua retineatur sidus hoc errans.

ELEMENTA MATHESEOS UNIVERSÆ, Tomus I, qui Commentationem de Methodo mathematica, Arithmeticam, Geometriam, Trigonometriam planam & Analysin tam finitorum, quam infinitorum complectitur; Autore CHRISTIANO WOLFIO, Consiliario Aulico Hassiaco, Mathematum & Philos. in Academia Marburgensi Professore Primario, Professore Petropolitano Honorario, Societatum Regiarum Britannicæ atque Borussicæ Sodali. Editio nova priori multo auctior & correctior.

Halæ

Halæ Magdeburgicæ, ex officina Rengeriana, 1730, 4.
Alph. 3 pl. 19 Tabb. æn. 31.

CUm hæc Matheſeos univerſæ Elementa primum in lucem publicam prodirent, de iis abunde diximus in Actis A. 1714 p. 249 & ſeqq. Suffecerit itaque breviter annotaſſe, quænam ea ſint, in quibus nova hæc editio a priori differat. Primum itaque operam dedit Celeb. Autor, ut eadem priori multo correctior prodiret, quod in ſcriptis mathematicis apprime neceſſarium, ne nimium negotium faceſſant parum exercitatis. Acceſſere vero multa, quæ effecere, ut Tomus primus in duos fuerit diſtribuendus. Etenim cum Arithmetica olim contineretur articulis 326, Geometria 537, Trigonometria 74, Analyſis finitorum 586, & Analyſis infinitorum 288, in nova hac editione articuli Arithmeticæ ſunt 396, Geometriæ 601, Trigonometriæ 83, Analyſeos finitorum 631, Analyſeos denique infinitorum 352. Paſſim nimirum in ſingulis iſtis Matheſeos partibus interſperſa ſunt, quæ adhuc ad perfectionem Operis deſiderari poſſe videbantur, vel viam ad ulteriora ſternunt. Speciminis loco nonnulla commemorabimus. In Arithmetica inter ea, quæ addidit, comparet modus numerum occulte ſcribendi, examen additionis per ſubtractionem ſeptenarii una cum alio per additionem & ſubtractionem abſolvendo, examen ſubtractionis per novenarium, examen multiplicationis per abjectionem novenarii, examen ſimile diviſionis, theoremata nonnulla de rationibus ad demonſtrationes in diſciplinis ceteris facilitandas utilia, caput integrum nonum de Logiſtica decimali & decimum de ſexageſimali. In Geometria præter theoremata & corollaria, paſſim interſperſa, & praxes aliquot Geometricas acceſſit caput integrum de ſectione planorum. In Trigonometria addidit, quæ circa analyſin triangulorum obtuſangulorum difficultatem faceſſere poterant tyronibus, niſi clariſſime exponerentur, & Trigonometriæ uſum in Geodæſia amplificant. In Algebra adjecta fuere problemata, quæ vel utilitate ſeſe commendant, vel quædam artificia analytica animis diſcentium inſinuant, una cum conſtructionibus novis nonnullarum formularum geometricis & corollariis utilibus. Ita ex formula

algebraica, qua summa progressionis arithmeticæ exprimitur, methodo vere analytica deducit, numeros quadratos prodire ex summatione imparium. Mira facilitate solvit problema de inveniendis numeris imparibus, quorum additione prodit numeri cujuscunque dati potentia data, ut procreatio potentiarum cujuscunque gradus ex additione numerorum imparium sine ullo negotio innotescat, quæ adeo operose inquisita fuit in Miscellaneis Berolinensibus. Si enim numerus terminorum parium sit n, idemque radix data, exponens dignitatis m & terminus primus imparium x; erit $x = n^{m-1} - n + 1$. In doctrina de sectionibus conicis analytice pertractata varia accessere, quæ in altioribus sunt usui. Adjectæ etiam fuere plurimarum curvarum algebraicarum geneses. Elegantia inprimis sunt problemata, quæ methodo de maximis & minimis illustrandæ accessere. Et in calculo summatorio ea inprimis problemata addidit, quæ calculum satis perplexum requirunt, qualia sunt quadratum Conchoidis *Nicomedis*; sinus versi ex dato arcu determinatio, rectificatio arcus elliptici & hyperbolici, itemque logarithmici, chordæ arcus rationem datam ad alium habentis ex hujus chorda data inventio, sectorum ellipticorum & hyperbolicorum quadratura, tractoriæ analytica investigatio & alia hujusmodi plura. Inprimis vero notandum est, cum Autor, Philosophiam certam ac utilem effecturus, Mathematum notitiam amplificet, ut ad illam capessendam animi defæcati præparentur, nuperque in Opere Logico methodum, quæ convenit doctrinæ solidæ, accuratius delineaverit, quam hactenus ab aliis factum fuerat, ac inprimis genuinam demonstrationum formam distincte exposuerit, eum demonstrationes ita digessisse, ut exempla regulis ad amussim respondeant, & elementa hæc manu assidua volventibus naturalis ratiocinandi modus sua veluti sponte sese insinuet nascanturque in animo ideæ, quæ ad leges Logicæ, de qua in Actis diximus, sint compositæ.

DE LUMINIS AFFECTIONIBUS SPEcimen Physico-Mathematicum JO. RIZZETTI, in

duos

duos libros divisum ac Eminentiss. Principi S. Rom. Eccl. Cardinali DE POLIGNAC &c. dicatum.

Tarvisii, typis Eusebii Bergami, Venetiis apud Aloisium Pavinum, 1727, 8.

Alph. 1 Tabb. æn. 4.

NOn omittendum putavimus librum, etsi serius ad nos allatum, qui in rebus ad Opticen pertinentibus complura nova pollicetur, iis omnino contraria, quæ huc usque a *Newtono*, *Bernoullio*, atque aliis recentioribus Philosophis, non sine magno eruditorum assensu sunt allata. Neque enim solum repetit in hoc Opere Clariss. Autor, quæ in Actis nostris passim contra placita istorum virorum disputavit, sed & novam luminis ac colorum theoriam affert, quam lectorum judicio relinquentes paucis nunc exponemus. Et totum quidem Opus divisum est in libros duos, quorum alter continet affectiones luminis refracti & reflexi; alter colorum theoriam. Primum in quatuor Capita partitus est Nobiliss. Autor. In uno docere instituit, canones *Bernoullianos* ad refractionem pertinentes tum Geometriæ tum naturæ legibus repugnare. Et quia nonnihil in aliorum quoque sententiis desideratur, ea datur explicatio, quæ refracti luminis proprietatibus quam aptissime convenire censetur. Scilicet transeunte lumine ex uno medio in aliud diversæ densitatis, sinus angulorum incidentiæ & refractionis non resistentiis mediorum reciproce (quod vult *Bernoullius*) sed facilitatibus, quibus lumen in iisdem mediis propagatur, directe respondere, porroque hanc actionem luminis leges communicationis motus, quæ in corporibus non elasticis obtinent; sequi perhibetur. In altero Capite indicatur, *Newtoniana* experimenta, circumstantiis mutatis, & etiam alia, diversæ colorum refrangibilitati repugnare, adeoque lumina cujuscunque coloris esse æqualiter refrangibilia. Atque in hoc & sequentibus Capitibus ea omnia repetuntur, quæ cum Cl. *Richtero*, Collega nostro perquam industrio, in his Actis Suppl. T. VIII Sect. XI p. 484, Cl. Autor disputavit. Alacriter is ubique in sua sententia perseverat. Oculum nudum atque ejus humores, pro lentibus vitreis majoribus rite substitui

posse

posse, etiamnum judicat. A panno nigro chartæ bicolori subjecto, & forte ab ipsis intensissimis tenebris, (quæ si pro panno nigro chartæ illi rite circumfunduntur experimentum *Newtonianum* eo melius succedit, cum pannus niger non nisi ad qualemcunque tenebrarum imitationem adhibeatur) satis notabilem radiorum vim reflecti, & limbum coloratum circa chartam oriri, non minus quam a panno candido, affirmat. Colores, qui permanentes vocantur, & a lumine directo illustrantur, alia inclinatione radios reflectere, quam illos colores, qui pro apparentibus habentur, atque a refracto lumine producuntur, certissimum ponit. Nec minus in ea sententia persistit, objectum quodlibet per lentem opticam ab oculo, ubivis ultra vel citra focum constituto, ita perspici, ut a singulis objecti particulis, non per singulas lentis particulas, sed per integram lentem, radii ad oculum transmittantur. Cum imaginem solis oblongam & coloratam, per prisma rite projectam, interposito alio prismate, ex certo intervallo intuitus esset *Newtonus*, eamque contrahi in circulum & coloribus confusis albam apparere vidisset, *Rizzettus* similem imaginem, coloribus permanentibus depictam, simili modo aspexit; quam cum coloribus turbatis (ut par erat) nec rotundam nec satis albam apparere observasset, id pro re *Newtonianis* inexpectata & maximopere molesta habet, quam a Cl. *Richtero* neglectam esse, oppido inique fert. Ut vero illius argumenti *Newtoniani* vim infringat, quod desumtum est ab inclinatione imaginis oblongæ solaris, per duplex prisma, horizontale & verticale, transmissæ, hujusmodi perexpeditam in promtu habet responsionem: *si gemina prismata*, inquit, *sibi invicem ita cohæreant, ut axis unius sit horizontalis, & alterius verticalis, manifeste patet, ex duobus prismatibus tertium componi, cujus axis ad horizontem inclinatur.* Demonstrationem rei, juxta ipsius opinionem tam *manifestæ*, omisit, quam tamen lectoribus paullo minus perspicacibus invidere non debuisset. Sed hæc relinquenda sunt, ne longi simus. In tertio Capite docentur leges, quibus lumen refractum dispergitur. In quarto de reflexione radiorum disseritur, canonesque huc pertinentes tum *Bernoulliani* tum *Newtoniani* rejiciuntur.

Prin-

Principium Autoris primarium hoc est: actionem luminis in refractione eas sequi leges motus, quæ spectent ad corpora elaterii expertia; in reflexione vero eas, quæ pertineant ad corpora perfecte elastica. Atque ut omnes affectiones luminis ex uno in aliud medium transeuntis, vel in uno eodemque medio euntis & redeuntis, explicentur ac demonstrentur, sufficit (judice Autore nostro) lumen vel luminis vehiculum materiam esse, quæ componatur elementis, aliqua cohæsione inter se conjunctis, & in nisu inclinationis facile sejungendis. Quare hac luminis natura operante, omnia, quæ ad ejus refractionem, dispersionem & reflexionem pertinent, hoc unico principio ostenditur in conclusione primi libri expediri. Transit deinde in secundo libro Autor Nobiliss. ad theoriam colorum, quos gigni ex variis modificationibus lucis & umbræ, seu clari & obscuri, vetus sententia fuit. Nec dissentit Noster, nisi quod ad modum attinet, quo lux & umbra se invicem afficiant in producendis coloribus; hoc enim nec permixtione, ut antiqui voluerunt, nec interceptione, ut recentiores quidam contendunt, sed potius velo quodam diaphano, inter objectum & oculum interposito, fieri docet. Hujusmodi igitur est argumentum secundi libri, qui Prolusione incipit, quatuor Capitibus progreditur, & conclusione tandem absolvitur. In Prolusione exponuntur *leges, quibus colores in lumine objecti opaci radiantis per alterum pellucidum exhibentur*. In primo Capite notatur, colores naturales, qui ubique conspiciuntur, in cœlo, terra, & mari, a principiis tum *Newtoni* tum aliorum abhorrere, at cum legibus inventis pulchre congruere. In altero indicatur, experimenta *Newtoniana* pro coloribus apparentibus explicandis, dogmati illius autoris (mutatis circumstantiis) repugnare, dogmati vero novo respondere. In tertio de phænomenis halonum, Parheliorum, iridis, differitur. In quarto de coloribus agitur phantasticis, & eorum quoque mysterium ex nova theoria aperitur. In conclusione totum suum systema quasi in synopsi Autor exhibet; quod etiam a nobis paucis nunc exponendum est. In perceptione cujusvis coloris fundum quoddam opacum aspicitur per medium pellucidum, vel etiam per plura ejusmodi me-

 dia.

dia. Porro utraque illa res, tum fundum opacum tum medium pellucidum, motum aliquem in oculum imprimunt. Hinc duplex oritur motuum illorum diversitas. Nam ex una parte referuntur motus alius ad objectum remotius, tanquam ad fundum opacum, & alius ad propinquius, tanquam ad medium pellucidum; ex altera parte motus alius majori, alius minori vivacitate præditus est. Vocetur A vivacitas motus relati ad objectum remotius, vel ad fundum opacum, & appelletur B vivacitas motus relati ad objectum propinquius, vel ad medium pellucidum. Quibus ita positis, 1) si excessus, quo A superat B, est magnus, color emergit ruber, magis vel minus saturus, prout ille excessus major vel minor est; 2) si parvus est is excessus, color exilit flavus, qui vergit ad rubrum vel album, prout idem excessus minus vel magis accedit ad nihilum; 3) si hujusmodi excessus est nullus, color apparet albus vel cinereus vel niger, prout quantitates A & B (servata inter se æqualitate) majores vel minores vel nullæ sunt; 4) si excessus propositus ex positivo in negativum transit (quantitate B superante quantitatem A) oriuntur colores cæruleus & violaceus; 5) si excessus, quo B superat A, est magnus, color videtur cæruleus, qui magis vel minus satur, majori vel minori hujusmodi excessui respondet; 6) si hic excessus est parvus, cernitur color violaceus, qui vergit ad cæruleum vel nigrum, prout idem excessus ad nihilum magis vel minus accedit; 7) si tandem hujusmodi excessus est iterum nullus, iterum colores redeunt niger, cinereus, vel albus, prout quantitates B & A (æqualitate inter se servata) nullam vel minorem vel majorem vim habent. 8) Si præter geminos motus, quorum sunt vivacitates A & B, tertius etiam accedit, relatus ad objectum (*sive ad aliud medium pellucidum*) propinquius illo, cujus vivacitas est A, & remotius illo, cujus vivacitas est B, hujus tertii motus vivacitas vocetur C. Quo posito, si C est major, quam A & B, convenientibus iis, quæ geminos colores faciunt, cæruleum (vel violaceum) & flavum, componitur viridis. 9) Si vero C est minor quam A & B, ita ut simul conveniant ea, quæ geminos iterum colores faciunt, flavum & cæruleum, (vel violaceum,) color viridis rursus emergit;

git; 10) at si C est minor quam A & B, ita ut ea simul conveniant, quæ geminos alios colores faciunt, rubrum & cæruleum, (vel violaceum,) color oritur vinosus. Hi sunt canones *Rizzetti ani*, ad genesin colorum pertinentes; quos invenit doctissimus Autor, dum chartam (tanquam fundum opacum) aliquando albam, aliquando nigram, aliquando a sole illustratam, aliquando ab umbra obscuratam, per vitrum aspexit Astroitem; quod vitrum natura album & pellucidum, modo a sole illustratum modo ab umbra obscuratum, aliquando tenue, aliquando crassius fuit. Applicat autem hos canones ad omnia tria colorum, quæ ipse distinguit, genera; scilicet ad colores naturales, apparentes, & phantasticos. Si quæris, cur corpora quædam flava vel rubra appareant, id propterea fieri docet *Rizzettus*, quia minimæ illorum particulæ, interius opacæ, & exterius pellucidæ, minus vel plus albescant interius, & nigrescant exterius. Similiter si rogas, cur corpora quædam violacea vel cærulea appareant, respondet Noster, hoc inde fieri, quia minimæ illorum particulæ nigrescant interius opacæ, & data ratione albescant exterius pellucidæ. Porro si scire cupis, quid ita corpora quædam viridia videantur, respondet Autor, quia in minimis illorum particulis ea simul conveniunt, quæ colores faciunt flavum & cæruleum, (vel violaceum,) hoc est, quia particulæ interiores albescentes, tanquam fundum clarum, per exteriores, tanquam per medium pellucidum prius obscurum, & postea clarum, transspiciuntur. Duo adhuc exempla colorum phantasticorum afferemus. Quæritur, cur oculis per aliquod temporis spatium in solem intentis, ac postea ad albam chartam delatis, spectrum solare, variis successive coloribus tinctum, in charta appareat. Hoc problema ita solvit *Rizzettus*, ut dicat, imaginem solis absentis in oculi fundo manere eodem tempore, quo imago chartæ præsentis in idem fundum imprimatur: si igitur, inquit, imago solis maxima vivacitate pollet, & charta ab umbra obscuratur, idem erit, ac si radiaret fundum clarum per medium obscurum, ideoque spectrum videbitur rubrum vel flavum; si porro imago solis languescere incipiet, & a majori lumine ita charta illustrabitur, ut hujus imago pari vivacitate,

ac imago ſolis,donetur, idem erit, ac ſi radiaret fundum clarum per medium clarum, & ideo ſpectrum videbitur album, ejusque color a colore chartæ diſtingui non poterit; ſi tandem imago ſolis valde languida fuerit, & ita charta illuminata, ut hujus imago vivacitate præpolleat, idem erit, ac ſi radiaret fundum obſcurum per medium clarum, & ideo ſpectrum videbitur cæruleum vel violaceum. Solent feminis morbo hiſterico laborantibus objecta alba tanquam variis coloribus tincta apparere. Hinc ex paritate effectus etiam pares eſſe cauſas Autor colligit. Afficitur igitur, docente *Rizzetto*, fundum oculi in ejusmodi femina eodem modo, ut in homine, qui ſpectrum ſolare in charta conſpicere videtur. Nempe in utroque caſu res ita ſe habet, ut geminæ imagines agant, altera impreſſa ab objecto præſente, altera vero impreſſa in primo caſu a cauſa quadam interna,(quæ Phyſicis inveſtiganda relinquitur,)& in ſecundo a ſole, qui paullo ante præſens fuerat. Atque hæc quidem ſpeciminis loco ſufficiant.

AN ATTEMPT TOWARDS A NATURAL History of the Foſſils &c.

i. e.

TENTAMEN HISTORIÆ NATURALIS Foſſilium, ſive Catalogus Foſſilium, quæ collegit J. WOODWARD, M.D.

Tomi II.

Londini, apud F. Fayram, J. Senex, J. Osborn, & T. Longman, 1729, 8.

Alph. 1 plag. 20.

SUpra Menſe Jun. p. 270 recenſuimus Opus poſthumum Celeb. Autoris, quo methodum tradidit, foſſilia in certas claſſes, concinno ac maxime naturali ordine, diſtribuendi. Nunc etiam de foſſilibus omnis generis, ſummo ſtudio, per quadraginta fere annos, ex toto terrarum orbe ab eo collectis, & juxta methodum illam digeſtis, pauca quædam commemoranda ſunt. Catalogum igitur Collectionis Foſſilium *Woodwardianæ* hic liber

ber complectitur, qui divisus est in duo Volumina sive Tomos. Volumen primum duabus absolvitur Partibus; quarum una de fossilibus Anglicanis propriis ac naturalibus, altera de fossilibus Anglicanis extraneis & minus proprie ita dictis agit. Fossilia Angliæ naturalia, secundum methodum Autoris supra traditam, in undecim classes dispescuntur. Extranea sunt vel vegetabilium vel animalium partes, e telluris visceribus erutæ. Partes vegetabilium in duas classes distinguuntur. Harum una plantarum folia lapidibus immersa comprehendit. In altera, quæ rursus quadrifariam divisa est, primo quidem loco turfæ seu cæspites, gramina, sarmenta, nuces &c. deinde arborum & arbustorum partes, porro lignum putrefactum, ac postremo fructus recensentur. Partium animalium sunt classes XV; quarum unam occupant conchylia univalvia, alteram turbinata, tertiam bivalvia, quartam multivalvia, quintam echini, sextam corpora echinis affinia, septimam entrochi & trochitæ, octavam asteriæ & entrocho-asteriæ, nonam crustacea, decimam piscium partes, undecimam partes quadrupedum, duodecimam corpora marina (præsertim conchylia) massæ lapideæ consertim immista, decimam tertiam fossilia quædam incognita, decimam quartam cochleæ terrestres, ac denique decimam quintam musculi fluviatiles. Inter duodecimam ac decimam tertiam quatuor insertæ sunt mantissæ: quarum una agit de conchyliis quibusdam marinis e terræ visceribus in agro Hantonensi erutis; altera de rebus nonnullis fossilibus in itinere septentrionali A. 1700 collectis; tertia de testis, aliisque animalium marinorum partibus, incerti generis; quarta de conchyliis fossilibus aliqua injuria affectis, attritis, erosis, compressis. Adjecta etiam est appendix, varia corpora recentioris originis complectens, quibus usus est Autor, ut cum iis comparare atque etiam magis illustrare ista antiquiora & vere antediluviana posset. Atque hactenus de primo libri Volumine. In altero partim fossilia Angliæ, cum naturalia tum extranea, quibus successive apparatum suum auxit *Woodwardus*, sex diversis catalogis recensentur, quippe quos in unum redigere, propter plurima negotia atque impedimenta, Autori non licuit; partim etiam fossi-

lia aliarum regionum, ex universo fere terrarum orbe collecta, parique ratione in naturalia & extranea divisa, exhibentur. Ceterum & horum non unus sed quadruplex catalogus est, nec classes & earum ordo a prioribus magnopere differunt. Quemadmodum autem fossilia Anglicana pleraque, cum quoad locum eorum natalem, situmque & nexum subterraneum, tum quoad propriam figuram, colorem, interioremque dispositionem & naturam, variis experimentis investigatam, diligentissime Autor persecutus est; ita etiam de fossilibus exterarum regionum, quanquam circa ea pari studio versari non potuit, multa tamen passim affert, quæ ab autoribus & amicis fide non indignis, simul cum ipsis earum rerum exemplis, accepit, ad historiam naturalem fossilium amplificandam oppido utilia ac necessaria; neque etiam in Præfationibus & annotationibus, per universum Opus crebro interjectis, ea prætermisit, quæ harum rerum studiosis satisfacere ac singulari usui esse possunt. Quodsi igitur eam historiæ naturalis partem, qua fossilia comprehenduntur, non plane perfecit Autor, haud parum tamen ad perfectionem ejus, in posterum multo facilius promovendam, contulisse dicendus est.

HORÆ SUBSECIVÆ MARBURGENSES A. MDCCXXIX, quibus Philosophia ad publicam privatamque utilitatem aptatur, Autore CHRISTIANO WOLFIO, Consiliario Aulico Hassiaco, Mathemat. ac Phil. Prof. Primario in Acad. Marburg. & Ordinis Philosophorum p. t. Decano, Prof. Honorario Petropolit. Societ. Reg. Brit. ac Bor. Sodali. Trimestre Vernale.

Francofurti & Lipsiæ, in Bibliopolio Rengeriano, 1729, 8.

Plag. 12.

PRimo loco Autor agit de hypothesibus philosophicis. Constituitur hypothesis philosophica, judice Nostro, per ea, quæ sumuntur ac si essent, utut haudquaquam demonstrare valeamus,

mus, quod revera sint, quoniam per ea ratio reddi potest phænomenorum, quæ observantur. Condi adeo hypotheses, ubi vel observationes sunt incompletæ, vel principia generalia deficiunt, ut ex effectu causa certo colligi possit. Iis adeo locum non esse concedendum, ubi ad veritatem liquidam pertingere datur, nec eas esse admittendas tanquam principia in demonstrandis dogmatis, quibus ad dirigendas actiones opus habes, ubi praxis incerta periculosa, quemadmodum in moralibus & Medicina. Admittendas adeo esse in Philosophia, quatenus ad veritatem liquidam inveniendam viam sternunt, exemplo Mathematicorum in Arithmetica & Astronomia. Quodsi ergo ex hypothesibus non nisi rationem reddas eorum, quæ observantur, & iis, quæ a priori inde colliguntur, non utaris nisi ad examina hypothesium, ut earum veritas vel confirmetur, vel error, si quis admissus fuerit, corrigatur; ab iis nullum metuendum esse errorem, sed veritatis sperandum multiplex incrementum. Hypotheses philosophicas non modo absolute possibiles esse debere, sed iis positis, poni quoque debere, quæ observantur, & his sublatis, illas quoque tolli debere. Ostendit deinde impossibilitatis hypothesium demonstrandæ modum, nec non veritatis colligendæ methodum tradit. Ex genuino autem hypothesium usu tolerantiam earum probat, qualem ipsi Curiæ Romanæ non improbari, exemplo hypotheseos terræ motæ docet. Rationem deinde reddit, cur diverso tempore diversa experiantur fata hypotheses philosophicæ, & prudentiam politicam circa hypotheses philosophicas delineat exemplo Ministrorum Suecorum in causa *Pufendorffii* adversus *Schwarzium*, Theologum Londinensem, comprobatam.

Secundo loco explicat definitionem justitiæ *Ulpiani* l. 10 ff. de J. & J. atque ejus consensum cum notionibus *Aristotelicis* monstrat. Justitia definitur ab *Ulpiano*, quod sit constans & perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi. Eandem definiri per voluntatem contendit Noster, quia ad eam potissimum requiritur, ut quis alteri tribuere velit jus suum, absentibus licet omnibus rationibus extrinsecis, motivis non nisi ab actione, quatenus justa est, desumtis. Per constantiam voluntatis intelligen-

gendam esse firmitatem propositi in dato quocunque casu, ita ut voluntas per motiva ab actione desumta determinata nullis rationibus extrinsecis a proposito alteri tribuendi jus suum se dimoveri patiatur, quæ in casibus singularibus sese offerunt. Voluntatem vero dici perpetuam, quatenus illa propositi firmitas in omni casu adesse debet. Constantem adeo & perpetuam voluntatem *Ulpiani* esse definitionem habitus moralis, quem virtutis genus facit *Aristoteles*. Extra systema enim definitionem generis integram poni posse loco generis in definitione speciei. Jus, quod alteri tribuendum, denotare facultatem agendi moralem, ut, quod quis physice facere potest, idem etiam salva lege facere possit. Idem adeo tribui alteri, quatenus eum non impedimus, quo minus agat, quod moraliter, hoc est, salva lege agere potest, eique præstamus officium, ad quod præstandum eidem obligamur. Hanc *Ulpiani* definitionem ad eam justitiam pertinere, quam *Aristoteles* particularem appellat, & opponi universali, quæ sit complexus omnium virtutum, quatenus ad commune civitatis bonum tendunt, atque adeo per relationem virtutis uniuscujusque ad alios, præsertim eos, qui in eadem nobiscum societate civili vivant, constituatur, ita ut e. g. temperans sit justus, quatenus opes suas non profundit, ut oneribus Reip. pro parte sua ferendis sit par, & justus erga alios, quatenus exemplo suo docet alios. Ita enim eundem tribuere & Reip. & singulis civibus jus suum. Expendit deinde Celeb. Autor divisionem justitiæ particularis in distributivam & commutativam, docetque, quomodo in illa geometrica, in hac arithmetica proportio observetur. Justitia distributiva dividi, quod commune est, hoc est, quod ad cives tanquam membra societatis civilis spectat, inter partes alicujus societatis, ne ulla conquerendi causam habeat, quasi sibi majus imponatur onus, quam alteri, cui majus vel æquale imponi debebat, aut alter sibi injuria præferatur. Observari hic proportionem geometricam, quatenus onera civibus ferenda proportionantur lucro, quæ percipiunt, & honores meritis in Remp. munera aptitudini, quam quis habet, ad ea obeunda. Justitia commutativa tolli querelas in commutationibus partim spontaneis, partim invitis. Dicitur autem com-

commutatio actus, quo aliquid, quod erat Titii, transfertur in Mevium, quales sunt contractus, furta, rapinæ. In justitia commutativa uni demi, quod plus habet, detractumque addi alteri, qui minus habet; quod ut fieri possit, in commutationibus invitis sive delictis æstimandis, siquidem tolli debeant querelæ, spectari debere & damnum illatum, & offensam, qua tum civem quoad personam suam privatam, tum Rempublicam læsit. Observari hic proportionem arithmeticam, quatenus retributio ita fieri debet, ut ea facta status Titii ac Mevii quoad bona fortunæ idem sit, qui fuerat ante commutationem, consequenter ut, quæ erat status Titii ac Mevii differentia ante commutationem, eadem sit post retributionem, quoad bona scilicet fortunæ, respectu hujus commutationis. Doctrinæ hujus Aristotelicæ cum definitione *Ulpiani* consensum demonstrat, quatenus sic demum redditur unicuique in omni casu jus suum.

Tertio loco Autor docet successivam assensus generationem, quæ ideo obtinet, quod probatio assensum neque certum, neque probabilem extorquere possit, nisi singula principia & probe perspecta, & familiaria sint. Perspecta nobis esse principia, si eam in nobis notionem excitare valemus, quæ determinationes tam subjecti, quatenus sunt ratio sufficiens prædicati eidem tribuendi, quam prædicati, quæ cum illis una ponuntur, repræsentat. Perspici veritatem propositionis, dum & de veritate principiorum demonstrandi, & de forma demonstrationis nullum nobis supersit dubium; probabilitatem autem agnosci, ubi de probabilitate unius alteriusve principii, de veritate ceterorum, de forma denique probationis, vel de requisitorum ad veritatem insufficientia fuerimus convicti. Atque hinc deducit, quomodo assensus non nisi successive generari possit, ita ut assensuum quædam genealogia concipienda sit, vi cujus posterior sine quodam anteriore nasci nequit, non nisi ex systemate veri nominis agnoscenda. Hanc rationem sibi fuisse, cur non modo Mathesin universam in istiusmodi systema harmonicum redegerit, ad quod deinde facile referre licet, quæ præter veritates in systemate extantes vel alibi leguntur, vel a nobis ipsis primum inveniuntur; sed idem quoque magis difficili labore circa

Philoſophiam moliatur, quemadmodum ex Logica & Philoſophia prima jam publici juris facta appareat. Deducit hinc neceſſitatem ſyſtematis veri nominis, modum legendi ſcripta ſyſtematica, modum evitandi præcocem aliorum impugnationem, modum evitandi præcipitantiam in judicando, modum eradicandi præjudicium nimiæ confidentiæ, cautamque veritatis communicationem ac defenſionem. Docet præterea, cur methodus ſtudiorum non ſit indifferens, ubi ſolidam doctrinam conſequi volueris, ut nihil lateat in notionibus obſcuri, nec in ullo caſu aſſenſus in aliquid precarii reſolvatur, & qua ratione notionem pragmaticam ſucceſſivæ aſſenſus generationis conſequamur, lectione nimirum ſyſtematum veri nominis, quæ in Trimeſtri brumali delineavit, ea quidem attentione facta, ut appareat, quomodo claritas & evidentia ſequentium a claritate & evidentia antecedentium pendeat. Fieri ſcilicet ſubinde debere analyſin definitionum ſequentium in anteriores & terminos primitivos, qui abſque definitione ſumuntur, ad intuitum rei præſentis reducendos. Fieri præterea debere analyſin demonſtrationum ſequentium in propoſitiones antecedentes, & axiomata, quæ ſine probatione ulteriori ſumuntur, reducenda eſſe ad exempla, per quæ notio clara ipſis reſpondens ſit evidens.

Quarto loco Noſter de notionibus directricibus diſſerit, & geminum uſum Philoſophiæ primæ aperit. Per notiones directrices intelligit eas, per quas apparet, quo cogitationes meditantis ſint dirigendæ, ut reperiatur, quod quæritur. Notiones ontologicas directrices eſſe probat, quod principia ontologica, quam primum a notionibus confuſis ad diſtinctas revocantur, dirigant intellectum in veritate agnoſcenda, ſive ea a nobis inveſtigari, ſive ab aliis inveſtigata dijudicari debet: id quod unusquisque in ſe ipſo experiri poſſit, modo notiones ontologicas diſtinctas ex Philoſophia prima Autoris ſibi familiares reddiderit. Et ſane non deſunt, qui hunc uſum cum in Medicina, tum in Jurisprudentia ſe expertos eſſe publice jam profeſſi ſunt, ex quo illa publici juris facta fuit. Ut vero Autor ipſe fidem oculatam efficiat, unum alterumque exemplum proponit. Agit deinde

deinde de usu notionum ontologicarum in arte inveniendi, quem olim distinctius se expositurum promittit, ubi artem inveniendi in systema reduxerit. Explicat etiam usum notionum ontologicarum in demonstrando, in reducenda Mathesi & Philosophia ad sensum communem, in docendo, in augendo acumine, in arcendo scepticismo. Reducit *Euclides* Mathesin ad notiones communes, tum demonstrationes in principia ontologica resolvit, quibus notiones communes respondent. Et ejus exemplo Philosophiam reducit ad sensum communem, si propositiones determinatæ demonstrentur, & demonstrationes reducantur similiter ad principia tanquam prima, quibus notiones respondent, communi usu in ratiocinando approbatæ, nec in dubium revocandæ, nisi te sensu percipere negare velis, quæ percipis. Quemadmodum vero *Euclides* istiusmodi principia de quantitate, de qua utiliter tractare ipsi propositum fuerat, non repererit nisi in Philosophia prima, quæ notiones quantitatis generales easque primas explicet; ita nec Philosophum istiusmodi principia de rebus ad se pertinentibus alibi reperire posse ostendit, quam in Philosophia prima. Etenim Philosophiam primam agere de ente in genere, atque adeo primas explicare notiones, quibus aliæ priores dari nequeant. Notiones istas esse hominibus omnibus communes, etsi confusas, iisdemque uti ratiocinantes in casibus obviis omnes, quatenus ex notionibus confusis species quædam ratiocinii nasci potest, & si quæ præterea occurrant, easdem in Ontologia ipsa ad communes per demonstrationes reduci. Atque ideo in Philosophia prima se ostendisse, quod notiones distinctæ, quas dederit, & in quas ceteræ per demonstrationes resolvantur, sint communibus conformes, quamvis etiam inter notiones derivativas haud paucæ occurrant, quibus confusæ communes respondeant. Monet itaque, se Philosophiam, dum eam certam efficere studeat, ad sensum communem reducere, resolutis tandem demonstrationibus omnibus in notiones communes, & his ulterius reductis, quando fieri id potest, ad notiones communes, alias simpliciores, ut primitivarum numerus admodum exiguus evadat. Hinc porro infert, rigorem demonstrandi cum reductione Philoso-

phiæ ad ſenſum communem ſubſiſtere poſſe, atque adeo multum aberrare a vero, qui, cum ſe ſolos alta videre glorientur, tractationem ſuperficiariam cum reductione ad ſenſum communem confundant, quaſi Philoſophi ſit, in notionibus confuſis, quæ vulgo ſunt, acquieſcere, & cum eodem terminis ac judiciis vagis ratiociniisque confuſis inhærere, peccatum vero is committat, ubi notiones a ſe invicem ſeparat, quæ in rebus involvuntur, & in ſimpliciores reſolvit, quamdiu datur, ut in omni propoſito caſu accurate diſcerni poſſint, quænam in notione confuſa contineantur. Poſt tam præclaros Ontologiæ uſus hactenus non animadverſos, urget etiam alium prorſus inexpectatum, nempe uſum notionum ontologicarum in dirigendis actionibus liberis, adeoque earum influxum in prudentiam tam publicam, quam privatam. Hujus ſpecimina ſe in poſterum daturum promittit.

Ultimo tandem loco officium hominis circa injurias explicat, quod continetur verbis Chriſti *Matth. V, 39*, colaphum in dexteram malam impingenti alteram obvertere jubentis. Ex contextu probat, Chriſtum præceptum ſuum opponere legi talionis. Legem talionis fuiſſe forenſem ſive civilem, quæ cum ex notione juſtitiæ commutativæ fluat, quatenus circa commutationes invitas verſatur, ipſique Deo approbata fuerit *Exod. XXI, 22, 25*, & *Levit. XXIV, 19, 20*, injuſtitiæ accuſari nequeat, utut in executione pœna talionis vi principiorum moralium & politicorum in pœnam aliam ex æſtimatione injuriæ & ex eo, quod rei publicæ intererat, ne quis facile alterum laceſſere auderet, determinandam converti debeat, & a Judæis quoque in eo caſu, quo capitalis non erat, in mulctas graviſſimas converſa fuerit. Chriſtum itaque præceptum ſuum juri talionis non opponere tanquam legem civilem civili, ſed tanquam legem naturæ legi civili: civilem enim ſubinde a naturali recedere & aliqua eidem ſuperaddere, in quorum numero etiam ſint pœnæ civiles. Hanc oppoſitionem ex ipſo quoque contextu probat, Phariſæis legem civilem cum naturali, ſeu, ut Theologi loquuntur, forenſem cum morali confundentibus. Inde colligit verbis Chriſti eam reſpondere notionem, qua officium circa injuri-

jurias jure naturali continetur. Ex notione igitur amoris, quod sit ea animi dispositio, qua ex alterius felicitate eam voluptatem percipimus, quam ex propria percipere solemus, consequenter & ex infelicitate alterius eum dolorem, quem ex propria percipimus, demonstrat, morum regulam hanc esse, ut habeamus animum ab omni cupidine vindictæ vacuum. Hunc verbis Christi apte exprimi porro ostendit. Talem enim exprimi actionem externam, qua posita animus quoque ab omni cupidine vindictæ vacuus ponatur, actionem vero hanc sapienter eligi specialissimam, ne notiones in animo recurrentes sua destituantur claritate. Nimirum in exemplo colaphi in maxillam impacti tres distingui posse casus. Aut enim eum, qui colapho cæditur, alteri vicissim alapam impingere, aut non impingere, aut alteram malam eidem obvertere. In casu primo jure civili cum naturali per abusum juris talionis confuso vindictæ cupidinem & odium inimici prodi; in secundo rationem esse posse geminam, vel quod sibi metuens a majori malo vindictam differat, ab ea autem non abstineat, vel quod animum habeat a vindictæ cupidine alienum, non tantummodo simulet, ut adeo cum omissione actionis non necessario conjungatur animus a vindictæ cupidine alienus; in tertio denique animum ab omni vindictæ cupidine necessario procul remotum esse. Christum igitur ad casum tertium provocantem notionem animi ab omni vindictæ cupidine procul remoti in eo, qui verba ejus percipit, excitare, vel saltem eam ita disponere, ut in dato casu judicare possit, citra omne erroris periculum, se esse ab omni vindictæ cupidine prorsus alienum. Etenim tum demum nos intelligere, quod animus sit ab omni vindictæ cupidine vacuus, ubi ita dispositum sentiamus, ut injuriam, quam perpessi sumus, denuo perpessuri nihil in nobis deprehendamus, quod nos ad aversandum disponat. Probat etiam exemplo Christi *Luc. XXIII, 34*, ab Apostolo nobis commendato *1 Petr. III, 23*, eidem animum a vindictæ cupidine alienum fuisse. Etsi autem animum a vindictæ cupidine alienum habens, si per eum staret, injuriam sibi illatam vindicari nollet; id ipsum tamen non obstare ex collisione regularum de amore amicorum & inimi-

inimicorum ostendit, ut, quantum Reip. intersit, vindictam magistratui committat, nec eam obstare in statu naturali defensioni, adeoque nec juri inculpatæ tutelæ, quando ex statu civili in naturalem quasi detrudimur.

HISTOIRE DE L'ACADEMIE FRANCOISE par Mr. PELLISSON.

hoc est,

HISTORIA ACADEMIÆ GALLICÆ, AB ejus inde origine ad Annum usque MDCLII deducta, Autore PAULO PELLISSONIO; editio secunda, cum Notis & Additamentis.

Parisiis, apud Jo. Bapt. Coignard fil. 1730, 12.
Alph. 1 pl. 14.

HISTOIRE DE L'ACADEMIE FRANCOISE par Mr. l'Abbé d'OLIVET.

h. e.

HISTORIA ACADEMIÆ GALLICÆ AB Anno MDCLII ad Annum MDCC continuata per Abbatem OLIVETUM.

Parisiis, apud eundem, 1730, 12.
Alph. 1 pl. 15.

NOn incelebre est *Pellissonii* inter prioris seculi eruditos nomen & fama, quam tum variis atque singularibus fatis, tum vero scriptis etiam quamplurimis acquisivit. Biterris Occitaniæ urbe A. 1624 parentibus, *Calvini* placita amplexis, editus, humaniores primum artes, mox Juris scientiam Tolosæ tanto cum successu imbibit, ut vix adolescentiam egressus, Gallicam versionem primi libri Institutionum Justiniani cum plausu ederet. Non multo post Parisios adiit, Valentino Conrarto, primo Academiæ Gallicæ Secretario, a suis commendatus, qui mirifice ingenio juvenis atque doctrina delectabatur. In patriam tandem

dem reversus patris instituto, fori negotiis se applicare cœpit, non multum vero profecit, quod morbilli, molestum morbi genus, ipsum statim fere post muneris auspicia occupantes, prosternerent vires corporis. Hujus rei tædium levaturus, postquam cum salute in gratiam rediisset, Parisios repetiit, vix agnitus familiaribus externo corporis habitu, quod adeo misere faciem deformavissent morbilli, nisi ingenii præstantia eundem *Pellissonium* amicis persuasisset. Coluit tum inter hos maxime *Saracenum* (Sarasin) atque *Scuderiam*, doctissimam feminam, præcipue autem *Fouquetum*, magistrum rationum primarium, qui & in familiam ipsum acceperat. Cum hoc patrono suo A. 1661 carceri publico (*la Bastille*) inclusus, pessime aliquamdiu habitus est, adeo, ut cum deprehensum fuisset, commutare ipsum frequenter cum *Scuderia* sua litteras, omni chartæ atque atramenti, librorum etiam cujuscunque generis, usu ipsi severissime interdiceretur. Libertati post quatuor annos vel tandem restitutus, & duo millium thalerorum stipendio annuo a rege ornatus, ut sine offensa inter aulicos degere posset, A. 1670 Pontificiam religionem Carnuti publice primum professus est, & mox Clerici habitum indutus. Probavit post hæc maxime suis tum editis theologici argumenti scriptis plurimis, tum suppeditatis consiliis pro convertendis aut evertendis potius a Romana fide alienis zelum suum, osorem se vero simul cœtus, quem deseruerat, demonstravit abunde. Doctrinæ interim ingeniique ipsius elegantiam, & tum versa tum soluta oratione scribendi facultatem exosculati sunt semper omnes, qui suo quamque rem pretio æstimare didicerunt. Insigne hujus monumentum præter alia præsenti maxime *Gallicæ Academiæ Historia* reliquit, de qua cum nondum, quod meminerimus, in Actis nostris dictum fuerit, licet pridem in vulgus exiisset, libri summam strictim placet edisserere. Rogatus aliquando ab amico quodam suo, quem *de Faure Fondaments* vocari compertum est, *Pellissonius*, ut litteris conderet historiam illustris illius societatis, quæ pro perficienda lingua Gallica coaluerat Parisiis, aggressus est opus tanto lubentius, quanto magis scriptis Academiæ Commentariis adjutus, tum etiam variis

corvo-

coævorum narrationibus instructus fuerat. Ipsum opellæ ambitum in quinque Partes commodissime dispescuit, ita ut primum de fundatione illius, quæ A. 1635 regia autoritate corroborabatur, dissereret; tum leges & statuta, quibus societas continetur, exponeret, notatis simul solicite conventuum ordinariorum diebus, loco aliisque circumstantiis; post hæc enarraret, quid a prima inde institutionis periodo pro amplificando sermone vernaculo atque emendando susceperit; porro res quasdam memorabiliores, quibus ipsum hoc argumentum optime collustratur, annotaret; denique Academicorum omnium ad annum usque præteriti seculi quinquagesimum secundum curatam notitiam exhiberet, quos inter qui satis ante hoc tempus jam concesserunt, plenius descripti, debitisque doctrinæ atque virtutis elogiis exornati, reliqui concinnius & simplici fere nominis atque scriptorum indicio recensiti fuerunt. Non caruit plausu hoc institutum, immo vero tum ob rerum jucundam varietatem, tum ob stili elegantiam avidissime exceptum est ab eruditis, quorum haud pauci serio optabant, ut existeret aliquis, qui continuandum hoc narrationis filum susciperet. Et inventus est tandem dignissimus *Pellissonio* successor & tum ingenii amœnitate, tum doctrinæ copia, omnino suppar, clarissimus *Olivetus*, editis nuper *Huetianis* eruditis cognitus, qui manum labori non infeliciter commodaret. Ille vero hunc instituti modum tenuit, ut, recensito prius *Pellissonii* Opere, quod integre hic recusum sistitur, primamque Partem efficit, brevibus passim animadversionibus annotaret, ubi mutatæ sint Academiæ consuetudines insequenti tempore, aut erraverit aliquando antecessor, haud adeo sufficienti rerum notitia instructus; Academicorum præcipue Catalogum retexeret, & variis celeberrimorum virorum elogia ac vitas momentis exornaret. Ubi vero dolet, quod in usum convertere nequiverit Academiæ scriptos Commentarios atque indices, *Pellissonio* usurpatos, qui quidem illo, quod supra dictum est, ad carceres damnato una cum aliis ejusdem autographis interciderunt. Appendicis loco curatum omnium scriptorum elenchum addidit, quæ Academicis autoribus edita, ipsi vero *αὐτοψίᾳ* cognita fuerunt. Altera

Pars

Pars præsentis Operis, sive *Historia Academiæ Gallicanæ continuata*, quam conditori *Oliveto* ad seculi elapsi usque finem diducere placuit, duabus Sectionibus distribuitur. Prima generalis, quæ ad universum corpus cognoscendum pertinent, comprehendit, &, quæ ad instituti hujus conservationem atque incrementa faciunt, dilucide atque curiose exponit. Altera ad *singulorum Academicorum historiam* privatam spectans, uniuscujusque vitæ summam, in Academiam merita, subinde etiam scriptorum ingeniique monumentorum tum vorsa tum prosa editorum censuras, quantumvis liberas, modestas tamen, continet. Placuit omnino nobis doctissimi editoris prudens consilium, qui noluit vulgarium Biographorum more minutissimas etiam domesticarum rerum circumstantias tædiose consectari, sed illas unice attentione dignas existimavit, quibus viri illi tanquam *Academici* debent considerari; *Ciceronis* in hoc emendatissimum exemplar imitatus, qui in suis de *Oratore* Commentariis illustres Oratores, qui vivendo ipsum antegressi sunt, enumeraturus, quamvis illorum aliqui modo Consules, modo belli duces, modo alia in urbe dignitate spectabiles extitissent, suppressis hisce circumstantiis, tales tantum delineavit, quales orandi facultate unice censentur. Ut speciminis loco, quod alias in more positum est nobis, aliqua adducamus, tanto minus quidem existimamus necessarium, quanto magis persuasum habemus, maximam eorum, qui nostra hæc legunt, partem jucundius ipsum Opus elegans, amœnum, doctum perlustraturam esse.

HISTOIRE LITERAIRE DE LA VILLE de Lyon.

h. e.

HISTORIA LITERARIA CIVITATIS Lugdunensis per secula distributa, una cum Bibliotheca Autorum Lugdunensium tam sacrorum quam profanorum. Autore P. DE COLONIA, de Societate Jesu.

Lugduni in Gallia, apud Franciscum Rigoletum, 1728, 4 maj.
Alph. 4 pl. 2 Tabb. æn. 7.

LUgdunum Musarum castellum bonarumque artium sedem & antiquitus fuisse, & usque ad nostra tempora summa semper eruditionis laude floruisse, neminem fugit. Insigniter igitur de republica literaria meretur Vir Reverendus *P. de Colonia*, Jesuita, quod amplissimam exorsus est historiam rerum ac personarum, quæ isthac in urbe optimas quasque doctrinas immortali gloriæ commendarunt; quam si pertexet, non Lugdunensibus, non Gallis tantum, sed omnium terrarum eruditis, quibus dignus est, laudes, admurmurationes plaususque extorquebit.

Præsens Volumen historiam literariam civitatis Lugdunensis usque ad finem Seculi sexti tantummodo persequitur: in Præfatione autem doctissimus Autor, quid amplius de hac historia sperare debeamus, largiter exponit, eamque ad hæc usque tempora se deducturum pollicetur. Præfixit autem toti Operi singularem tractationem *Antiquitatum Lugdunensium*, paginis 291 constantem, in qua de prima urbis instauratione & antiquo ejus situ, de ara Augusto dicata, de veteri Lugdunensium commercio ac religione, de Colonia Romana illuc deducta, de exitiali urbis hujus incendio sub Nerone, de quatuor viis, quas Agrippa ex hoc loco partitus est, aliisque rebus antiquis commemoratione dignis, erudite agitur, istaque omnia ex probatissimis historiarum fontibus, inscriptionibus, lapidibus aliisque monumentis fide dignis, comprobantur & tabulis illustrantur quam elegantissime æri incisis.

Ipsa historia per secula distributa est, & *Seculum* quidem *primum* duobus Capitibus absolvitur, quorum alterum generaliter agit de statu rei literariæ in Gallia, illis temporibus, cum prima Lugduni fundamenta jacta sunt, ubi varia de scholis & doctrina Druidum, de veteri Celtarum poesi, de versibus Bardorum, de eloquentia priscorum Segusiorum, præsertim *Plotii* & *Gniphonis*, *Julii Flori* & *Julii Secundi*, ex *Pomponio Mela*, *Strabone*, *Diodoro Siculo*, *Cæsare*, *Suetonio*, *Quintiliano*, aliisque Autoribus afferuntur. Caput alterum tres Autores illustres recen-

çen-

censet, qui Seculo I Lugduni floruerunt, nempe *Munatium Plancum* Consulem Romanum, *Claudium* Imperatorem, & *Germanicum* Cæsarem. *Seculo II* unicum tantum Caput dicatum est, quod tres Epistolas Martyrum Lugdunensium, easque perbreves, nec maximi momenti, explicat. *Seculi III* historia Capitibus constat quatuor, quæ de *S. Irenæi* missione, ordinatione, itineribus, scriptis & martyrio satis erudite tractant. *Seculi IV* Capite primo, de scholis municipalibus apud Lugdunenses, nec non de quibusdam Grammaticis, Poetis & Oratoribus Gallis agitur, nominatim de *Palladio, Eumene*, & *Siagrio*: Caput sequens autem nil præter vitam & acta *S. Justi*, decimi tertii Lugdunensium Archi-Episcopi, enarrat. Historia literaria *Seculi V* per Capita tredecim excurrit, quorum prius quidem florentissimum rei literariæ statum in civitate Lugdunensi sub Burgundionibus & Vandalis depingit, & de *S. Mamerto* ejusque fratre *Claudiano Mamerto* quædam notatu digniora refert. Tria Capita sequentia patriam, ingenium & scripta *Sidonii Apollinaris* quam curiosissime describunt. Caput quintum de vita, factis & studiis *Constantii*, sacerdotis Lugdunensis, *Sidonii* familiaris, nonnulla expromit: *S. Eucherii* autem rebus & Operibus recensendis reliqua omnia impenduntur; qua occasione etiam Capite ultimo de martyrio Legionis Thebeæ disputatur, factique hujus veritas defenditur. *Seculum VI* denique Synodum inter Catholicos & Arianos sub rege Gondebaldo Lugduni coactam, Leges Burgundicas, instaurationem xenodochii majoris, ædificationem pontis super Rhodanum fluvium, exstructionem templorum S. Pauli, S. Eulaliæ, nec non Apostolorum, seu S. Nizerii, quæ basilica est, ante oculos ponit, & tandem subjicit disputationem de reliquiis sanctorum, præsertim de corpore S. *Ennemondi*, quod Lugduni asservatur. Atque hic Voluminis hujus primi Historiæ literariæ Lugdunensis finis est, nisi quod Index satis amplus accuratusque agmen claudit.

In his omnibus enarrandis probi Historici officio dextre functum esse doctissimum Autorem nostrum nemo negabit, qui librum perlegerit. Facta enim, quæ percenset, optimis certissimisque testimoniis ut plurimum confirmat, nunquam

patriæ, raro religionis præjudicio cedens: scribendi genus servat nitidum & perspicuum, multa licet eruditione refertum, nonnunquam etiam literatorem agit & Criticum, nec sine successu. Exempli causa pag. 17 Hist. lit. versum Juvenalis Sat. VII,

Rufum, qui toties Ciceronem Allobroga dixit,

mutando *qui* in *quem*, emendat, & ita *Rufum* a scommate, quod *Ciceronis* Latinitati impegisse vulgo creditur, absolvit, ipsumque, quod Gallorum eloquentissimus esset, *Ciceronis Allobrogis* titulum Romæ sustinuisse, asserit. Quæ omnia ita comparata sunt, ut fieri vix possit, quin Historia hæc literaria lectorum omnium gratiam sibi conciliet, & ceterorum quoque Voluminum, quæ restant, moveat salivam.

A LETTER FROM ROME, BY CONYERS MIDDLETON, D. D. Principal Librarian of the University of Cambridge.

h. e.

EPISTOLA ROMA MISSA, QUA Comparatio Papismi cum Paganismo instituitur; Autore CONYERS MIDDLETON, D. Theol. & præcipuo Librario Academiæ Cantabrigiensis.

Londini, apud W. Innys, 1729, 4.

Plag. 9.

CUm Autor Cl. probe perspectos haberet ritus veteris Romæ gentilis sacros, & ubique eorum vestigia in Roma moderna agnosceret, non ignarus quidem, alios quoque idem jam pridem observasse, nova methodo nec ingrata brevitate hac de re nonnihil ad Amicum Anglum exponere constituit; e quibus pauca nos quoque afferemus. Cum templa ingressus ubique altaria thure fumare videret, statim recordatus est Virgiliani illius Æn. I, 420:

— Ubi templum illi centumque Sabæo
Thure calent Aræ, sertisque recentibus halant.

Miratur

Miratur vero, hunc morem ita percrebrescere potuisse ultimis temporibus, cum sub primis Christianismi temporibus in persecutionibus is pro apostata haberetur eoque impurus esset, qui vel summis digitis paululum thuris injecisset in acerram, & Imp. Theodosius eos domibus & possessionibus multandos censuerit, qui in illis imposito thure simulacra fuerint venerati. Quod ad aquam lustralem seu benedictam, ostendit, ipsos Pontificios hunc ritum non inficiari a paganis arreptum fuisse, etsi primæ Ecclesiæ Patres tantopere eum fuerint detestati; & huc præter alia trahit illud *Ovidii* Fast. II, 45:

Ah nimium faciles, qui tristia crimina cædis
Fluminea tolli posse putetis aqua.

Quod vero eo processerint gentiles, ut, quemadmodum nunc fit Romæ in Festo S. Antonii, quicquid est equorum in urbe, ducatur ad portam Ecclesiæ, ubi aqua lustrali ab uno e Patribus omnes & singuli asperguntur, dato annuo censu, ejus quidem rei, quæ & Mabillonio It. Ital. p. 136 nova & insolita visa est, vix se vestigium reperire potuisse fatetur Noster, nisi forte huc referre velis, quod equi in ludis Circensibus aqua adspergi olim consueverint. Quantum primi Christiani lucernarum usum abhorruerint, ne Deus, qui est lumen luminum, candela opus habere videatur, *Lactantii* aliorumque testimoniis constat; at illæ hodie in Italia tam sunt frequentes, ut inter tot altaria nullum reperiatur in templis, quod non cereis & lucernis suis coruscet. Votivas tabulas & imagines crurum, pedum, manuum &c. a pauperibus ex cera, a ditioribus ex auro, argentove formatas, quibus pleni sunt omnes templorum parietes, gentilibus non minus frequentes fuisse, vel illud docet *Tibulli* El. I, 3: p. 27.

Nunc Dea, nunc succurre mihi; nam posse mederi
Picta docet templis multa Tabella tuis.

Et convenit certe hic ritus paganorum cum Pontificio tam accurate, ut & inscriptiones ipsæ, quæ memoriæ causa ab utrisque positæ sunt, exacte concordent. Pagana est illa apud *Gruter.* pag. 48:

MINERVAE MEMORI
CAELIA IVLIANA

INDVLGENTIA MEDICINARVM
EIVS GRAVI INFIRMITATE
LIBERATA. D. P.

Christiana altera, quæ Mediolani legitur in templo:

DIVAE SABINAE
LIVIA EVPHEMIA IN
ACERBO STOMACHI
CRVCIATV OPEM NACTA
V. S. MDXI.

Quantum vero emolumenti ad utrosque, gentiles & Pontificios, ex donariis his redundarit, Delphicum Apollinis templum apud veteres, & apud nostros Idolum Lauretanum testari possunt. p. 30. Jam quod ad cultum imaginum attinet, quem ipsi quoque sapientiores gentiles & in his Numa ipse, Romanorum legislator, sublatum voluerunt, Christiani vero Imperatores ceu profanum, abominabilem, impium, severissimis legibus prohibuerunt, eundem cultum tam solicite deinceps a Papicolis revocatum fuisse, observat Noster, ut in iisdem templis, quæ Deastris olim sacra fuere, iisdem locis, quibus illorum statua reposita olim fuerat, nunc Sancti cujusdam statua compareat, non minori superstitione culta. 31. Immo se annotasse notat in templo S. Agnetis veterem Bacchi juvenis statuam nunc Sanctam illam repræsentare, paucis tantum, quæ ad habitum spectant, immutatis. Sic ut olim Pantheon, hodie Rotunda, Jovi & Diis omnibus sacrum fuit, ita idem templum a Bonifacio VIII B. Virgini Mariæ & Sanctis omnibus, templum *Vestæ* B. Mariæ Solis, *Fortunæ Virilis* Mariæ Ægyptiæ, *Saturni* S. Adriano, *Romuli* & *Remi* Cosmæ & Damiano, fratribus germanis, *Divi Antonini* S. Laurentio dedicatum est. 35. Singulare etiam, quod de æde Romuli eodem in loco posita, quo antea infans expositus fuerat, ut in Tyberi periret, refertur, quam Romanæ matronæ cum recens natis liberis infirmioribus sæpe olim adierunt, sanitatem hoc modo ac firmitatem liberis suis conciliaturæ; ne quid ergo ad superstitionem deinceps etiam deesset, quærendus erat templo Sanctus, qui liberorum patronus esset, atque ita substitutus pro Romulo S. Theodorus, nec unquam Noster templum

plum hoc ingressus est, quin adgeniculantes coram Sancti statua fœminas observaret, infantulas ulnis vel gremio gestantes. Ad nomen etiam allusum fuit sæpius, ita ut, quod Apollini sacrum olim fuit templum, S. Apollinari, quod Marti, S. Martinæ consecratum fuerit, ut taceam, adhuc hodie altaria S. Baccho, Quirino, Mercurio, Nymphæ & similibus dedicata Romæ passim spectari. His dictis Autor ostendit, qua ratione tot novi Sancti producti fuerint, cum ex *Soracte* monte *S. Orestus*, ex verbis PræfectuS VIARum, *S. Viar*, ex vestimenti genere, quo indutus fuit S. Albanus, *S. Amphibolus*, ex sudario, quod *veram Iconem* Salvatoris repræsentabat, *S. Veronica*, ex aliis rebus alii repente Sancti nati fuerint. Addit Autor cruces vel capellas arasque in viis publicis vel in editissimis montibus erectas plane ad morem paganorum, qui Diis vialibus, semitalibus, compitalibus, aras vel statuas erigebant & floribus eas ornabant; processiones item publicas, quarum idem plane nunc ritus, qualis olim ethnicorum apud *Apulejum* & alios; flagellantium furorem, quem jam Seneca castigavit; miracula denique monachorum fraudibus debita, quæ omnia ex vetustissimis Poetarum gentilium fabulis orta fuisse demonstrat.

P. 37.
38.
40.
44.
50.
51.

BIGA LIBRORUM RARIORUM, QUORUM I Chorographia W. LAZII, II Historia Gothica ÆN. SYLVII, hucusque inedita & inter ejus scripta nunquam commemorata. In lucem protulit A. R. D. RAYM. DUELLIUS, C. R. qui etiam Præfationem præmisit.

Francof. & Lipsiæ, 1730, fol.
Alph. 1 pl. 13½.

SEculi nostri felicitas est, quod non solum innumera monumenta inedita primum, sed & edita rariora, denuo in usum reipublicæ literariæ divulgentur. Vtroque modo suam Historiarum studiosis probat industriam Rev. *Duellius*. *Lazii* nomen diu inter eruditos notum est, sed scripta pleraque numero 27 hodie latent in penetralibus Bibliothecæ Vindobonensis, quorum Cata-

Catalogum habemus in Præfat. *Duellii.* Erunt forte, qui desiderio ea cognoscendi minus capiantur; quia plerique hodie autorem tanquam fabulosum nimisque credulum omnino fastidire solent. At ille excusatione utitur ætatis, qua vixit, per quam quippe non licuit omnes eluctari scopulos Historiarum. Sufficit, eum non per socordiam lapsum esse; quare in Præf. L. X. Chronogr. Austr. p. 73 castigat eos, qui creduli fuerunt fabulis, nec perquisiverunt, quæ passim in vetustis cœnobiis Diplomata extabant. Constat ergo apud æquos rerum æstimatores *Lazio* sua laus & fides. Laudanda est hominis industria, quam in patriæ rebus illustrandis collocavit, nec tam defuit ei diligentia in conquirendo, quam judicium in examinando ac digerendo. Feliciter illi patuit accessus ad reconditissima tabularia, quorum subsidiis instructus non solum reliqua sua Opera, sed inprimis hanc *Chorographiam Austriæ* aggressus est. Prodiit ea quidem jam tum A. 1561 in fol. Viennæ, sed ob paucitatem exemplorum tam cara fuit, ut in una tantum atque altera patriæ Bibliotheca extaret, & a viris peritissimis pro inedita haberetur. Vener. *Duellius* tribus impressis exemplis usus est, quæ inter se contulit & diversitates quasdam (quod mireris) annotavit. Absolvitur Opus Libris XI, ita ut provinciæ Austriacæ veteres, earumque antiqua facies, copiose ac luculenter explicentur, Principumque ac Nobilium familiæ ex rarioribus & fide dignis, quoad ejus fieri potest, documentis contexantur. Ceterum in derivationibus Autor, pro more suo, plerumque labitur & offendit, quod exemplis aliquot demonstrari posset, sed brevitatis causa uno erimus contenti. In
Conf. p. 58. descriptione Apennini montis L. VIII p. 56, profert monumentum vetustissimum ac nobile de *Valle Pennina*, hodie vulgo *Püntzgau* item *Phyntzgetal*, eamque sive ab Hannibale *Pœno*, sive a *Vennonibus*, sive denique, quod *venusta* sit, appellari putat; cum autorem verioris opinionis sequi potuisset *Livium*, qui L. XXI c. 38 a *Jove Pennino*, quem gentes semigermanæ in summo vertice colebant, nomen inditum esse tradit. Certe hinc manifesta est ratio nominis Germanici *Püntzgau* & *Phyntzgetal*, & cur hodieque in illis terris dies Jovis *Phintztag*

vulgo

vulgo appelletur. *Lazio* propter argumenti affinitatem accedit *Andreæ Rapicii* Tergestini JCti Historia ad Sigismundum Bar. in Herberstain carmine scripta. De *Æneæ Sylvii Historia Gothica*, nihil est quod memoremus, nisi esse Epitomen *Jornandis*, ex Codice Monasterii Gottwicensis a *Sylvio* excerptam, quæ vitiose passim scripta, segetem tamen variarum lectionum ad *Jornandis* Getica suppeditare potest. Ante aliquot annos B. *Hahnius Æneæ* hujus historiam anecdotam & arcanam de amoribus *Casp. Schlickii* edidit; nunc Vener. *Duellius* aliud ejusdem Opusculum æque incognitum, munere Viri egregii, *Apostoli Zeni*, primus ex Codice (uti credit) unico in lucem profert. Cujus quidem gloriæ fructum editor aliquis plagiarius paullo post intercipere conatus est, dum eandem *Sylvii* Historiam Gothicam, tantummodo in alia chartarum forma, tanquam primum editam sibi vindicavit. Itaque non possumus non, propter rem pessimi inter eruditos exempli, epistolam ipsius Vener. *Duellii* nobis transmissam, hic annectere.

AD CLARISSIMOS ACTORUM ERUDITORUM Collectores RAYMUNDI DUELLII σχέδιον.

Divideram nuper sumtibus Gotthardi Büttneri *Bibliopolæ librum cum titulo:* Biga Librorum Rariorum, *& ultimum in his locum sibi vindicabat* Æneæ Sylvii Historia Gotthica, *quam paullo post in quarto, ut Typographorum filii vocare consueverunt, typis excusam, non sine vehementi quadam animi commotione conspexi. Deprædicabatur in fronte primum edita, promittebatur* luculenta Karoli Newenii Præfatio, *tandem deprehendi, (neque longum progressus,) eam ipsam esse Historiam Gotthicam, quam ego ex unico, quoad ejus scio, MSCto Codice laudatissimi* Apostoli Zeni, *in lucem protraxi, ita quidem religiose transcriptam, ut ne unguem quidem latum ab editione mea discesserit magniloquus Thraso. Perlegi* luculentum Præfamen, *nulla inibi mei mentio, sed omnia ita dicta, quasi miserrimus proletarii hujusce proœmii genitor verus hujusce*

prolis pater foret, qui in hoc (quod, nisi facem admoveris, luculentum *sane non est) non nisi unum item aut alterum locorum communium ex Autoribus Classicis excerptorum excussit; adeo nihil dignum* Ænea Sylvio *protulit, eamque ob causam satius mecum aliis, qui cum laude id fecerunt, hanc præfandi spartam reliquisset. Unum tamen in medium adducam, ut sanum ac elimatum hominis judicium penitius perspiciatis:* Stylus, *ut ipse ait,* seculum sapit. *Risum teneatis amici! seculum nempe illud barbarie linguæ latinæ nulli secundum, (si illorum scripta, qui elegantiores literas eo ævo nobis restituerunt, exceperitis,) quod certe non sapit* Æneas Sylvius, *uti apud omnes in propatulo est, qui majori cum cura ac industria in hoc studiorum genere versati sunt, quam Editor iste Plagiarius, jocis convivalibus quam libris edendis aptior. Quæ cum ita sint, atque in grave rei literariæ præjudicium similia vergant, (cui enim studiis dare operam collibitum fuerit, si talia impune liceant?) quæso illum, quisquis ex vobis fuerit, atque vehementer obtestor, ut in recensione præfati mei libri hæc cum publico communicet, verba* Martialis *mei juris faciens:*

Et cum se Dominum vocabit ille,
Dicas esse meos (libellos) *manuque missos:*
Hoc si terque quaterque clamitaris,
Impones Plagiario pudorem.

JO. GOTHOFR. LAKEMACHERI, GR. ET Orient. Lingu. P. O. Observationes Philologicæ, quibus varia Antiquitatis Hebraicæ atque Græcæ Capita, & nonnulla S. Codicis loca nova luce collustrantur. Pars I, II, III, IV, V & VI.

Helmstadii, impensis Christ. Fried. Weygandi, 1725, 1727, 1730, 8.

Alphab. 3.

CUm plurima omnino sint, quæ nostro ævo singulare decus atque ornamentum conciliant, tum antiquitatis Hebraicæ Græcæque studium, quod hodie ab haud paucis mirifice coli cœpit,

cœpit, nunquam ſatis pro dignitate commendari poteſt. Præclare vero inſigniterque de re publica literaria pariter, atque ſacra merentur illi, qui illam ſcientiam ad enarrandum quoque divinum Codicem conferentes, ſuas deinceps Obſervationes publicæ luci exponunt. Atque hoc cum integris libris, tum & ſeparatis ſcriptionibus, quæ certo tempore eduntur, viri fecerunt doctiſſimi. Horum, quos ultimo loco commemoravimus, numerum cum & Clariſſimus præſentium *Obſervationum Philologicarum* Autor adauxerit: nos dabimus operam, ut, more noſtro, quæ iis continentur, breviter ſummatimque exhibeamus. In *Parte* I ſeptem inveniuntur obſervationes. Prima *de tempore* agit, *quo primum orta ſit ſecta Phariſaica.* Idque p. 1-16.
illa ætas, qua Jonathas Maccabæi cognomen adeptus, Judæorum rebus Pontifex Maximus præfuit, ex *Joſephi* Antiqu. Iud. lib. XIII c. 9 conſtituitur, ubi verbum græcum ἦσαν aut in *ἀνέστησαν* commutandum, aut per *exſiſtebant, exoriebantur,* latine vertendum, ad quem ſignificatum confirmandum allegantur exempla. Secunda *de ritibus quibusdam Bacchicis, a Græcis ad Judæos recentiores derivatis, & ab his Tabernaculorum* 17-78.
feſto uſurpatis inſcripta eſt, occaſione ex *Plutarchi* Sympoſ. lib. IV p. 671 T. II Opp. ejus petita. Recenſentur hic quinque hæ cærimoniæ, 1) *nocturna ſolennitas in atrio feminarum agitata,* 2) *aquæ, ex fonte Siloam hauſtæ, effuſio ſolennis,* 3) *faſciculi ramorum, Lulaf dicti, geſtatio & concuſſio,* 4) *tibiæ ante altare uſus,* & denique 5) *immoderatæ hilaritatis ſigna, præſertim comeſſationes.* Quæ omnes primum ex Judaicis monumentis enarrantur, tum vero cum ſacris Bacchicis comparantur, & demum in earundem originem curatius inquiritur. Tertia, quæ ſequitur, obſervatio *ritum Judaicum, cornua victimæ inaurandi,* 79-88.
di, eandemque coronandi, exponit, atque, hunc etiam Judæos cum Græcis communem habuiſſe, demonſtrat. Quarta *de Jacobo, Eſavi faciem, ut Dei faciem, vidente, ad Geneſ. XXXIII,* 89-108.
10, 11, diſſerit. Ubi ex utraque antiquitate phraſis, *videre faciem Dei,* explicatur, oſtenditurque, hæc duo, *videre faciem Dei, & munus aliquod offerre,* connexa ſemper fuiſſe, Jacobumque adeo nefas duxiſſe, ad Eſavum ſine munere accedere,

quemadmodum nefas sit, ad Deum sine quadam accedere oblatione. Sed & אלהים de *principe* quodam *viro* explicari posse, censet Cl. Autor cum *Onkeloso*, qui רברביא habet. In quinta
p.109–148. *de Palo Carni Pauli dato* tractatur, & ad pœnæ quoddam genus, apud Judæos usitatissimum, quo nimirum delinquentes flagris cædi moris erat, allusionem fieri docetur. Σκόλοπος voce suas vexationes gravissimas exprimere voluisse Apostolum, idque eo commodius fieri, quo majores erant dolores, quos perpetiebantur rei, cum ipsorum manus columnæ, seu palo terræ infixo, alligarentur utrinque, ita, ut carnem seu corpus incurvum attingeret palus, & huic quasi affixus videretur, dum medio corpore inclinatus in palum incumberet flagellandus. Per ἄγγελον denique Σατᾶν *homines* intelligi *inimicos*, qui Paulum indignissime tractassent, pluribus ibidem urgetur. Sexta obser-
149–162. vatio, quæ *de porta templi ὡραίᾳ, sive amena*, ad *Act. III, 3*, agit, eandem, quæ *porta Susan* a Judæis usitatiori nomine dicatur, indicari, evincitur. In ea denique, quæ septimum lo-
162–167. cum occupat, & *de Pontifice καθ' ἡμέραν sacrificante*, ad *Hebr. VII, 27*, tractat, paucis monetur, καθ' ἡμέραν idem esse, ac Judaicum illud ביומא *die*, scil. anniversariæ expiationis, adeoque ἡμέραν pro *festo expiationis*, quod יומא *diem κατ' ἐξοχὴν* appellabant Judæi, a divino scriptore usurpari. Jam ad Partem II atque III, separatim editas, deproperamus, ac inter Partis I observationes, quarum hic etiam septem nobis exhibentur,
1–11. primam *de oculis, qui Leæ vulgo tribuuntur, teneris*, ad *Gen. XXIX, 16*, animadvertimus, ubi verba עינים רכות non tam per *oculos teneros* vel *lippos*, quam potius per *faciem aridam, ex-*
11–44. *succam, gracilem & macilentam* exponuntur. Altera *de Crethi & Plethi* inscripta, utrumque hoc nomen Philistæis, & illud quidem ex Creta insula convenis, hoc vero Philistæis pro-
45–102. prie sic dictis, vindicat. Tertia *Campum Elysium in Messenia*
103–126. *situm*, quarta, *per linguas inter Apostolos tributas, Act. II, 3, dialectos* varias inter illos *distributas* significari, probat. In
126–166. quinta *de Judæorum Magis, horumque arte, speciatim de Ely-*
167–191. *ma Mago*, ad *Act. XIII, 8*, multis disseritur verbis. Observatio sexta locum *2 Pet. I, 19, 20, 21, de Lychno lucente in loco obscuro*, ex

ex cærimonia lucernarum Judaicarum illuminatum exhibet.
Cujusmodi illustrationem Cl. *Wollium*, industrium laboris nostri socium & consortem, jam cum orbe erudito communicasse, ex Actis hisce A.1726 p. 410 perspici poterit. Ultima de- p. 192 – 197.
nique *Pauli cum bestiis pugnam, 1 Cor. XV, 32*, proponens, verbum Θηριομαχεῖν improprie explicat. Partis II Obs. 1) *de Sa-* 198 – 209.
licum ramis, tabernaculorum festo juxta altare holocaustorum statutis, ad *Psalm. CXVIII, 27*; Obs. 2) *de ritu capitis in sacris* 209 – 235.
velandi, ad *1 Cor. XI, 4, 2 Cor. III, 14, 15*, exponit, eumque a Romanis ad Judæos profectum ostendit. Obs. 3) כהן משוח 236 – 250.
מלחמה seu *sacerdotem Judæorum Castrensem fictum*; 4) *lin-* 250 – 269.
guam deorum, Homero celebratam, 5) *Judæos* βδελυκτοὺς *ad o-* 276 – 285.
mne opus bonum ἀδοκίμους, ad *Tit. I, 16*, describit, perque hos Cretenses intelligit. Consequitur Obs. 6) *de Hierosolyma se-* 285 – 299.
pticolli, ad *Apoc. XVII, 9*, *conjecturas exhibens*, & demum 7)
Oratio de utilitate, quam e scriptoribus Græcis profanis cape- 300 – 380.
re potest V. T. interpres, quam Cel. Autor, munus Prof. Philol. Gr. Ord. A. MDCCXXIV auspicatus, publice recitavit.

Superest, ut Partem IV, V, VI, hoc ipso anno conjunctim formis descriptas, perlustremus. Partis igitur IV Obs. 1) ad p. 1 – 18.
Exod. XVII, 8 sq. Mosen non orandi ergo, sed summi potius Imperatoris partes expleturum, in sublime manus extulisse tradit. Obs. 2) ad *Es. LXV, 11*, Gad & Meni eorundem numinum, 18 – 64.
Græcis Ἑκάτη & Μήνη dictorum, habet loco. In Obs. 3) *Impera-* 65 – 73.
tivis Hoseæ Cap. I, 2, לך קח *vade, sume*, futuri vis attribuitur.
Obs. 4) locum *Hos. III, 1, 2, 3, 4*, & Obs. 5) Cap. III libri *Ru-* 74 – 83.
thæ commata *9, 10, 12* interpretatur, indeque studium Philo- 83 – 109.
logicum commendandi capitur occasio. In Obs. 6) ad *Luc.* 110 – 118.
XIX, 11, annotationes reperiuntur, ipsam denique hanc Partem
Oratio, qua studium Rabbinicum a recentiorum quorundam 118 – 194.
criminationibus vindicatur, A. MDCCXXVII, cum LL. OO. Professionem solenniter auspicaretur doctissimus Autor, recitata finit. Partem V inchoat *Observatio*, in qua *Jordanem sub* 195 – 222.
Pischonis nomine latere statuitur. In Obs. 2) locus *Hos. IX, 8*, 223 – 233.
in 3) comma *9* erudite explanatur, Obs. 4) *de cognomine Ischa-* 233 – 237.
riotæ, quo appellatus fuit Judas proditor, agit, & illud ex 238 – 246.
איש קרתן derivat, ut adeo *Kartanis*, urbis Galilææ sacerdota-

 lis,

p. 246–259. lis, civis vel incola illo designetur. Obs. 5) ad *Matth. XXVI,*
259 – 288. *23*, τρυβλίῳ voce ad *acetabula* respici, 6) *proditionis præmi-*
288–296. *um in ærarium sacrum intulisse Judam*, 7) ἀπάγχεσθαι, de
proditoris morte usurpatum, *sibi ipsi vitam adimere* quocun-
que modo, denotare docet. In Parte VI, eaque postrema, Obs.
297–324. 1) *Gosenitidis & in hac Ramsesæ situm verum* in tabula ænea
325 – 336. expressum, descriptumque exhibet. In Obs. 2) ad *Exod. XXIV,*
5, per *Juvenes sacrificantes*, robore valentes e tribubus qui-
337 – 351. buscunque intelliguntur. In Obs. 3) locus *Hos. XI, 5, 6, 7*, in
352–364. 4) locus *Hos. XII, 4, 5*, copiose explicatur. Obs. 5) ad *Act.*
364–382. *XXI, 23 sq.* conscripta, *Paulli Naziraatum*, 6) rationem opti-
383–425. mam linguam hebraicam discendi ac docendi, ubi varia non in-
425–432. utilia commendantur subsidia, & 7) denique, quæ & ultima est,
Atticismorum cum formulis Hebraicis comparatorum specimen
exhibet.

COMPENDIOSUM LEXICON LATINO-Turcico-Germanicum, in quo non solum voces & phrases usitatæ continentur, sed & earum lectio, adjectis observationibus variis ad statum Imperii Turcici Ecclesiasticum, politicum & militarem pertinentibus, cum Præfatione de lingua & litteratura Turcarum, corruptisque vulgari pronuntiatione nominibus Ministrorum Aulæ Turcicæ, ac triplici Indice & Grammatica Turcica. Opera ac studio JOH. CHRIST. CLODII, P. P. linguæ Arabicæ.

Lipsiæ, apud Wolfgangum Deer, 1730, 8.

Alph. 4 pl. 17.

ETiamsi plures sint causæ, quæ Cl. Autorem ad publicandum hoc Opus adduxerunt, in Præfatione allegatæ; una tamen maximi ponderis fuit, præsens scilicet temporis ratio, quod per typographicam Constantinopoli instauratam rei literariæ non leve incrementum accessurum videretur. Officii igitur sui esse putavit, curare, ut Turcicæ linguæ compendiosum ali-

quod

quod Lexicon prostaret, plurimis hucusque ignotæ & pro barbara habitæ, cum tamen in ea & librorum exaratorum haud exiguus numerus, & multorum, qui interciderunt, Arabicorum præstantium Codicum versio unice supersit. Quam ob causam peritissimus olim linguæ Arabicæ Professor Cantabrigiensis, *Ocklejus*, Turcici sermonis notitiam, in Præfatione Historiæ primorum Mahummedis successorum sibi exoptat, ut celeberrimi Historici Arabis *Tabaritæ* Annales in illa superstites legere queat. Et quis non ad historiæ Byzantinæ scriptores plene intelligendos eam desideret. Tali vero methodo Cl. Autor utendum esse censuit, ut non docti solum, sed & alii cujuscunque conditionis homines emolumentum inde capiant. Quanquam enim inter illos libros, qui ex prelo Constantinopolitano exierunt, Lexici Arabici, a *Gieubario* conscripti, versio in linguam Turcicam recenseatur; attamen præter raritatem, nemini nisi linguæ illius jam gnaro usui esse potest, eruditis autem Latina illius a *Golio* jam publicata interpretatio sufficit. Quid in præsenti doctissimus Autor noster præstiterit, ex inscriptione facile intelligitur, & quilibet vel ipsius linguæ vel rerum Turcicarum notitiæ paulum cupidus, varias & utiles & jucundas observationes ibi legere poterit, hic denuo non excerpendas. Attamen paucas delibare juvat. Nempe postquam in Præfatione de studiis Turcarum, ac de linguæ ipsius indole breviter disseruit, multa aulæ Turcicæ Ministrorum nomina, ut *Seimenbachi*, *Samsonschi*, *Zagarschi bachi*, *Lala*, *Nissanschi*, *Mehterbachi*, *Sorbaschi*, *Hammamschi*, *Topschi bachi*, aliaque plura, ut *Soubachi*, *Topchane*, *Tusengchi*, *Jebeli*, *Abdest*, *&c.* vulgo corrupte pronuntiata vocabula, explicat & illustrat, ac dein Lexici sui aliorumque Turcicorum historiam persequitur. In ipso Lexico p. 83 de voce *Bassa*, p. 98 de voce *Caffé*, p. 192 de inferno, p. 289 de *Janissariis* seu militibus Prætorianis, p. 124 de titulo *Ciaus*, p. 213 de *Timariotis*, p. 224 de quatuor paradisi fluminibus, p. 407 de vario militum genere, p. 430 de titulo *Mufti*, p. 472 de sigillo, *Kozalak* dicto, p. 496 de precantium ritu, p. 313 & 314, de juris peritis & judicibus, p. 346 de titulo *Hassas bachi*, p. 392 de medicis, p. 398 de mathemati-

cis

cis, p. 512 de paradiso, p. 545 de philosophis, p. 583 de precum quotidianarum numero, p. 642 de titulo *Tesrifat Emini*, p. 707 de cauda equina tempore belli exposita, p. 743 de titulo *Miracbor*, p. 792 de *Tefterdar* & *Tefter Emini*, p. 770 de titulo *Sultan*, p. 772 de *Sunna* seu lege secundaria, p. 812 de Theologis mysticis *Sufi* dictis, p. 862 de titulo *Awschibachi*, p. 796 de voce *Moschea*, p. 924 de voce *Zecchinus*, p. 925 de voce *Zenith*, p. 927 de titulo *Zulufli* & passim de compluribus aliis notatu dignis agit. Tres ei Indices adjecti sunt, quorum primus vocabula Turcica propriis literis, secundus pronuntiationem earum latinis, tertius germanicam explicationem complectitur, ac earum usus in nova Præfatione monstratur. Grammatica etiam subjuncta, cum Præfatione duplici ad historiam ejus & colloquia inserta spectante, præter regulas, lectionis quoque & analyseos exempla, ac proverbia Turcica notis illustrata continens, sex Capitibus absolvitur.

THEORIA ET PRAXIS LINGUÆ ARAbicæ, seu Compendium Grammaticum, VII Capitibus absolutum, in quo simul Præfatio, usum illius monstrans, & tria colloquia, appendici de vulgari Arabum dialecto adjecta, cum duobus Capitibus arabice versis continentur. Cui usus linguæ Arabicæ in Jiobo explicando, & Caput vigesimum secundum Alcorani de Peregrinatione Sacra, Notis illustratum accessit, opera & studio J. C. CLODII, P. P. Lingu. Arab.

Lipsiæ, apud hered. Grossii, 1729, 4.

Alph. 1 pl. 12.

PRæcedenti Operi aliud ob linguæ & materiæ affinitatem merito hoc adjicitur, quod ante aliquot annos, cum Professoris Publici linguæ Arabicæ munus, aliarum Europæ Academiarum exemplo, ipsi clementissime demandatum esset, prima vice evulgavit. Causas hujus instituti ipse in Præfatione exponit, quam ceu prologum galeatum præmisit, quoniam multi novi-

novitate rei offensi, & falsa persuasione capti, nullam hujus linguæ vel necessitatem vel utilitatem esse perhibebant. Et quanquam Viri eruditissimi, per omnes Europæ provincias dispersi, contrarium rationibus haud levibus, nec ex cœco studii sui amore profectis, centies uno ore jam asseruissent, attamen Cl. Autor non solum in Programmate inaugurali, de causis contemtus linguæ Arabicæ, sed & in hac Præfatione id confirmare annisus est, ac in alio dein Programmate, Germanorum in has literas merita persequi suscepit. Ac hoc quidem Arabici velut studii proludium, tanta multorum cum approbatione exceptum fuit, ut altera editio hujus Grammaticæ urgeretur, quæ correctior & longe auctior priore est. In hac enim præter varias observationes novas, margini allitas, usus linguæ Arabicæ in exegesi libri Hiobi, ab alio quodam Viro docto editus, accessit, quem, Bibliopolæ precibus commotus, ei adjungi passus est, quanquam singulas illius opiniones suas minime faciat.

Nuper quoque Cl. Autor excerptum Alcoranicum addidit, ut hujus linguæ studiosi lectionem ac analysin exercere, simulque Theologiam Mohammedicam ex ipso fonte magis, quam ex systematum theologicorum polemicorum rivulis haurire discerent. In eo textus a B. *Hinckelmanno* editus ex MSC. passim emendatus fuit, variantibus Masoretharum veterum lectionibus adjectis, notisque non vulgaribus, quibus & Capitis inscriptioni, & multis aliis versibus lucem affudit. In una illarum *Hottingeri* errorem corrigit, qui *Beidavium* in Comment. ad v. 25 Cap. VII Corani non assecutus, partim male legit, partim fallaciam compositionis & divisionis admisit, legens رفعة *dignitas* pro رفعه *h. e. rafaat illud, scil. vocabulum indumenti in nominativo ponit.* In posterum operam dabit, ut specimen paraphraseos Turcicæ Corani rarissimæ prodeat, quam Amplissimi Senatus Lipsiensis Bibliotheca inter MSC. Codices asservat. In præsenti autem Capite de Peregrinatione sacra inscripto, alia quoque religionis Mohammedicæ capita continentur, nempe de creatione, de providentia divina, de uno Deo, ejusque cultu & idolorum vanitate, de oratione & eleemosynis, de bello sacro, de die extremo, de resurrectione, de inferno; quæ ut ex ipso textu Arabico

cognoſcant auditores, & ad linguæ hujus ſtudium, ſatis jam frigens, inflammentur magis, verſionem adjicere noluit Autor, & hos intuens B. *Hinckelmanno* aſſentitur, quanquam totius Corani verſionem non prohibeat, in quo B. *Acolutho* pollicem premit, ejusque ſententiæ accedit.

DAN. MAICHELII, PROF. THEOL. ET Philoſ. Tubingenſis, Lucubrationes Lambetanæ, queis ſiſtuntur Monumenta Literaria Hiſtorico-Theologico-Literaria, &c.

Tubingæ, apud Cottas Fratres, 1729, 8.
Plag. 11½.

INſignis eſt & multorum ore celebrata Bibliotheca Lambetana, quæ nomen a ſede Archiepiſcopi Cantuarienſis, e regione Londini ad littora Tameſis poſita, Lambeto, derivat. Quam adire cum non cuivis contingat, ſiquidem publico uſui dicata non eſt, operam eruditis perquam amœnam præſtitit doctiſſimus *Maichelius*, quod, cum plures menſes Lambetanæ Bibliothecæ ſcrinia luſtraverit, ac in palatio Archiepiſcopali ipſe habitaverit, rariora inde erudito orbi exponere monumenta decreverit. *Articulo I* certe merentur locum ultima verba *Perronii*, purpurati Romani, quibus tranſubſtantiationem vocare *monſtrum* nequaquam dubitavit. Perſonam ſuam, ſi quisquam alius, in ſcena Pontificia egerat ſtrenue *Perronius*, ſuique cœtus de tranſubſtantiatione doctrinam magna acerbitate defenderat; ſed, cum animam ageret, eandem, quam paullo ante tanto argumentorum apparatu tantoque ſtudio aſſeruerat, ſententiam *monſtroſam* dicere non erubuit, ſeque variis politicis cauſis prohiberi, quo minus publice errorem confiteatur, adſtanti & revocationem ſuadenti amico affirmavit. Fidem huic rei faciunt & Domini *de l' Angle* literæ manuſcriptæ, quæ in Bibliotheca Archiepiſcopi Cantuarienſis aſſervantur, & teſtimonium *Drelincourtii*, quod in libro omnium rariſſimo, contra Seren. Haſſiæ Landgravium Erneſtum ſcripto, olim hac de re tulit. Quorum teſtimoniorum ne quis ſolicitet veritatem,

cum

cum ex limatissimis fidei historicæ regulis, tum ex ingenio *Perronii* in omni genere vitæ vario ac in controversiis sæpe tergiversante, abunde satis veritatem propugnat S.Rev. *Maichelius*. p. 34.
Articulo II de celebri Expositione fidei *Bossuetiana* disserit, ita, ut primum de *Bossueto*, dein de famosi hujus scripti scopo, ac denique de ejusdem fatis multa singularia afferat. Inprimis vero editionem primam, superiorum jussu suppressam, ac proinde in optimis Bibliothecis frustra quæsitam, producit, potioresque lectiones a secunda editione differentes exponit, ut pateat cuilibet, gravissimis in rebus, non in meris vocibus, eam fuisse immutatam. *Articulus III* celebris Epistolæ 73.
Chrysostomi ad Cæsarium, in qua testimonium habetur contra transubstantiationem, fata, aliaque nonnulla huc maxime pertinentia, explicat, eamque, quam Archiepisc. Cantuar. *Wakius* in Anglia dedit, editionem multis laudibus extollit. *Articulo IV* 91.
docet Cl. Autor, Dissertationes posthumas *Petri de Marca* A. 1682 editas mentiri annum, siquidem prima A. 1668 lucem jam viderat. Scilicet est hæc editio eadem, quæ censuram Inquisitorum experta multis in locis mutilata est. *Articulo V* 96.
ex editione N. T. Jesuitarum Burdegalensium A. 1668 quædam transcripta nonnullis annotationibus illustrantur. *Artic. VI* 100.
agit de Indice Expurgatorio, per *Franciscum Junium* in lucem protracto, ita ut fraudes Pontificiorum in edendis Patrum scriptis detectæ, & audacia in castigandis scriptis adhibita, atro calculo notentur. Cum porro in Bibliotheca Lambetana repe- 112.
riatur declaratio Patrum Concilii Tridentini, de non frequentandis Ecclesiasticis hæreticorum cœtibus, pauca inde descripta & confutata *Articulo VII* exhibentur. *Articulus VIII* vetustis- 118.
simum quoddam Rituale Ecclesiæ Sarisburiensis, tanquam horrendæ idololatriæ & nefandæ inprimis indulgentiarum mercaturæ manifestum specimen tradit. Deinde *Artic. IX* ex libro 123.
Eman. Gonzalezii in Decretales *Gregorii IX* dedicatio, ad Mariæ imaginem data, refertur, quæ abominandæ superstitionis plena in libri fronte legitur. *Articulus X* continet brevem *Hier. Bigno-* 126.
nii de Electione Papæ libri, quem anno ætatis tertio decimo conscripsit, recensionem. Tandem *Artic. XI Caroli Daubuzii*, Presby- 132.

teri Anglicani Tractatum, qui anno hujus seculi sexto prodierat, de Testimonio *Flav. Josephi* de Jesu Christo, laudat S. Rev. *Maichelius*, eumque hoc in argumento judicat omnibus palmam præripuisse: qua data occasione ipse sententiæ, quæ id genuinum pronuntiat antiquitatis monumentum, subscribit. Ultimus isque *XII Articulus* exhibet quasdam considerationes generales, præsenti instituto accommodatas, & in justas laudes Archiepiscopi Cantuariensis, *Guilielmi Wakii*, excurrentes, quem & in Præfatione multa laude ornavit. Hæc fere ea sunt, quæ doctissimus *Maichelius*, & multa doctrina & conspicua in veram religionem pietate, conscripsit, itinerisque fausto omine absoluti fructus esse voluit. Nulli dubitamus, fore, ut luculenta hæc opera, quæ se vario historiæ literariæ apparatu commendat lectori, orbi literato perplaceat. Inprimis autem Anglorum, quorum consuetudine sese captum profitetur, gratiam favoremque meretur doctissimus Autor, in laudandis quippe *Potteris, Bentlejis, Davisiis*, aliisque haud parcus. Ceterum optamus, ut lucubrationum harum continuatio lucem proxime aspiciat.

p. 141.

A LETTER TO A DEIST CONCERNING the Beauty and Excellency of Moral Virtue, and the Support and Improvement which it receives from the Christian Revelation &c.

h. e.

EPISTOLA AD DEISTAM DE PULCHRItudine & Excellentia virtutis moralis, & quomodo illa fulciatur ac promoveatur revelatione divina Christianis concessa &c. Autore Viro quodam Ordinis Eccles.

Londini, sumtibus Joh. Pemberton, 1726, 8.

Plag. dimid. 6.

LIcet serius ad nos perlatus sit hic libellus, ejus tamen notitia Lectorem nostrum destitui noluimus, tum ob argumenti, quod

quod persequitur, dignitatem, tum ut multis, qui ingenio nonnullorum ex Anglis, omnem religionem revelatam per insidias petentium, nimium tribuunt, constet, non deesse in terris illis viros cordatos, qui subinde vesanum hominum ejusmodi pruritum apposite retundant. Quo applausu scripta illa, ad imitationem græci Philosophi *Theophrasti* Characterum, præfixo etiam titulo eodem, *(Charakteristiks,)* Anglicana lingua composita, nostris temporibus excipiantur, quam prono in Autorem (Comitem *de Shaftesbury)* affectu a multis legantur, pauci nesciunt. Pauciores forte, quod nimium Autor ille ingenio indulgeat, atque per cuniculos omnem religionem evertere satagat, animadvertunt. Id ergo data opera demonstrare Anonymo hujus libelli Autori, qui, ordini sacro se adscriptum esse, in titulo prodit, propositum est. Et primum quidem quasi in transitu monet, quam male sibi Autor Characterum constet, sincerum atque ingenuum proximi amorem passim inculcans, simul vero non modo omnem occasionem captans, qua sacri ordinis viris petulanter insultet, sed sæpius alieno prorsus loco omnes iras in hoc genus hominum evomens, non criminando duntaxat nonnullos, sed acerrimis dicteriis universos proscindendo. Monet præterea, quam incongrue Autor iste, qui rationem sanam sequi maxime videri velit, animum inducat ad jaciendos sæpe scurriles in legem rationis jocos, atque adunco, quicquid illa dictitat, naso suspendat. Ad propositum inde accedit, inquisiturus in sententiam illius morum censoris de causis animum hominis ad virtutem flectentibus, quas vel ratio vel revelatio suppeditat, de quibus abjecte nimis judicasse videtur, quando jubet, ut virtutem mortales absque ullius commodi aut præmii respectu colant. Testatur ergo primum, quam alieno ab eorum sententia animo sit, qui privatæ utilitatis amore omne virtutis incitamentum absolvi putant, eamque potius internam virtuti dignitatem vindicat, qua cultores suos allicit, etiamsi nullo prorsus præmio commendaretur. Sicut sanctissima Dei natura ipsi summo Numini regula est, quam præmio nullo inde fruiturum sequitur, ita Deum æmulari, quantum humanæ conditionis imbecillitas sinit, &, quam

præscripsit, legem non utilitatis inde redundantis intuitu observare, mortales docet. Si privata cujusvis utilitas unica virtutis norma esset, cujusvis generis virtus inter mortales non nisi alia atque alia amoris sui ipsius modificatio futura esset. Detestatus vero ita *Hobbesii* sententiam, virtutem omnem ex privato commodo metientis, atque fassus, ejusmodi finem actionum humanarum ipsam virtutem ejusque naturam ingredi non debere, illorum tamen opinioni subscribere recusat, qui omne præmium ita a virtute sejungunt, ut nec comitari illam patiantur. Quid enim vetat, virtutem cum regio morum doctore ita depingere, ut altera manu varia vitæ hujus commoda, altera beatam immortalitatem largiatur? Sed diserte Characterum illorum Autor negat, metum aut spem cum virtute convenire, aut in una sede morari posse, quin potius ex cognitione præstantiæ & dignitatis justitiæ illam unice scaturire. Metuit enim, ne, cum amoris sui ipsius vitium mortalibus naturale admodum sit, crebro exercitio, dum, animi affectibus indulgendo, virtuti litare nobis videamur, illud sensim ita indurescat atque confirmetur, ut, quem publico bono debemus, amor ejusque sensus tandem plane in animo nostro obtundatur atque deleatur. Aliis dijudicandum relinquit Noster, annon Scriptor Characterum (nunquam vero eum nominat) hisce argumentis astute hominibus suggerere studeat, quod rationes, quas religio Christiana ex futuræ vitæ conditione, & rerum, quæ oculis subjici nequeunt, avide a Christianis expectandarum deliciis, pro commendando virtutis studio promit, eandem prorsus evertant. Ipse argute demonstrare suscipit, quod privati commodi cura bonum publicum sæpe mirum in modum promoveat, & quod argumenta, quibus virtutem revelatio suadet, illam nec infringant nec enervent, quin confirment potius ac augeant. Provocat ad experientiam, quæ, ipso judice, testatur, illos mortalium inprimis, quibus de futuræ vitæ æternæ præstantia ac luculentis bonis optime persuasum est, eo animi candore & sincero in cives affectu præditos esse, quem Characterum Autor tanquam certissimum virtutis fulcrum prædicat passim atque inculcat. Immo rara admodum inter mortales virtus futura

futura esset, si ex cognitione dignitatis ejus unice ipsam pendere juberemus, cum perpaucis illam satis meditari aut intelligere datum sit. Confirmatur præterea egregie virtus in hominibus ipsam dignitatis ejus aç excellentiæ causa amplexantibus, si respiciant excelsa illa bona, quæ in omne genus humanum inde redundant, maxime illa ratione proposita, qua Christiana religio eadem offert. Equidem Adversarius naturalem &, si ita loqui fas est, paganam virtutem multis laudibus passim extollens, & infinita præmia false simul ridens, quæ de futuræ vitæ statu sententia sua sit, diserte haud explicavit. Veritati tamen cedere coactus fatetur, præmiorum ac pœnarum virtutem in hac vita comitantium principium, licet servile admodum ac mercenarium ipsi videatur, sæpius tamen ex multis rationibus virtutem inter homines admodum stabilire ac confirmare. Qui vitiis jam immersi sunt, pædagogico quasi hoc a præmiis ac pœnis desumto argumento in viam revocantur, at surdas profecto aures pulsaret, qui multa intempestive de interna virtutis excellentia dissereret. Romani ac Græci, qui patriæ ita se devoverant, ut fervorem ipsorum, quo rei publicæ bono studebant, demirari par sit, nunquam tamen hoc solum fine agebantur, sed gloriæ simul studio exstimulabantur, avide quippe hoc expetentes, ut nomen suum redderent immortale. Quidni igitur virtutem quoque ex vario respectu ac fine quæri patimur? *Socrates* discipulos suos jubebat virtuti sacra facere, non solius virtutis causa, sed ut Deo quoque placerent, ejusque favorem sibi conciliarent. Cum vero *Socrati* a nemine id exprobratum sit, Noster nec Christo aut Mosi illud vitio verti debere contendit, quod virtutis studium non una de causa & præmiis quoque propositis commendent. Concludit igitur, Deum ipsum & naturam virtuti, per se omnino ac propter internam excellentiam amandæ, prudenti consilio varia etiam proposuisse præmia, quæ Stoico fastu seponere nefas sit, atque plures ex novi fœderis scriptoribus sacris historias exemplorum loco adducit, quibus probat, quam pura sit illa virtus Christiana, cujus studium largis præmiis commendatur.

THE

THE DISPENSATORY OF THE ROYAL College of Physicians in Edinburgh.

i. e.

PHARMACOPOEIA COLLEGII REGII Medicorum Edinburgensis, ex Latina in Anglicam translata & Notis illustrata a PETRO SHAW, M. D.

Londini, apud Wilhelmum & Johannem Innys, 1727, 8.

Plag. 19.

CUm ad Medicinam rite faciendam accurata materiæ medicæ notitia, genuinaque medicamentorum præparatio & compositio maxime sit necessaria; ars Pharmaceutica ubique ab ingeniosissimis Medicis exculta est, ut singulæ fere civitates proprias suas habuerint Pharmacopœias. Hinc suarum etiam partium esse duxit Collegium Regium Medicorum Edinburgensium, dum adhuc in cunabulis esset, de norma prospicere Pharmacopolis, juxta quam medicamenta forent elaboranda, quam ante hos octo annos limatam atque auctam lingua Latina luci publicæ exposuit. Quod Dispensatorium cum accurata congestum sit methodo, simplicium catalogum in fronte, & in singulorum Capitum calce canones generales pro medicamentorum præparatione rite instituenda exhibens, operæ pretium se facturum existimavit Clariss. *Shaw*, cujus Praxin Medicam novam in Actis A. 1727 Mense Martio pag. 125 commendavimus, si in Anglicum idioma traduceret Pharmacopœiam hanc Edinburgensem, notisque ex *Savary* Lexico, *Lemmery* Cursu Chymico, Commentariis Societatis Regiæ Paris. *Boerhaavii* Chymia & Praxi, ac *Quincy* Dispensatorio, tum etiam ex propria penu depromptis, illustraret, quas ad cognitionem, historiam & selectum simplicium medicamentorumque compositionem quovis modo ducere posse ratus est. Cum igitur Medicorum Edinburgensium acutum judicium in seligendis simplicibus ac singularem industriam in eorundem compositione admodum collaudet, nullum est dubium, quin artis Pharmaceuticæ cultores in hoc Dispensatorio inventuri sint, quod in aliis frustra quæsiverint.



ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Septembris Anno MDCCXXX.

GOTHA NUMARIA, SISTENS THESAURI FRIDERICIANI numismata antiqua aurea, argentea, ærea, ea ratione descripta, ut generali eorum notitiæ exempla singularia subjungantur; Autore CHRISTIANO SIGISMUNDO LIEBE. Accedunt ex ANDREÆ MORELLII Specimine universæ rei monetariæ Excerpta, & Epistolæ tres EZ. SPANHEMII, quibus rariores ejusdem Thesauri numi illustrantur.

Amstelædami, apud R. & J. Wetstenios & G. Smith, 1730, fol. Alph. 6 pl. 16 cum Tabb. æn. plurimis passim insertis.

JAm pridem pro incredibili, quo flagrat, bonarum literarum amore votis omnibus expetendum duxit Serenissimus Princeps, *Fridericus II*, Dux Saxonum Gothanus, gentis *Ernestinæ*, fœcundissimæ illius a *Friderico Placido*, una cum *Albertina* progenie, dignitatis hodie Electoralis hærede, ad hæc tempora feliciter deductæ propaginis *Senior*, ut numophylacii sui, a majoribus quidem, inprimis avo, *Ernesto Pio*, relicti, sed ante hos septendecim annos invidendo maximis regibus exemplo semel ita aucti atque adornati, ut inter celebriora non tantum Germaniæ nostræ, sed & universæ Europæ cultioris numerari jure possit, descriptio quædam extaret, qua, velut in tabella, ostenderetur amplitudo, selectus ac præstantia ejus, & usus ejusdem, qui accedentium nemini non patet, ab-

ſentibus etiam, & lucem inde ad humaniores diſciplinas, inprimis philologiam, antiquitates & hiſtoriam, uberius excolendas petentibus, communis redderetur. Quod nihilominus luſtra plus quatuor effluxere ante, quam votorum ſuorum conſequi ſummam utcunque potuit Princeps laudatiſſimus, factum cum difficultate operis, quod indefeſſam diuturnamque plurium, delineatoris nempe, ſculptoris & Autoris, nihil aliud eodem tempore agentis, diligentiam ſibi depopoſcit, tum obitu præmaturo viri doctiſſimi, *Chriſtiani Schlegelii*, quem in medio conatu eandem ſibi nominis famam ex lucubrationibus, quibus veteres numi explanarentur, comparandi, quam ex ſcriptis rem numariam medii ævi & recentiorum temporum illuſtrantibus ſibi pepererat, mors oppreſſit.

Ejus ſchedas, inprimis promiſſam illam toties deſcriptionem aureorum numorum gazæ Fridericianæ, luce donare, quam ingenii ſui periculum facere maluiſſet ſucceſſor ejus & Collega noſter a multis annis maxime induſtrius, *Chriſtianus Sigismundus Liebe*, ſi talem eam reperiſſet, qualem cum aliis ſperabat, ac non potius ἀκέφαλον atque omnino imperfectam, quod ad antiquiores, incipientem a Trajano & cum Severo deſinentem, quod vero ad recentiores attinet, paullo quidem ampliorem plenioremque, ſed tamen ultra claſſem numorum Saxonicorum haud perductam, lacunis ingentibus hiantem, atque ita in iis ipſis, quæ ſatis elaborata videri poterant, imperfectam ac mutilam, ut publici eam juris facere, niſi famæ alienæ prodigus, nemo poſſet. Quo pacto cum res ſeſe haberet, inter ipſa novi muneris auſpicia ad novum Opus primo quoque tempore condendum animum appulit, non cœca ſcripturiendi libidine, ſed ante omnia Sereniſſimi Principis voluntate ac mandato, tum & ἐργοδιώκτου, quo ille utebatur, venerabilis autoritate & creberrimo hortatu adductus. Quodſi ſuarum rerum rationem habere, quam alienis votis obſequi, ſordidoque lucello, quam ſplendori laudique gratioſiſſimi Domini ſui inſervire maluiſſet, elaborando illi expoliendoque haud paullo diutius operam dare poterat, eoque id habitu deinceps proferre in lucem, qui ut minus fortaſſe invidiæ, ita plus ſoli-

dæ

dæ gloriæ verique fructus haberet. At vero & perquam splendide, &, si tempus spectes, quo ad describendas schedas, delineandos cælandosque numos, conficiendasque elegantissimas tabulas æneas, & typis, quos fundi novos oportuit, imprimenda omnia opus fuit, satis mature hic liber prodiit, tametsi eum Autor multo ante prodiisse mallet, quod veretur, ne sint forte, qui toto eo tempore, quo sub describentium manu & prelo sudavit, illi limando operam dari potuisse rati, non emendatiorem politioremque datum esse criminentur. Neque enim inficias it, inter festinandum excidisse sibi, quæ vel mutata vel inducta prorsus mallet, alia vero propter idem properandi studium sese subduxisse, quæ adjecta ornare Opus & multis modis locupletare potuissent. Sed de his in altera, quam pollicetur, editione, junctim cum recentiorum numorum descriptione, si Deus vitam viresque concesserit, producenda, Autor viderit: nos de præsenti labore pro instituti nostri ratione breviter agemus.

Missa vero prorsus Dedicatione ac Præfatione, de ipso etiam Procemio, quod veluti τηλαυγὲς πρόσωπον Operi præfixit, & elegantissima longe tabula ænea, quæ numophylacium *Fridericianum* manu celeberrimi *Picarti* sculptum sistit, ornato pauca dicemus. Argumentum ejus huc ferme redit, privatorum hominum opus non esse gazophylacium, quod mensuram nominis sui impleat, sed magnorum Principum; hos demum pares censeri posse comparando ei & usibus publicis consecrando, augendo item atque ad posteros transmittendo: eam laudem ut sectentur illi, hoc ipsum hortari eos, quod propria Principum sit, quod splendida undiquaque, sive gazam ipsam, sive spectatorum advolantium turbam spectes, ac majestate Principum digna, quod fructus plenissima sit, ac denique, quod magnis nostrorum temporum exemplis, inprimis augustissimi Imperatoris Caroli VI, Regis Gallorum, & magni Hetruscorum, ut & Parmensium Ducis sese tueri possit: his motum Sereniss. *Fridericum II*, Ducem Saxonum Gothanum, relictam a majoribus, præsertim *Ernesto* avo & *Friderico* parente, supellectilem numariam, emto *Antonii Guntheri* Prin-

cipis Schwartzburgici thesauro, ita auxisse atque adornasse, ut præstantissimis Europæ gazophylaciis dubiam reddere palmam possit; eandem ob causam necdum cessare illum a ditando illo magis magisque; inprimis vero æterna laude dignam esse sapientissimam curam, qua jam ante hos septendecim annos, formula fidei commissa perscripta, providit, ut thesaurus tantus in perpetuum gentis Fridericianæ decus perennet.

Opus ipsum, quod tabulæ æneæ pulcherrime cælatæ & cuicunque novæ Sectioni præmissæ, numorumque icones, suis ubique locis insertæ, velut gemmæ fulgidissimæ, distinguunt, constat duodecim Capitibus, quibus omnes veterum numorum, quos gaza Fridericiana complectitur, classes ita percensentur, ut ab initio generatim ostendatur, quam firmæ sint, & quibus rariorum & selectiorum numorum subsidiis instructæ, tum singularia specimina promantur, & uberiori, si qua indigent, explicatione dilucidentur. His ad propiorem singularum classium considerationem via sternitur, idque ea potissimum ratione, ut vel nondum alibi edita promiscue, vel minus recte aut vulgata aut explanata ab aliis proponantur. Aureos numos argentei, argenteos ærei ubique excipiunt, agiturque adeo *Capite I* de numis aureis regum atque urbium, quos inter, ut Pharnacem illum, regem regum, a *Morellio* vulgatum, sed hic novis observationibus illustratum taceamus, luce dignissimus haud dubie Cyrenensium numus censendus, qui hinc Victoriam in quadrigis, illinc Jovem ante aram cum patera stantem sistit, addita inscriptione: ΚΥΡΑΝΑΙΩΝ ΠΟΛΙΩΝ ΔΕΥΣ pro ΖΕΥΣ, dialecto Dorica. *Caput II* de numis aureis familiarum Romanarum, quod monumentum illustre celeberrimæ quondam gazæ Mantuanorum Ducum, ante hos centum annos misere direptæ, cum aquila argentea, perpetuo numorum horum insigni, exhibet, cum ob penuriam numorum, qui ad hanc classem pertinent, justo brevius videretur, nec misceri tamen tractationi de numis aureis Imperatorum Romanorum commode posset, arripuit Cl. Autor inde occasionem, *Morellii* de numis Consularibus Opus adhuc ineditum cum *Vaillantii* simili labore, qui extat, contendendi monstrandi-

TAB. IV. Fig. 1. p. 14.

que



que per ſingulas familias eundo, quanto ſuo cum damno reſpublica literaria eo Opere careat. Id vero felicibus nunc auſpiciis ſub prelo gemit, obſtetricem ei manum admovente clariſſimo doctiſſimoque *Havercampio*, Hiſtoriarum Profeſſore in Academia Lugdunenſi, id quod non ſine voluptate intellecturos eſſe, qui ſuum his literis pretium ſtatuunt, facile auguramur. *Caput III*, quo de numis aureis Imperatorum Romanorum exponitur, haud paullo plura notatu digna offert. Intelligentium inprimis oculos ad ſe convertit aureus Nigriniani numus, ut ab omni fraudis ſuſpicione liberrimus, ita & rariſſimus longe clariſſimoque *Genebrerio*, cujus de Nigriniano ejusque numis erudita extat Diſſertatio, ignotus. Exhibet adverſa ejus pars caput juvenile nudum cum inſcriptione: DIVO NIGRINIANO, averſa rogum cum biga impoſita & literis: CONSECRATIO. Huc ſpectat & præclarus Maximiani Herculei numus, cui ſimilem Diocletiani ex muſeo D. *de Bullonſeaux* Celeberr. *Harduinus* laudat, qui hinc caput Maximiani laureatum cum inſcriptione: MAXIMIANUS AVGVSTVS, illinc Imperatores duos laureatos ac paludatos exhibet, qui equis phaleratis inſidentes adverſa fronte congrediuntur, dextra elata neſcio quid geſtantes, ſiniſtra tenentes bacillum, adjecta epigraphe: ADVENTVS AVGVSTORVM. Pertinet adventus iſte ad A. CCCIII poſt Chriſtum natum, de quo videndus Panegyricus incerti autoris in nuptiis Conſtantini & Fauſtæ, Maximiani filiæ, dictus. Sed nefas ſit, indictum prorſus hoc loco prætermittere elegantiſſimum quinarium aureum Criſpi, in quo FRANCIA legitur, quam vocem nusquam, niſi in duobus Conſtantini M. numis occurrere Celeberr. *Harduinus* affirmat. Siſtit ille caput Criſpi laureatum ad pectus usque cum lorica, adjectis verbis: FL. IVL. CRISPVS, & ex altera parte trophæum cum aſſidente captivo ac literis in margine: GAVDIVM ROMANORVM, & infra: FRANCIA.

TAB. IV. Fig. 2. p. 74.

Fig. 3. p. 78.

Fig. 4. p. 81.

Caput IV numos argenteos junctosque illis æreos regum Macedoniæ, Syriæ, Ægypti, Arabiæ, Parthiæ, Armeniæ, Ponti, Pergami, Bithyniæ, Judææ, Mauritaniæ ac denique Siciliæ com-

TAB. IV. Fig. 5. p. 99. complectitur. Ex regum Macedoniæ numis primum locum minimus quidem mole, sed artificio longe præstantissimus Alexandri M. occupat. Caput maximi regis novæque monarchiæ conditoris in eo nudum, capillis sparsis ac sursum flexis, vultu decenti, sed qui Martem spiret, expressum cernitur. Aversa numi pars leonem cum vectore Cupidine exhibet inscriptionemque: ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ, ultimis duabus literis per compendium scriptis, id quod indicio est, eum non Alexandri M. ætate, sed haud paullo serius, ac fortasse Antonini Caracallæ tempestate cusum esse. Nata inde Cl. Autori occasio pluribus de nota ȣ agendi, ostendendique παρόραμα Ill. *Spanhemii*, ex numo, qui in gaza Fridericiana extat, sed ævi sequioris & minus vere descripto ejusdem compendii antiquitatem evincere conati. Factum id ea, quam Viri tanti dignitas & merita in rem literariam infinita jure sibi deposcebant, modestia, quæ nec alibi desideratur, ubi aliquid humani passum eum Autor animadvertit. Huc spectat, quod Ill. *Spanhemius* arbitratur, Gelonem, Syracusarum apud Siculos regem, in numis Συρακόσιον appellari, cum Gelous ille patria fuerit, ac proinde ita & in curru æreo, Olympiam ab eo misso, quem *Pausanias* commemorat, inscribatur. Sed ostendit Cl. Autor noster, in numis, ad quos provocat Vir summus, non legi: ΓΕΛΩΝΟΣ ΣΥΡΑΚΟΣΙΟΥ, sed ΣΥΡΑΚΟΣΙΟΙ

Fig. 6 & 7. p. 148. ΓΕΛΩΝΟΣ, idque interpretatur: *Syracusani, Gelone* nempe rege, quod exemplo duorum numorum, quos & hoc loco exhibemus, luculenter probat. *Caput V* numos urbium & populorum percenset, inter quos plerique vel plane indicti Celeberr. *Harduino*, cujus de numis urbium & populorum liber, Operibus ejus selectis præmissus, pridem eruditorum hominum manibus teritur, vel ita commemorati ei sunt, ut jure meritoque lectores uberiorem explicationem desiderare possint. Ejusmodi sunt numi ΑΙΤΝΑΙΩΝ, ΑΝΤΙΣσαιων, ΓΑΞΙΩΝ, ΒΗΤΗΡΡΑΤΩΝ, ΕΛΕΥΘΕΡΝΑΙΩΝ, ΙΑΙΤΙΝΩΝ, ΙΤΑΝΙΩΝ, ΟΙΝΙΑΔΩΝ, ΟΛΟΝΤΙΩΝ, ΠΡΑΙΣΙΩΝ, ΣΙΔΗΤΩΝ, ΦΑΛΑΝΝΑΙΩΝ, ΦΕΡΑΙΩΝ & ΦΩΚΕΩΝ, quibus accedunt numismata urbi-

urbium Hispanicarum, quales ACINIPO, AVSA, CARBVLA, CORDVBA, OBVLCO & OSSET. Missis ceteris pauca de duobus Hispanicis numis afferemus. Alter est Carbulæ, oppidi conventus Cordubensis, cujus altera pars caput muliebre, Liviæ fortasse, cum Luna crescente exhibet, altera caput monstrosum Isidis cum radiis deorsum flexis, quale in imagine occurrit apud *Casalium* de Ægyptiorum ritibus: alter coloniæ Osset, quod COSSET una voce, præeunte *Antonio Augustino*, legit celeberrimus *Harduinus* atque ad COSSETANOS transfert. Sed, si, quod alibi ab eo factum, *Rodericum Carum* consuluisset, vidisset, legendum esse: OSSET, literam autem C. Coloniam designare. Laudat enim *Carus* ex Thesauro *Goltzii* numum, in quo: IVLIA CONSTANTIA COL. OSSET, quemadmodum & apud *Plinium* lib. II c. 6 legas: *A læva Hispalis colonia, cognomine Romulensis. Ex adverso oppidum OSSET, quod cognominatur IVLIA CONSTANTIA.*

TAB. IV. Fig. 8. p.169.

Fig. 9. p.193.

Quid jam porro de *Capite VI*, quo numi argentei atque ærei familiarum descripti comparent, ex quibus ATII BALBI PR. (cujus aversa in parte inscriptio: SARD. PATER) Q. LABIENI PARTHICI IMPERATORIS, BAEBII P. F. RVSTICELII, PVLCHRI IMP. & Græca C. VIBII PANSAE numismata ceteris palmam præripiunt, quid item de sequentibus dicemus, quos instituti ratio admonet, cavendum esse, ne dicendorum series in immensum excrescat. Sequitur autem *Caput VII, VIII, IX, X & XI*, quibus distincte primo de argenteis, ac porro de æreis primæ, secundæ ac tertiæ magnitudinis Imperatorum numis, ut & de numismatibus, quæ *Medaglioni* vulgo appellantur, aureis pariter, argenteis atque æreis agitur. In his quot & quam rara antiquitatis eruditæ monumenta sese offerunt, quæ spectari ab harum literarum studiosis sine stupore ac voluptate singulari haud possunt. Quem non percellat teneatque adspectus aurei numismatis, quo ex antiquis, si περιφέρειαν consideres, majus augustiusque nulla unquam gaza, ne regia quidem Versaliensi apud Gallos, qui hujus generis merces ex

omni-

TAB. IV. Fig. 10. p.360. omnibus terrarum partibus incredibili sumtu studioque congesserunt, excepta, vidit, quod hinc caput Constantis laurea cinctum ad pectus usque, dextra elata cum literis: FL. CONSTANS NOB. CAES. illinc Constantinum Magnum inter filios, Constantinum juniorem, Constantium & Constantem, cum labaro stantem ob oculos ponit, addita inscriptione: Fig. 11. p.364. SECVRITAS PERPETVA CONS. Quis sine admiratione intueatur numisma Græcum argenteum Augusti, cujus adversa pars caput illius radiatum exhibet cum literis: ΘΣΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΚΡΗΤΩΝ ΕΠΙ ΚΟΡΝΗΛΙΟΥ, h. e. *divus Augustus Cretensium sub Cornelio*, aversa caput Jovis diademate revinctum cum inscriptione mutila quidem, sed ita haud dubie supplenda: ΙΕΡΑ Βουλὴ ΙΤΑΝΙΩΝ ΚΡΗΑΤΓΕΝΗΣ, h. e. *sanctum concilium Itanensium, Cretagenes*, quod cognomen Jovis in nullis aliis, de quibus constat, veterum monumentis hodie superest, nisi in alio, sed rarissimo Titi numo & una apud *Reinesium* inscriptione.

Sed quas adhuc Operis hujus Sectiones vidimus, juxta cum rarioribus atque ἀνεκδότοις etiam minus rara, atque alibi edita complectuntur. In duodecimo, quod superest, Capite non occurrunt, nisi lectissima, rarissima & adhuc nondum publici a quoquam juris facta, quæ maximam partem accessioni debentur, qua thesaurus Fridericianus ante quinquennium mirum in modum crevit liberalitate insigni Celeberrimi *Gottfridi Thomasii*, Norimbergensium Medici longe florentissimi, qui contentus numorum recentiorum, quem collegit, apparatu (est autem ille tantus, quantum privatorum hodie nemo servat, & rarissimorum lectissimorumque numorum copia ita commendabilis, ut magnis Principum gazis nihil aut parum concedat) veterum numorum supellectilem multorum annorum studio a se collectam laudatissimo & generosa, qua præditus est, indole dignissimo instituto, thesauri Fridericiani loculis permisit. Hinc demum promi specimina, quæ ostenderent, quam reconditas ille & alibi non obvias merces complectatur, hinc ex numis æreis primæ magnitudinis Germanicus,

nicus, & Agrippa cum Augusti & nepotum C. & L. Cæsarum capitibus in posteriori numi pagina, M. item Aurelius Antoninus cum Bellerophonte & Pegaso literisque: C. L. I. COR. Tranquillina cum literis Π. Π. quas *Πατέρα Πατρίδος* vulgo interpretantur, & Hostilianus, ex numis secundæ magnitudinis Nero cum inscriptione aversæ partis: PORTVS FRVCTIF. P. R. C. P. h. e. *Colonia Patrensis*, & Plautilla cum sedente aversa in pagina Dea Salute literisque: C. L. I. COR. atque ex aliis horum numorum generibus alia proferri possent. Sed præstiterit Lectorem plus satis jam defatigatum ad ipsum ablegare Opus, ut inde plenius curatiusque, quid eo præstitum sit, intelligat. Nobis ad alia pergendum est, ubi vel verbo monuerimus, sub finem Excerpta ex *Andr. Morellii* Specimine universæ rei numariæ antiquæ, itemque tres Epistolas illustris Viri *Ez. Spanhemii* propterea cerni adjectas, quia numos quondam Arnstadiensis, hodie Fridericianæ gazæ Duumviri illi præstantissimi describunt, quos eam ipsam ob caussam fere intactos prætermisit Cl. Autor, quod descripti illustratique jam prostarent. Notulis tamen quibusdam stipavit Excerpta hæc *Morelliana* & *Spanhemianas* Epistolas, fructu non cariturìs apud eos, qui, quæ de numis lectissimis viri laudati memoriæ prodiderunt, paullo diligentius expendenda duxerint. His omnibus denique, ne quid omnino justo Operi deesse videretur, Indices duo, numorum alter, alter rerum, subjecti comparent.

RERUM ITALICARUM SCRIPTORES ab A. D ad MD. LUDOV. ANT. MURATORIUS, Ser. D. Mut. Bibl. Præfectus collegit, ordinavit & Præfatt. auxit, nonnullos ipse, alios vero Mediolan. Palatini Socii ad MS. Codicum fidem exactos summoque labore ac diligentius castigatos, variis Lectionibus & Notis tam veterum Eruditorum quam novissimis auxere.

Tomus XV.

Mediolani, ex Typogr. Societ. Palat. in Regia Curia, 1729, fol.
Alph. 6 pl. 14.

Titulum paullo, quam hactenus suevimus, prolixius exposuimus, ne quis nos Cel. *Muratorio* uni omnia tribuere & merita Sociorum Palatinorum Mediol. premere velle criminetur, de quibus quidem quæ in recensione primi Voluminis diximus, ad singulos Tomos pertinent. Inscriptus est hic Tomus a Sociis, interprete *Argelato*, Em. & Rev. Principi *Cornelio Bentivolo* S. R. E. Cardinali, Hispaniarum Regis ad Rom. Pont. Legato, qui Thebaidem *Statii* nobis dedit Etrusco poemate elegantissimo. Prodit vero I *Chronicon Senense* Italice *scriptum ab Andrea Dei & ab Angelo Tura continuatum, ab A. 1186 ad 1352*, una cum notis prolixis nec ineruditis *Huberti Benvoglienti*, Patritii Senensis, qui & hoc & alia Historiæ patriæ anecdota, postea publice producenda, e Bibliotheca, qua utitur instructissima, liberaliter Cel. *Muratorio* communicavit, addiditque luculentissimam Præfationem, in qua de pluribus Historicis Senensibus ineditis eleganter commentatur. Non injuria vero vetustissimum Historiæ Senensis scriptorem dixeris *Andream Dei*, qui, ut ex ipso Chronico patet, vixit A. 1328, immo illud, si fides est *Celso Cittadino* Lib. de Origin. linguæ Senensis, quam tamen dubiam reddit Cl. *Muratorius*, ad A. 1348 produxit, continuatorem nactus *Angelum Turæ* scil. filium, *crassum* etiam ab habitu corporis dictum. Singularem vero & valde probabilem idem *Muratorius* de nomine *Dei* hujus conjecturam affert. Observat nimirum, olim inter Italos non paucos a patris nomine cognomentum sibi adscivisse, ut *Pierro di Tegliaccio, Francesco di Messer Vanni*, h. e. Petrum Tegliaccii filium, Franciscum Domini Vannis filium &c. rursus in more fuisse, nomina quædam contrahere ac veluti dimidiata adhibere: ita enim pro *Alexandro* aliquis appellabatur *Sandro*, pro *Bartholomaeo Meo*, pro *Arriguccio*, ut Noster quidem putat, *Guccio*, pro *Maphaeo*, sive *Maffeo Feo*, pro *Uguccione Cione*. Itaque Nostro pater *Dei* dictus fuisse videtur *Thaddeus*, quem brevi-

tatis

tatis ergo *Deo* vulgus appellabat, ita ut Autor noster *Andrea Deo* seu *di Deo*, seu *Figlivolo di Deo* nominaretur. Succedunt II *Nerii, Donati Filii Annales ab A. 1352 ad 1381*, pariter Italici, pariterque e Bibliotheca Senensi *Huberti Benvoglienti* & cum ejusdem notis editi. Equidem autorem hunc vestium propolis accensendum, ex ipso scripto patet, unde stylus plebejus, & multa immixta sunt inepta, quorum partem resecuit *Muratorius*, qui & causas habere sibi visus est, cur priora, saltem ad A.1370, *Donato* patri, reliqua tantum usque ad A. 1381 filio tribuenda putet. Reliqua, quæ usque ad A.1384 accessere, fragmentum esse videntur Chronicorum, quæ *Angelo Thuræ* filio adscribuntur. Excipit hos Annales III Latinum *Chronicon*, *Estense* a Nostro dictum, etsi Ferrariæ, ubi olim dominabantur Estenses Principes, res quoque simul complecteretur, ibique antehac fuerit custoditum; quod cum diu frustra indagasset, postquam *Peregrinum Priscianum*, qui ante annos 250 Annales Principum Estensium & Ferrariensium rara eruditione conscripsit, sæpe ad *vetus* quoddam *Chronicon* provocare didicisset, tandem autographum Codicem pervetustum membranaceum in ipsius Bibliothecæ Estensis, cui præfectus, recessibus reperit, quem nunc feliciter in publicos usus promit. Autores vero successive plures, coævi tamen, manibus suis Codicem scripsere, & ut de paucis illis, quæ ab A. 1001 præmittuntur, nihil dicamus, quæ succedunt ab A.1207 ad A.1240, transcripta fere sunt ex Monacho Patavino, quem Noster dederat Tomo VIII Rer. Ital. ejus tamen Continuatore, qui simul illic & in impressis aliis legitur, insuper habito, alium Autorem, quem vixisse apparet A. 1305, filum ab A.1241 ad A.1317, atque hinc rursus alium ad A.1354, demumque reliqua ad A.1393 alium vel alios deduxisse probabile est, idque ipse character, qui varius est, & ætatem illam prodit, suadere videtur. Observat vero Noster, *Sansognam* ad A.1095 memoratam, nihil aliud esse, quam ipsam *Saxoniam*, in qua alter Atestinæ gentis surculus radices egerit, hancque eo nomine ab Italis sæpe seculis rudibus fuisse vocatam docet; promittitque *Jacobi de Delayto* Historiam Estensem ab A.1393 ad A. 1409 ac Historiam Ferrariensem subinde ab A. 1409 ad A. 1500 continuatam.

Sistitur IV e Codice Mutinensi *Chronicon Mutinense ab A. 1002 ad A. 1343, Autore Johanne de Bazano*, cive Mutinensi, qui ad A. 1359 & 1361, quibus annis vixit, nomen suum, quod a Castello, ubi ipse & majores ejus floruerunt, more eo tempore consueto petiit, prodidit. Quod ignorasse videtur *Lud. Vedrianus*, qui, quamvis in *Historia Mutinensi* Mutinæ A. 1667 edita sæpius hoc Chronico usus sit, nomen tamen ejus inter Scriptores Mutinenses non retulit. Scriptorem esse non indiligentem, nec judicio destitutum, &, quæ ante illum gesta sunt, e scriptoribus synchronis petiisse, res ipsa loquitur. Cumque subinde Potestates seu Magistratus Mutinæ commemoret, hinc arripuit occasionem Cl. *Muratorius*, ut in calce adderet Consules & Magistratus Reip. Mutin. quotquot occurrerunt ipsi in duobus vetustis Registris MSC. quæ eadem Respublica servat. Latinum hoc Chronicon subsequuntur V *Ephemerides Urbevetanæ ab A. 1342 ad A. 1363*, quæ tempora satis perturbata fuere, Italica lingua, qua & sequentia hujus Tomi Chronica contexta sunt, ab Anonymo Synchrono conscriptæ & e Bibl. Vaticana nunc primum prolatæ; quibus *Monaldesci* Chronicon Urbevetanum, quod ab A. 1328 ad A. 1340 productum Noster Tomo XII hujus Collectionis intulit, quodammodo continuatur, quamvis utriusque scribendi ratio sit diversissima, & ille inprimis dialecto Romana, hic vero lingua cultiori locutus sit. Usos eo fuisse *Cyprianum Manentem* in Historia Univ. ab A. 970 ad A. 1400, Ven. A. 1561 edita, & *Alphonsum Ceccarellium* in Historia familiæ Monaldeschæ, quæ Asculi prodiit A. 1580, in Præfatione probatur. Majori tamen in pretio esse debet, quæ sequitur VI, *Danielis Chinatii*, Tarvisini, *Descriptio belli Clodiani*, seu apud Fossam Clodiam & alibi inter Venetos & Genuenses A. 1378 & sequentibus gesti, e Bibl. Estensi depromta, quam etsi *Andreas Gatarus* Chronico suo Patavino, propediem a Nostro edendo, insertam voluerit, Mediolanenses tamen inde evulsam hoc loco publicarunt. Autor Venetiis toto belli tempore vixit, atque adeo de rebus gestis accurate admodum agit, longeque præferendus videtur *Barthol. Facio*, Spediensi, in Genuensium ditione nato, qui diu post circa A. 1450 librum reliquit *de bello Veneto Clodiano*,

diano, ex aliis ſcriptoribus congeſtum & Lugduni A. 1568 editum. Equidem quamvis ubique pateat, Autorem res a ſe viſas vel auditas deſcribere, dubium tamen nonnullis moveri poterat, quod Bernabos Mediolani Dominus & Amadeus Sabaudiæ Comes *Ducis* titulo inſigniti reperiantur, quo tamen neuter illo tempore gaviſus eſt; quod Noſter ita ſolvit, ut oſtendat, librarios ſæpe vel aſſentiendi ſtudio vel quocunque auſu temerario axiomata honorum mutaſſe, & pro ſui temporis ſtatu Duces aut Reges appellaſſe, qui dignitatem Ducis aut Regis, qua poſteri eorum claruerunt, nondum eſſent conſecuti. Obſervat etiam, *Chinatii* nomen Patris potius quam familiæ cognomentum fuiſſe, quia Italis vocatus fuerit *Daniel di Chinazzo*. Sequitur VII *Gorelli*, Aretini Notarii, ſynchroni & fere omnium, quæ narrat, oculati teſtis, *Poema*, Italice ſcriptum, *de rebus geſtis in Civitate Aretina ab A. 1310 ad A. 1384*, e MSpto Codice Senenſi, a Cl. *Benvoglienti*, qui nobis ſæpius jam laudatus eſt, cum aliis MSS. collato. *Gregorium* re vera dictum fuiſſe Autorem, Noſter inde probat, quod ante annos 400 Gregorius Italis dictus fuerit *Ghirigoro*, a quo vocabulo dimidiato *Goro* & ex iſto diminutivum *Gorello* fluxerit: præterea Notarium fuiſſe, atque adeo e Nobilium cœtu, quippe qui ad eam dignitatem tum ſoli admiſſi, tum titulus expreſſe prodit, tum ex eo evincitur, quod *Ser Gorello* vocatur, titulo vero *Sire* Notarii potiſſimum olim fuerint diſtincti. Is imitaturus *Dantem Aligherium*, qui in omnium tum ore erat, eodem carminis genere, quo ille uſus, calamitates, quas patria Seculo XIV experta eſt, jugum inprimis a Florentinis impoſitum, deſcribere auſus eſt, impari quidem & plane infelici ſucceſſu, ſi ea ſpectes, quæ carmen ornant: in hiſtoria tamen ejus temporis inter Aretinos ſcriptores fere unicus eſt. Quod ſuccedit VIII *Chronicon Ariminenſe*, a Duumviris Anonymis, ſed coævis, altero ab A. 1188 ad A. 1385, altero ab A. 1416 ad A. 1452 deductum eſt, dialecto quidem Ariminenſi, cui tamen rubiginem aliquot locis deterſit Cl. *Muratorius*, qui Codicem Ariminenſem accepit a Nobiliſſ. *Gabriele Suardo*, conciliante *Joſepho Malateſta Garuſſi*, libris editis clariſſimo, nuper admodum defuncto. Poſtremo IX acceſſere *Monumen-*

ta Pisana ab A. 1089 ad A. 1389 deducta & continuata usque ad A. 1406, Autore Anonymo, quæ accurate collata cum Codice Bibliothecæ Mediceo-Laurentianæ suppeditavit Nostro doctissimus Bibl. hujus Custos *Ant. Maria Biscionii*, J. U. Doctor Florentinus. Etsi de Autore prioris periodi nihil certi dici queat, patet tamen ubique, eum ante Pisas a Florentinis occupatas vixisse; & Continuator res ad eum ipsum annum, quo urbs capta, hoc est, A. 1406, deduxit; ut itaque *Chronica Pisanæ*, Tomo VI hujus Collectionis illata, nec ultra A. 1269 progressa, suppleri e Monumentis his commode possint. Num *Paulus Troncius* ea consuluerit in Pisana Historia sua Liburni A. 1682 edita, in dubio relinquit Noster. Ceterum quod ad Chronologiam attinet, tenendum, Autorem ubique peculiarem æram Pisanæ urbis sectatum fuisse, quæ nimirum novem Mensibus Annum vulgarem a Circumcisione antevertit, suumque ab Incarnatione deducit, ita ut e. gr. die 25 Martii anni apud alios decurrentis 1329, Pisani jam numerare cœperint A. 1330.

WARSAVIA PHYSICE ILLUSTRATA, sive de Aere, Aquis, Locis & Incolis Warsaviæ, eorundem Moribus & Morbis Tractatus, cui annexum est Viridarium, vel Catalogus Plantarum circa Warsaviam nascentium; Autore CHRISTIANO HENRICO ERNDTELIO, *Phil. & Med. D. S. R. M. Polon. & Elect. Saxon. Archiatro, & Natur. Curios. Germaniæ Collega.*

Dresdæ, apud Joh. Christoph. Zimmermanni hæredes, & Joh. Nicol. Gerlachium, 1730, 4.

Alphab. 2 plag. 4 cum fig. æn. Tab. 3.

CUm nullus hactenus Medicorum de Sarmatia & methodo medendi Polonis aliquid singulare & curiosis lectoribus cumprimis acceptum literis tradiderit; Clarissimus *Erndtelius*, licet non sit origine Polonus, postquam tamen per quatuor fere lustra in Polonia, & maximam partem quidem ejus Metropoli, Warsaviæ vixit, & Praxin Medicam pro

pro muneris publici ratione exercuit, laudabilem admodum navavit operam, scripto præsente Warsaviæ singularia posteritati commendandi. Invitavit eum ad hoc institutum ipsa nationis Sarmaticæ dignitas & erga exteros bene merentes summa humanitas & benevolentia, quibus cum hospitalitatis virtute junctis plerasque superant, ipsa invidia fatente, cultiores etiam gentes generosi Poloni, quod in Præfatione de eis prædicat. Tractationem ipsam sex Capitibus absolvit, quorum I sufficientem de urbe ipsa ejusdemque situatione & ædificiis propriis; II de aere, quo soli & terræ simul conditiones includuntur; III de aquis; IV de incolis, eorumque victu, temperamento & moribus; V de morbis; & VI de ingressu ad infirmos, vel methodo medendi Polonis dat informationem. Multifariæ eruditionis plenum librum hunc judicabit quilibet, qui varias hinc inde factas digressiones observaverit. Cum ex singulis Capitibus excerptum quid dare nimis prolixum fuerit, pauca solum inde delibabimus. Pag. 21 Columnam, quam Vladislaus Rex Warsaviæ erexit, & memoriæ Patris sui, Sigismundi, dedicavit, ex marmore, non ex jaspide, ut Eques Galliæ *de Beaujeu* in Comment. pag. 146 tradidit, fabrefactam perhibet Clariss. *Erndtelius*. Pag. 30 & 32 aeris gravitatem & elasticitatem demonstrat; pag. 44 Catalogum conchyliorum & aliorum petrefactorum in littore Vistulæ fluvii circa Warsaviam reperiundorum subnectit; pag. 51 morem taxat cadavera humana in templis sepeliendi; pag. 53 modum describit, quo lue venerea infecti in fimeto curam instituant; pag. 56 vini Hungarici bonitatem a libero auræ Australis accessu derivat; pag. 61 nec Warsaviæ, nec ullibi conspectum fuisse basiliscum probat; pag. 66 Ephemerides Meteorologicas seu Constitutionem aeris & tempestatum Warsaviæ, per annos 1725, 1726, 1727 & 1728 quoad barometrum & ventos observatam, subministrat, & in rationes phænomenorum barometri inquirit; pag. 119 aquarum originem, circulum, differentiam & bonitatis signa investigat. Singularis est & a nullo ante proposita Plicæ Polonicæ theoria, quam pag. 153 Autor Clariss. suppeditat. In eo scilicet conveniunt omnes, cirros istos in crinibus sub finem seculi XIII post

varias

varias a Tartaris factas invasiones primum observatos fuisse, quo tempore istas Provincias innumeris stupris ab hac gente, utpote in crapulam, libidinem, ceterasque voluptates pronissima, conspurcatas esse credit. Licet enim Tartari nunquam forte ordinarie plica ipsa laboraverint, quia tamen ex belluino vivendi more, & propter annonæ tunc temporis apud suos caritatem ex absurdis, carne equorum, fortassis etiam morticina, aliisque præ fame devoratis, succos in corpore colligebant impurissimos, quos postea miseris, terrore, desperatione, inedia confectis incolis per libidinosam compressionem communicarunt, inde apud ingravidatas monstrosum ejusmodi malum fœtui impressum primam traxisse originem existimat; sine dubio enim apud miseras tales sub ipso congressu rigidas assurrexisse comas, vocem faucibus hæsisse, & totum corporis laticem coagulum quasi & stagnationem præ terrore passum fuisse, dum Satyris illis & monstris nolentes volentes corpora prostituerunt, addit. Definit denique Plicam, quod sit pilorum, capitis præsertim, confusa complicatio, aut intricatio, ex contagio partim, partim ex hæreditate nata, & per specificum quoddam inquinamentum producta, cujus essentia in salino-sulphureo acri, fermentifico & trichode miasmate videtur consistere, quod natura, ut noxiam materiam, non ad alia corporis emunctoria, quam per capillorum loculamenta sola, ordinario modo expellit. Post hæc pag. 163 scorbutum Polonis endemium esse negat, felicem vero præ multis aliis Europæ civitatibus pag. 167 prædicat Warsaviam, quod epidemicis raro infestetur morbis; pag. 177 de ærumnis Medicorum, quas tum ab ægris, tum medicastris sustinere coguntur, conqueritur. Pag. 183, dum de ingressu ad infirmos agit, docet, quomodo Warsavienses tractandi sint in morbis, qui a temperamento maxime oriuntur, quales sunt catarrhus, & febres catarrhales, paralysis, arthritis, rheumatismus, febres intermittentes, & in quos per luxum præsertim & asotiam se præcipitant, uti sunt hydrops, cachexia, icterus, tabes, phthisis; aut quos ab aeris inclementia contrahunt, ophthalmia puta, peripneumonia, pleuritide, apoplexia, febribus acutis, putridis & malignis, dysen-

ſenteria, & peſte. Claudit librum pag. 214 relatio ſpecialis morborum Warſavienſium anni 1720 cum methodo medendi.

Viridarium quod attinet, Warſaviæ in tanta copia & varietate plantas officinales reperiri perhibet Clariſſ. *Erndtelius*, ut vel ſolo hoc nomine ejus laudes ſcripto poſteritati commendare operæ pretium eſſet. Solas vero indigenas hic enumerat plantas juxta ſeriem Alphabeticam, omiſſis exoticis, quæ in hortis Regiis non exiguo numero aluntur. Præmittitur autem ſingulis plantis nomen, ut genus exinde cognoſcatur; quæ autem flore irregulari gaudent, *Rivini* nomine diſtinguuntur; & quæ apud *Rivinum* non inveniuntur, ſubjunctum gerunt aliquem Autorem claſſicum, qui optimam cujusvis & veram exhibuit iconem. Tandem etiam additum eſt nomen Polonicum, hinc tempus florendi, & in præcipuis officinalibus vel rarioribus character ipſe ſecundum methodum *Rivinianam*. Interdum & controverſiæ Botanicæ attinguntur, & erudite deciduntur.

PHILOSOPHICAL TRANSACTIONS,

hoc eſt,

TRANSACTIONES PHILOSOPHICÆ, quibus referuntur molimina, ſtudia & labores virorum ingenioſorum noſtri temporis in variis Orbis partibus. Volumen XXXIII pro Annis 1724, 1725.

Londini, apud W. & J. Innys, 1726, 4.

Alph. 2 pl. 14 Tabb. æn. 13.

NUm. 381 pro menſibus Januarii & Februarii A. 1724, primo loco occurrunt experimenta *Danielis Gabrielis Fahrenheit* circa gradum caloris liquorum nonnullorum ebullientium inſtituta. Uſus eſt thermometro Mercuriali & fixum gradum caloris deprehendit in liquoribus ſequentibus, ſed in ſingulis diverſum:

Liquores	Gravitas specifica.	Gradus ebullitione acquisiti.
Spiritus Vini	8260	176
Aqua pluvia	10000	212
Spiritus nitri	12935	242
Lixivium Cineris clavellati	15634	240
Oleum Vitrioli.	18775	546.

Gravitatem specificam determinavit ad 48 gradum calidorum, qui medium locum tenet in thermometris ipsius inter terminum intensissimi frigoris vi materiæ frigorificæ producti & terminum caloris in sanguine hominis sani. Olea volatilia non habent fixum ebullitionis gradum; fixa autem tanto calore afficiuntur, ut Mercurius in thermometro simul cum illis ebullire incipiat. *Nic. Cruquius* observationes Meteorologicas ab anno 17 usque ad 23 hujus seculi Lugduni Batavorum, Delphis Bataviæ & in pago Rhenoburgo captas, circa mediam barometri altitudinem, mediamque thermometri & hygrometri variationem, circa copiam pluviæ, roris, nivis, grandinis, aquæ, quæ exhalavit, & altitudinem putealis aquæ in puteo, unde nihil aquæ exhaustum fuit toto anni decursu, atque de variatione horologii portatilis singulis mensibus. Media scilicet altitudo barometri, thermometri & hygrometri singulis mensibus determinata fuit, ne inutili prolixitate lectorem obrueret. Novo autem artificio observationes in tabula quadam æri incisa exhibuit, certis signis adhibitis, ut uni conspectui pateant, quod nuper imitatus Cl. *Muschenbrœkius* in observationibus meteologicis. *Robertus Houston* tumorem vel hydropem ovarii a se feliciter curatam describit, incisione in abdomine facta. *Jo. Woodwardus* describit præparationem cærulei Prussiaci, ex Germania ad ipsum missam. *Johannes Brown*, Chy-

Chymicus Anglus, experimenta nonnulla circa eandem instituit, quæ descriptioni subjiciuntur. Ex Actis Uratislaviensibus excerpuntur Catalogi hominum A. 1720 & 1721 in diversis locis natorum & mortuorum. *Jo. Ranby* Sectionem oculi cataracta laborantis delineat. Aqueus & vitreus humor fuit in statu naturali, sed chrystallinus opacus & solidior quam in statu naturali. In iride & uvea nihil extraordinarii observabatur, nisi quod pupilla esset nimis contracta.

Num. 382 pro mensibus Martii & Aprilis exhibentur observationes Cometæ, qui mense Octobri, Novembri & Decembri apparuit, communicatæ a *Bradlejo* & a *Francisco Blanchinio* una cum aliis nonnullis de figura ejus singulari. Die 9 Oct. h. 8, 5′ Cometæ longitudo erat ♒ 7° 22′ 15″ latitudo 5° 2′ 0″: die 7 Dec. h. 6, 45′, longitudo ♒ 8° 4′ 13″, latitudo 26° 54′ 18″. Notatu dignum est, quod longitudo & latitudo computata juxta theoriam *Newtonianam* nonnisi aliquot scrupulis secundis per totum apparitionis tempus differat. Inclinatio orbitæ ad planum Eclipticæ erat 49° 59′, locus nodi ascendentis ♈ 14° 16′, locus Perihelii ♉ 12° 52′ 20″. Fuit autem in Perihelio d. 16 Sept. h. 16, 10′, tempore æquali. Motus fuit contra signorum successionem in orbita sua. Nucleus fuit admodum exiguus, etsi telluri triplo fere propior esset, quam Sol distantia media, cum primum appareret. Cauda sine telescopio ægre observari poterat. In Perigæo fuit d. 3 Oct. in oppositione cum Sole d. 1 Oct. ante sextum tamen nemo eum observavit. Apparuit tenuissimæ nebulæ globus, ejusque in medio veluti lucidus nucleolus. Præter illam vero atmosphæram, brevem quoque caudam habebat, quæ ad orientem vergebat. *Derhamus* observationes quasdam de vespis & earum sexu differente communicat: *Huxhamus* vero observationes de ingente omento, & colore salivæ insolito. Fuit saliva ictero laborantis viridis, ita ut dentes ac fauces quasi ærugine obducti essent, qui color permansit 14 post diebus, quam convaluit. *Thomas Robie*, in epistola ad *Derhamum* ex nova Anglia scripta, effectum inoculationis variolarum felicem, eclipsin Solis d. 27 Sept. A. 1722 observatam, & venenum aranearum describit. Exhibentur quo-

quoque observationes eclipsis lunaris, d. 8 Sept. A. 1718 in Italia factæ, ex Diario Veneto, & experimenta ac observationes *Fahrenheitii* de congelatione aquæ in vacuo: ubi & thermometra sua describit. Nimirum globum vitreum aqua aliqua ex parte impletum prunis candentibus imposuit, donec per tubulum duorum vel trium pollicum vapor tanquam ex æolipila erumperet: quo facto eum ad flammam candelæ hermetice sigillavit. Aqua in eodem contenta non abiit in glaciem, licet aeri frigido per noctem exponeretur: conversa vero est in glaciei lamellas celerrime agitata.

Num. 383 pro mensibus Maji & Junii *Wassius* describit differentiam inter staturam hominis tempore matutino & nocturno, quam usque ad digiti intervallum excrescere didicit in pluribus subjectis. Mane scilicet major est quam vespertino tempore, præsertim ubi per diem corpus defatigatum fuerit. Observationes a diversis membris Societatis Regiæ repetitæ sunt, non fine successu. Rationem petit a cartilaginibus inter vertebras spinæ dorsi. Leguntur quoque ibidem quædam animadversiones *Guil. Beckett* in istam observationem. *Grahamus* communicat observationes variationis magneticæ acus Londini A. 1722 & 1723 factas. *Sprengell* judicium suum interponit de balsamo styptico, quem *Eaton* publicavit. Eundem deprehendit cum tinctura martiali *Helvetii*, quam describit in Tractatu Gallico, cui titulus: *Recueil des methodes pour la guerison des diverses maladies*, A. 1710 in Batavia recuso. *Fahrenheitius* materiarum quarundam gravitates specificas exploravit, quarum præcipuas huic tabulæ includimus:

Aurum	19081	Marcasita alba	9850
Mercurius	13575	Aurichalcum	8412
Plumbum	11350	Sal maritimum	2125
Argentum	10481	Nitrum	2150
Cuprum Suecicum	8834	Alumen	1738
- - - - Japonense	8799	Sacharum albissimum	1606½
Ferrum	7817	Aqua pluviatilis	1000
Stannum Anglican.	7313	Alcohol vini.	826

Hal-

Hallejus d. 12 Decembr. A. 1694 & d. 19 ejusd. mensis exhibuit Societati Regiæ suas de universalitate diluvii cogitationes, consentientes iis, quæ de hoc argumento prodidit *Whistonus* in Theoria Telluris. Etsi autem Societas tum minime consultum judicaret hypothesin *Hallejanam* in lucem publicam proferri, ne forsan censuram Theologorum incurreret, falcem in alienam messem immittere visus; postquam tamen tanto tempore Theoria Telluris *Whistoniana* & in Anglia lecta fuerit, & ab exteris quoque in alia idiomata transfusa; Commissarii quidam Societatis nuper schedas *Hallejanas* reperientes non indignas judicarunt, quæ prelo committerentur.

Num. 384 pro mensibus Julio, Augusto & Septembri *Thomas Fairchild*, hortulanus, nova quædam experimenta exhibet de motu succi nutritii in plantis & arboribus. *Dudlejus* describit singularem curationem hominis, qui male se habens a potu frigidæ, cum corpus æstuaret, & ingentibus cruciatibus per totum corpus laborans, pristinæ sanitati restitutus, ubi cespitibus in fumo calefactis & humi stratis impositus, totumque corpus iisdem obrutum fuisset, ut sudor copiosus eliceretur. Cespites ex ea parte, qua gramine obducuntur, spiritu quodam vel oleo inunguntur, & bini ita combinantur, ut superficies unctæ sese mutuo contingant, antequam furno immittuntur, in quo duarum circiter horarum intervallo coquuntur. Describit eadem occasione cavernas, quibus Indi utuntur, sudatorias. *Desagulierius* lacus prope mare, in quibus aqua detumescit in affluxu marino, contra vero in refluxu intumescit, nec non stagna atque rivos, in quibus tempestate pluvia, aqua depressior, quam sicca, ingeniose admodum ad Tantalum *Heronis Alexandrini* reducit, seu vas hydraulicum, quod ubi plenum fuerit, liquorem intus contentum omnem effundit, non plenum vero omnem retinet. Ex Actis literariis Sueciæ inferitur narratio accurata de cadavere humano in fodina cuprimontana reperto. *Fahrenheitius* novum aræometrum communicat. Globulo *A*, qui eo melior, quo major, tubi oppositi *CD* & *EF* annectuntur. Gracillimo *EF* receptaculum *G* additur & punctum medium *a* signo conspicuo notatur. Majori *CD* affigitur globulus TAB. IV Fig. 12.

bulus minor *B*. Globuli *B* diſtantia a centro alterius *A* tripla eſt diſtantiæ receptaculi *G* ab eodem centro. Aërometron immittitur ſpiritui vini bene dephlegmato, & globulus *B* Mercurio impletur, donec illud ad punctum *a* usque deſcendat: quo facto tubulus *E* hermetice ſigillatur. Jam cum pondus inſtrumenti ad bilancem examinatum ſit æquale ponderi ſpiritus vini loco ſuo depulſi; ubi in receptaculo *G* ponas pondus, donec ad idem punctum *a* in alio liquore deſcendat, pondere hoc ad pondus inſtrumenti adjecto habebis pondus hujus liquoris. *Joannes Bonnet*, Chirurgus, pudendorum muliebrium ſtructuram præternaturalem delineat, & *Abrahamus Vater* caſum rariſſimum viſus objectorum partialis communicat, in fœmina ſcilicet a gutta ſerena liberata, utroque oculo objectum totum conſpiciente, alterutro vero eorum clauſo partem objecti macula tanto majore occupante, quo longius oculus ab objecto removetur. Subjungitur ſectio oculorum duorum cataracta affectorum cum *Samuele Molyneux*. Nullum in iis deprehenſum pelliculæ rudimentum, qualem ſe obſervaſſe ſcribit *Wolhouſius*; nullæ prorſus reliquiæ humoris chryſtallini repertæ, cujus opacitati morbum adſcribit *Briſſeus*. Viſus ab Oculiſta Dublinienſi, acu punctoria oculum utrumque perforante, in ſiniſtro fuerat reſtitutus, in dextro minime, atque adeo hic habemus exemplum viſus absque humore chryſtallino. Colophonis loco recenſetur *Dominici Bottoni* de immani Trinacriæ Terræ motu idea Hiſtorico-Phyſica, quæ A. 1718 Meſſanæ prodiit.

Denique *Num.* 385 pro menſibus Octobri, Novembri & Decembri *Joannes Harwood* communicat obſervationem *Stackhouſii* de ſcarabæo, quem vocat, galeato pulſatore, inſtar automati ſonum edente. Diximus de hoc inſecto in Actis A. 1712 p. 348. *Guilielmus Burnet* communicat obſervationes eclipſium primi ſatellitis Jovis A. 1723, per quas novi Eboraci longitudinem occidentalem determinat 74° 57′ 30″ a meridiano Londinenſi computatam. Ibidem declinatio acus magneticæ obſervata eaque occidentalis 7° 20′ A. 1723 & 8° 45′ A. 1686. *Deſagulierius* thermometrum aereum, quod ſimul barometri vicem

cam sustinet, ad usum libellationis aptat methodo singulari. Ex Actis literariis Sueciæ recensetur casus oppido rarus de cranio & costis fœtus per anum ejectis, exhibeturque observatio circa lumen boreale. *Fahrenheitius* novum describit barometrum. Cylindro nempe *AB* annectitur tubus *BC*, cui additur globulus oblongus *CD* & huic tubulus *DE* gracillimo foramine præditus. Cylindrus liquore quodam repletur, qui calorem aquæ bullientis ferre potest. Scala *BC* mutationes caloris in aere factas exhibebit: ast ubi instrumentum aquæ ebullienti immergitur, liquor in tubulum *DE* ascendens ostendit caloris gradum, quem a gravitate atmosphæræ dati gradus in aqua ebulliente acquirit. Reperies quoque ibidem observationes eclipsis lunaris, die 1 Nov. 1724 Ulyssipone a *Carbone* & *Capassio* Societ. Jesu observata; hor. 1 38 penumbra, h. 1 47′ 45″ umbra incepit; hæc vero desiit h. 4 20′ 36″, illa h. 4 28′. Adjiciuntur observationes immersionum ac emersionum intimi Jovis satellitis habitæ Ulyssipone telescopio *Josephi Campani* palmor. Rom. 30 A. 1723 & A. 1724, factaque comparatione cum observationibus Parisinis differentia meridianorum Ulyssiponensis & Parisini 45′ 48″. *Antonius Maria Valsalva* ductus excretorios renum succenturiatorum detexit, qui in maribus in epididymides, in fœminis in ovaria sese exonerant. Denique nonnullorum observationes ad historiam naturalem spectantes ibidem leguntur. Inter eas notatu digna est *Dudlejana* de malo pomifera absque floribus. TAB. IV. Fig. 13.

SENATUSCONSULTI DE BACCHANAlibus, sive æneæ vetustæ Tabulæ Musei Cæsarei Vindobonensis Explicatio, Autore MATTHÆO ÆGYPTIO.

Neapoli, apud Felic. Muscam, 1729, fol.
Alph. 2 pl. 12 Tabb. æn. maj. 2.

VEnerabile hoc antiquitatis Romanæ monumentum, ænea Tabula vetustissima, in qua rudibus, ut erant tempora, literis SCtum de Bacchanalibus coercendis incisum est, A. 1640 in Bru-

Brutiis, inter plurima alia priorum temporum fragmenta, repertum, & ab illustri Principe, *Jo. Baptista Cigala*, Tirioli in Brutiis domino, diu servatum, postmodum A. 1727 ab ejusdem nepote thesauro Augustissimi Imperatoris, annitente viro Illustri *Pio Nicolao Garellio*, dicatum est. Vix fama de tam insigni, tamque veteri Tabula reperta percrebuerat, cum viri eruditi ad eam describendam certatim irruerent: itaque factum est, ut jam aliquoties hoc SCtum typis sit vulgatum: ex quo numero sunt Batavi, qui Operibus *Ciceronis* olim præfixerunt, *Raph. Fabrettus*, qui Inscription. Cap. VI, & *Scipio Maffæus*, qui Hist. Art. Diplom. pag. 125 inseruit. Sed cum hi non satis diligenter & cum cura opera sua sint functi, Cl. *Ægyptius* præterea a priori possessore Illustri *Cigala*, dum hic in eo erat, ut Tabulam ipsam ad Imperatorem mitteret, invitaretur, ut, si qua haberet, quibus SCtum illustrari posset, in medium conferret, aggressus est opus, & primo quidem ipsum SCtum æneæ tabulæ, Archetypo, etiam quod ad ornamenta nuper addita, per omnia æquali beneficio laudati *Garellii* incisum, addi curavit; deinde historiam ipsam Bacchanaliorum, quæ SCtum illud pepererunt, ex *Livio* apposuit, eamque lato Commentario illustravit; porro SCti verba simili Commentario persecutus est, denique de gemmis aliquot, nummis, ceterisque talibus, quæ partem Bacchanaliorum illustrant, & singulari Tabula repræsentantur, paucis disseruit. De singulis quædam proferemus. *Livii* verba desumta sunt ex ejus Lib. XXXIX Cap. VIII usque ad Cap. XIX, & hic paginas 13 occupant. In Commentario singula fere verba, quæ ad historiam, antiquitates, aut mythologiam faciunt, ubertim explicat, & hic illic liberius, sed erudite, excurrit. Ita cum *Livius* memoret, ab ignobili Græco Bacchanalia Romanis tradita esse, non modo inquirit, ex quibus Græcis ille fuerit, sed etiam a pag. 16 ad pag. 25 de *Corybantibus*, *Cabyris* & *Curetibus* disserit, quoniam priores sacra Bacchi Etruscis tradidisse, scripserat *Clemens Alexandrinus*. Sequitur a pag. 25 ad 44 longa tractatio, qua omnia, quæ de Baccho ab diversis scriptoribus traduntur, exposita sunt. Redit deinde ad verba *Livii*, & ea, quæ de voluptatibus ac epulis, de ululatu atque tym-

tympanorum cymbalorumque strepitu memorantur, illustrat; qua occasione de habitu Bacchantium & ipsius Bacchi, de diversis Dionysiis & similibus Festis, ita ut ne Eleusinia quidem, Cerealia, Megalesia, Isiaca, Taurobolia Criboliaque omittantur, agit usque ad pag. 89. Ad reliqua *Livii* pergens ostendit pag. 91 sqq. Bacchanalia primum a solis feminis celebrata esse, & pag. 105 de sacrificiis nocturnis & cœtibus illicitis disputat. Pag. 113 Triumviros capitales, & Triumviros nocturnos eundem magistratum apud Romanos fuisse, demonstrare nititur. Pag. 116 formulam precationis, quam præfabantur magistratus, priusquam populum alloquerentur, ex conjectura proposuit. Pag. 130, 131 verba *Livii*: *quia multis actiones & res peribant*, probe illustrat. Pag. 133 ista *Livii*: *cum in senatu centum non minus essent*, ex ænea nostra tabula emendat, legitque: dum *in senatu* &c. Tandem pag. 136 expositionem *Doujatii* de Fecenia Hispala refutavit. Jam ad ipsum SCtum; quod non modo æri incisum, sed & aliis, quibus nempe hodie utimur, literis, servato tamen antiquo scribendi more, expressum, & deinde tamen in consuetas terminationes & enunciationem conversum pag. 138 & 139 exhibet. Pabulum hoc antiquariis suavissimum, & inprimis literatoribus. Quis enim sine intima voluptate legat: PLOVS. TRIBVS. ARFVISSE. VELENT. NISEI. DE. PR. VRBANI. SENATVOSQVE. SENTENTIAD. item: HAICE. VTEI. IN. CONVENTIONID. EXDEICATIS, aut ista: VBEI. FACILVMED. GNOSCIER. POTISIT. Magna hinc Cl. Editori enarrandi copia, qui non modo veterem scribendi rationem egregie illustrat, quod in simili monumento antiquitatis, licet non adeo vetusto, necessarium aliquando putavit Eminentissimus *Norisius*; sed etiam alia notatu digna evolvit ac observationibus eruditis exornat. Sic statim ad principium SCti ostendit, qui factum, ut hic legatur: Q. MARCIVS L. F. S. POSTVMIVS L. F. cum in Fastis contrario ordine exhibeantur *Sp. Postumius Q. Marcius Coss.* Pag. 149 sculptoris vitium agnoscit, qui in tabula dedit: *scribendo affuerunt* M. CLAVDI. L. VALERI. Q. MINVCI, cum esse deberet *M. Claudius, L. Valerius, Q. Minucius*: neque enim hoc spatii causa factum esse

 putat,

putat, ut in nummis evenire solet, in quibus pari modo *Flamini*, pro *Flaminius* exhibetur. Ita & pro errore habet pag. 152, quod sculptum sit NECESVS. ESE, pro *necesum*, h. e. *necessum*. Deinde pag. 153 rationem reddit antiquæ scripturæ: *Nominus Latini*, & *de senatuos sententia*, pro *Nominis* & *Senatus*. Pag. 154 *comoinem*, pro *communem*, scriptum explicat, docetque Augusti etiam ævo scripturam *oe* (quod ex *oi* factum) pro *u* obtinuisse, allata Inscriptione, nuperrime inter rudera veteris Telesiæ in Samnio A. 1727 reperta, quæ ita habet:

L. MVMMIVS L. F. C. MANEIVS OF. . . .
PR. DVOVIR. PRO. LVDEIS. TVRRIS. DVAS
D. D. S. FACIVNDAS. COERARVNT

Pag. 167 brevis, sed ingeniosa, de Lege Regia observatio occurrit. Ultima verba SCti IN. AGRO. TEVRANO copiosiorem disquisitionem exigebant, qua ostendit *Strabonis* regionem *Taurianam* esse hunc ipsum *agrum Teuranum*. Finem imponunt Libro Observationes quædam in alteram Tabulam æneam, quæ Bacchanalia illustrat. Subjiciuntur Indices necessarii: at nos necessarium non arbitramur, Opus amœnissimum pluribus commendare, qui etiam in rebus vulgaribus singularem industriam & acre judicium, in omnibus autem laudabilem Cl. *Ægyptii* modestiam deprehendimus.

ORDO JUDICIORUM SIVE METHODUS Procedendi in Negotiis & Litibus in Foro Ecclesiastico-Civili Britannico & Hibernico, per THOMAM OUGHTON.

Londini, impensis J. Hooke, 1728, 4 maj.

Alph. 2 pl. 20.

VIr diligentissimus, *Thomas Oughton, Almæ Curiæ Cantuariensis de Arcubus, London, Procuratorum generalium unus, & a multis retro annis supremæ Curiæ delegatorum Registrarii Regii Deputatus*, cum ab ineunte ætate causis in foro Ecclesiastico-Civili agendis operam navasset, laudabile simul iniit consilium, *Processum* illum *Judiciarium Ecclesiastico-Civili-Angli-*

Anglicanum cum ex usu fori ipsisque rerum argumentis, tum etiam ex Archivis & Registris, publicisque & privatis scriniis colligendi, quod opus multis Viris Principibus in Britannia probatum, & tandem, additis etiam Instrumentorum formulis accuratissimis, ad umbilicum perductum una nox infausta, qua Typographi aedes conflagrarunt, maximam partem perdidit atque delevit. Infortunium, quod non poterat non plerosque ab omni scriptione absterrere, laudabilis pertinaciae Virum magis incendit, ut, ad Statuta, Leges, Consuetudines reversus, modum procedendi iterum indagaret, normam & regulas pro stylo curiarum usitatas attentius evolveret, *Francisci Clarkii, Almae Curiae Cantuariensis de Arcubus, London, Procuratorum Generalium unius*, circa A. 1596 compositum Tractatum, quo licet pessime edito illius Juris studiosi hactenus unice utebantur, multa cum cura recognosceret, quo factum, ut tandem in hoc, quem nunc, magis favente Lucina, egregio publico obtulit, *Ordine Judiciorum sive Methodo procedendi* prioris operis jacturam resarcierit.

Ut autem exteris hominibus eo clarius de omni hac jurisdictione constet, commodum consultissimus Autor in Operis sui Prolegomenis de Hospitio dominorum Advocatorum Cap. I, de alma Curia Cantuariensi de Arcubus Cap. II, ut & de Curia, quae quondam fuit, Cantuariensis Audientiae Cap. III egit, unde discimus, exstare in urbe Londinensi ab antiquissimis temporibus Societatem Dominorum Advocatorum, sive Communitatem Juris utriusque Civilis & Canonici Doctorum almae Curiae Cantuariensis de Arcubus, qui quod non modo eodem hospitio, sed etiam eodem convictu uterentur, vulgo *Doctores Commensales*, Anglice *Doctors Commons* appellati sunt, & adhuc appellantur, cujus communitatis ea olim fuit dignitas, ut multi Viri Principes Ecclesiastici Civilisque ordinis istius mensae communionem ambirent, tanto studio, ut peculiaribus constitutionibus isti cupiditati esset obviam eundum. Suis illud Advocatorum Collegium, tam vetustum, tam venerabile, gaudere Officialibus, privilegiis, beneficiis, immunitatibus & per se patet, & noster Autor multis firmat exemplis.

Curia illa *Cantuarienſis de Arcubus* eſt ipſum Archiepiſcopi Cantuarienſis Conſiſtorium, nomen ſortitum a loco, in quo olim illa Curia fuit celebrata, eccleſia nempe B. Mariæ Virgini in civitate Londinenſi dicata, quæ, quod Aedis illius fabrica arcuatis columnis inniteretur, *ſancta Maria de Arcubus* fuit appellata. Ad hanc Cantuarienſem Curiam omnis illius provinciæ ſubditi confluunt, & cauſas ſuas Eccleſiaſtico-Civiles, ut in foro antiquitus Eccleſiaſtico, ex utriusque Juris, Civilis & Canonici, placitis decidi audiunt. Splendido Judicio præſidet *Alma Curiæ Cantuarienſis de Arcubus, London, Officialis Principalis*, qui idem venerabili titulo *Decani de Arcubus* ornatur. Separata quondam fuerunt hæc duo officia, ille Archiepiſcopi Vicarius, hic tredecim Paroeciarum in urbe Londinenſi Superior, quæ Londinenſi Epiſcopo nullatenus ſubjacent, ſed ipſiſſimo Metropolitano, qua Ordinario, immediate ſubjectæ remanent, & quas inter eſt illa præcipua, Mariæ de Arcubus, Decanatus ideo dignitate inſignita. Cum autem ille Officialis generalis Vir omnis juris peritiſſimus reipublicæ cauſa ſæpiſſime abeſſet, idem vero Decanum ſuum tunc Commiſſarium generalem conſtitueret, non modo uſu venit, ut Judicii Præſes promiſcue Decanus & Officialis appellaretur, ſed res etiam tandem eo rediit, ut iſta duo officia coadunata ſint.

Huic Officiali Principali vel Decano aſſident ab utroque latere Juris Canonici & Imperialis Doctores, Academiæ Oxonienſis, in togis laxe manicatis coccineis, cum capuciis coccineis ſerico intermedii coloris ſubſutis, & pileis ex holoſerico nigro rotundis, Academiæ Cantabrigienſis, in togis coccineis non manicatis, ſed pellibus Armenianis ſuffultis absque capuciis, cum epomidibus tamen ex pellibus albis & pileis holoſericis rotundis; ſed & Procuratores aſſident, togis nigris cum manicis, ut & cum taberdo & capucio ex pellibus albis induti. Adeſt & Advocatus Regius & Regis Procurator, qui & ſuperiorem inter confratres locum obtinent. Ab his Viris graviſſimis dubia cauſarum eo delatarum dirimuntur, qua via, quo ordine, toto Opere experientiſſimus tradit *Oughtonus*.

Scilicet ordine Tit. I de Curiis, Tit. II de diebus Juridicis, Tit. III

Tit. III de Judicibus, Tit. IV–VII de Causis, Tit. VIII–XIV de Partibus in Judicio, Tit. XV–XXIV de Citatione, Tit. XXV-XXIX de Certificatorio Citationis, Tit. XXX–XXXVI de Contemptu, Tit. XXXVII de Contumacia, Tit. XXXVIII–XLIV de Excommunicatione, Tit. XLV–XLVII de Absolutione, Tit. XLVIII–LII de Procuratoris constitutione, Tit. LIII–LIX de Libelli oblatione, Tit. LX—LXI de Litis Contestatione, Tit. LXII–LXXIV de Responsione partis principalis, Tit. LXXV de Termino probatorio, Tit. LXXVI–LXXXIII de Testium productione, Tit. LXXXIV–XCVI de Testium examinatione, Tit. XCVII de Publicatione depositionum, Tit. XCVIII–CIII de Exceptionibus contra testes, Tit. CIV-CIX de Instrumentis exhibendis, Tit. CX, CXI de Juramentis, Tit. CXII de Expensis retardati Processus, Tit. CXIII–CXVII de Terminis ad proponendum omnia, & ad audiendum sententiam ex prima, Tit. CXVIII—CXXI de Causæ conclusione, Tit. CXXII de Informationibus dandis Judicibus, Tit. CXXIII de Decreto interlocutorio sententiæ definitivæ vim habente, Tit. CXXIV–CXXIX de Sententia in scriptis definitiva, Tit. CXXX–CXXXIII de Executione rei judicatæ, Tit. CXXXIV–CXXXVI de Expensis litis, Tit. CXXXVII–CLVI de Causis Criminalibus, Tit. CLVII–CXCII de Causis Beneficialibus, Tit. CXCIII–CCXVII de Causis Matrimonialibus, Tit. CCXVIII–CCLVIII de Causis Testamentariis, Tit. CCLIX–CCLXVIII de Causis Diffidationum, Tit. CCLXIX — CCLXXI de Provocationibus, Tit. CCLXXII de Recusatione Judicis suspecti, Tit. CCLXXIII de duplici Querela, (quæ est rescriptum superioris ad inferiorem, vel ob denegatam ab hoc, vel ob procrastinatam justitiam) Tit. CCLXXIV–CCCXXXVI de Appellationibus, Tit. CCCXXXVII de Episcopis confirmandis agitur, quæ ita per summas rubricas tetigisse, e re esse visum fuit eorum, qui aliquam illius judicii speciem atque modi procedendi imaginem desiderant; plura nimia prolixitas vetat, & quod lectorum nostrorum plerisque cum illo foro nihil unquam commercii futurum credamus.

Neque tamen quenquam, in cujus manus incidet noster liber,

ber, si nostræ artis est studiosus, pœnitebit, eundem paullo attentius evolvisse. Discet ille, opinamur, cum voluptate, ita enim nobis evenit, varia jucunda & singularia; ut uno alterove utamur exemplo, p. 21 causas, quas nos vocamus, *ordinarias* in illo foro dici *plenarias*; p. 27 quid sit homo *Utlagatus* (nam hæc pragmaticæ Jurisprudentiæ species infaustis illis temporibus orta, & hic loci plurima pristinæ barbariei vestigia servat) id est, excommunicatus, qui omni in Judicio standi persona caret; p. 42 quid sit *Citatio originalis & primaria*, id est, citatio prima, quam nonnulli nostrum in jus vocationem appellant; p. 47 quid sit *Citatio Viis & modis*, id est, citatio latitantis *personaliter (si ita possit apprehendi) alioquin viis & modis omnibus, quibus melius notitia hujusmodi Citationis ad eum de verisimili pervenire valeat*, ut habent verba Procuratoris ejusmodi citationem flagitantis; p. 57 juncta p. 66 inter Contemtum & Contumaciam hoc interesse, quod in priori casu citatus citationem lacerarit, vel alias verbis aut verberibus mandatarium tractarit, aut in Curiæ vilipendium verba injuriosa protulerit; p. 83 Procuratorem non posse alium substituere, etiamsi in Procuratorio id potestatis datum sit, ante Litis Contestationem; scilicet celebre illud litis dominium, in nostro foro exulare jussum, apud hos legum doctores Curiæ de Arcubus tutissimum invenisse refugium atque receptaculum; p. 97 Positionum & Juramenti cum dandorum tum respondendorum in isto foro esse usum; p. 121 quid sit *Allocatio Viaticorum Testium*, nempe, Decretum quid testibus sumtuum nomine solvendum sit; p. 123 Testes non admitti nisi juratos prorsus in forma, qua nos in judiciis uti solemus; p. 130 immo & interrogatoriorum esse ibidem usum; p. 151 ubi testibus opus est extra provinciam Cantuariensem, *peti, decerni Commissionem pro testibus examinandis sub mutuæ vicissitudinis obtentu*, quod nos requisitionem in subsidium juris dicimus; p. 170 ubi Instrumentis opus est, in quodam Registro seu publico Archivo exstantibus, peti *scrutinium*, nempe ut committatur illis, ad quos pertinet Archivi illius custodia, ut inquirant, & edant; p. 227 in unaquaque Parochia provinciæ Cantuariensis, certos Guardianos seu Oecono-

mos

mos certosque Juratores seu Inquisitores constitui, quorum inter alia munia est, observare eos, qui criminum ad forum Ecclesiasticum pertinentium rei vel suspecti sunt, eosdemque Episcopo vel Archidiacono visitanti indicare, ita detectum, si non habeat, quo suspicionem amoliatur, ex ista Guardianorum & Inquisitorum præsentatione ad Purgationem Canonicam teneri, tunc non modo jurare ipsum, sed & *quarta, sexta vel octava manu hominum proborum Parochiæ suæ juxta qualitatem personæ & gravitatem criminis se purgare*, qui intrepide & constanter jurent, *in sua conscientia se credere, detectum innocentem esse, vel verum præstitisse juramentum*, quod & nimium purgationis Canonicæ amorem sapit, & Compurgatorum superesse usum ostendit; p. 344 juratæ etiam specificationis in hereditatis aditione ad Anglos pervenisse usum; p. 432 Instrumentorum a Notariis in Anglia confectorum eundem prorsus esse habitum, qui nostrorum, si ab invocatione nominis divini & ab Indictione Romana discesseris. Plura non addemus, cum hæ epulæ ad paucissimorum sint palatum.

A VIEW OF ANTIENT LAWS AGAINST Immorality and Profaneness.

h. e.

CONSPECTUS LEGUM ANTIQUARUM de moribus reformandis; Autore JOHANNE DISNEY, M. A. Vicario ad S. Mariam Nottinghamii.

Cantabrigiæ, typis Corn. Crownfield, Typogr. Univ. 1729, fol. Alph. 2 pl. 5.

EDiderat jam Autor Clar. A. 1713 Programma Latinum, quo spem fecerat omnibus, se conscripturum eodem idiomate Corpus Legum de moribus reformandis, earum scilicet, quibus adulteria, scortationes, stupra, *τὰ πάθη ἀτιμίας*, ebrietas, blasphemiæ, execrationes, perjuria, cultus divini & diei Dominicæ contemptus, alearum lusus, duella, histrionum turpia & profana, mendicantium aliorumque inertia & improbitas coercen-

centur. Etsi vero mentem in eo mutaverit exinde Autor, quod cum omnium gentium ad nostra usque tempora producere leges ante constituisset, nunc potissimas tantum a Judæis, Romanis, Græcis, Gothis, Longobardis, Germanis, Francis, Anglo-Saxonibus, Wallensibus aliisque ad medium usque seculi XI latas contra illa vitia in medium proferat multaque eruditione illustret; opportune certe, & quidem Anglica lingua, edidit Opus hoc tempore, quo omnis turpitudo suos reperit patronos, qui cum Autore scelesto *Fabulæ de Apibus* e re esse tradunt Reipubl. ut vitia maneant impunita. Docet vero Noster luculentissime, nullum apud ipsos gentiles regnum vel Remp. floruisse, cujus summi Magistratus de coercendis flagitiosis non fuerint maximopere soliciti. Prolixa sunt inprimis & majorem libri partem occupant, quæ contra lasciviæ quodvis genus, incestum etiam, sodomiam & raptum afferunt: in ceteris paullo parcior est Autor; cuncta tamen fide dignis Autorum, quorum sub initium accuratum Indicem, addito temporis, quo vixere, indicio, dedit, testimoniis confirmat. Cumque multa passim occurrant in legibus vetustis, quæ idoneum interpretem postulant, ne eadem sæpius repetere cogeretur, addidit sub finem Glossarium non ineruditum, quo difficiliora vocabula, quorum mentionem subinde fecerat, eleganter & breviter explicat, additis Autoribus, quos porro consulendos censet. Ne specimen nobis desit, pauca afferemus e Tit. VIII Cap. I de desidiosis, qui nulli arti aut studio se mancipant, sed inani otio diffluunt.

Judæis integrum erat divortium facere ab uxore, quæ nihil domi laborando pessimo esset exemplo domesticis ceteris, teste *Seldeno Ux. Hebr. L. 3 c. 10.* Apud Ægyptios, ex lege Regis Amasis, omnes semel quotannis coram Magistratu comparere jubebantur, rationem reddituri rerum suarum, & si justo vitæ generi dediti haud fuerint, mortis supplicio afficiebantur, v. *Herodot. L. II Euterpe p. 100.* Quod & lege Draconis observatum apud Athenienses, v. *Plutarch. in Solone p. 87*, quam tamen pœnam Solon, vel, ut alii, Pisistratus, qui Areopagis inquirendi in otiosos studium commendabat, accusandi quidem liber-

libertate omnibus facta, in arbitrariam mutavit, ita tamen, ut infamis esset, qui ter inertiæ accusatus fuisset. v. *Diog. Laert. in Sol. C. 1 §. 55*, & *Jul. Pollux L. VIII C. 6.* Simile examen apud Sardinianos, teste *Æliano Var. Hist. L. IV C. 1*, & Argos, ut est apud *Alex. ab Alex. L. III C. 13*, instituebatur. Lucani, gens Itala, pigritiam æque ac alia crimina pœnis coercebant, & qui pecunias homini desidioso erogaverat, eas in foro reposcere prohibebatur. v. *Nic. Damasc. de Mor. Gent.* De Gymnosophistis tradit *Alex. ab Alex. L. V C. 21*, quod paratis & instructis mensis, antequam dapes apponerentur, adolescentes singuli, qui ad epulum convenerant, quid generi humano lucri fecerint, quodve sapienter dictum factumve fuerit illa luce, coram senioribus exprimere coacti fuerint, & qui deses aut remissus nihil frugi in medium attulerit, impransus manserit & foras extrusus fuerit. Nec Romanis leges defuisse contra desidiam, ex *L. 1 C. de Veteranis* & *Nov. 80 c. 10* probat Autor, & simul leges has docte explicat. Inter Constitutiones Imperatorum Germ. exstat illa Ottonis III de A. 997 apud *Goldast. T. I p. 226*, qua sancitur, ne otiosis in civitate locum habere permittatur. Apud Anglo-Saxones Athelstanus legem dederat, ut, si quis otiosam sine domino vitam ageret, curarent propinqui ejus, ut certo famulitio se addiceret, &, si is refragaretur, nullum illi hospitium sub gravi pœna concedendum. v. *Wilkins Leg. Anglo-Sax. p. 56.* Quanta denique cura Scotiæ Reges otiosos ad laborem reduxerint, flagra quippe, carceres & exilium in eos statuentes, *Hector Boetius* non uno loco testatur, qui etiam observat *L. 12 p. 251*, Machethum Regem circa A. 1050 edixisse, ut histriones, ludiones, mimi & reliqui nebulones otiosi, si artem honestam discere detrectaverint, jumentorum more ad aratrum aut plaustrum trahendum adigerentur.

JOHANNIS CHRISTIANI CLODII, P. P. Lingu. Arab. Epistolæ duæ, quarum altera ad S. R. D. MARPERGERUM, de linguæ Arabicæ Etymologico

usu in Exegesi sacra, altera ad S. R. D. LOESCHERUM, de Nominibus Jesu Christi & Mariæ Arabicis, data fuit.

Lipsiæ, literis Takkianis, 1729, 4.
Plag. 4.

CUm præcedente mense, in Autoris Grammaticæ Arabicæ Excerpto, quarundam ejus Commentationum, quibus linguæ illius, inter reliquas Orientales facile principis, usum demonstrare conatus est, mentionem fecerimus, has quoque similis argumenti duas Epistolas recensione nostra non indignas judicamus. Nam talia paucorum foliorum scripta celeriter oculis ac memoriæ se subducunt, ac brevi tempore evanescunt.

Prima illarum non omnem quidem linguæ Arabicæ utilitatem, in Codicis sacri Hebræi explicatione conspicuam ac plane insignem, exhaurit, & particularem solum, ad etymologias vocum & radicum Hebrææ linguæ deperditarum restitutionem maxime spectantem, attingit. Ad hanc enim, judice *Augusto Pfeiffero*, cui hac in arte merito creditur, tantum illa confert, quantum ulla alia vel ceteræ conjunctim omnes, *Critic. Sacr. C. X §. 5.* Attamen simul ab egregii hujus adminiculi hermeneutici abusu dehortatur, & nonnulla ejus exempla adducit.

In secunda nominibus *Isa* & *Masihh*, a Mohammedanis Servatori nostro datis, lucem affundit, & quisnam *Sura IX v. 31* Alcorani *Ozair* dictus sit, disquirens, simul Gallicam versionem emendat. Porro varios Alcorani textus de Jesu agentes, ut *Sur. III v. 40*, & *IV v. 169*, fuse interpretatur, ac dein nomina, quibus Christiani Arabes illum insignire solent, annectit. Post ad Mariæ nomina, ex variis Corani textibus, nempe *Sur. III v. 42, 47, XIX, 27, LXVI, 13*, illustranda progreditur, ac ea, quæ Christianis Orientalibus usitata sunt, adjungit, doctrinam quoque de perpetua Mariæ virginitate Ecclesiæ Orientali communem esse demonstrat. In fine Tritheismum, Christianis *Sura V v. 116* impactum, tanquam uni Deo duos alios, scilicet Christum & Mariam, associantibus, diluit, ac *Marjamios*, hæreti-

reti-

reticos, ſimul allegans, in *Elmacini hiſtoria Saracenica* locum de iis agentem corrigit.

SPECIMEN EX HISTORIA LITERARIA Orientali, de nonnullis Hiſtoricis ac Geographis Arabicis, Perſicis, Turcicis, Autore JOH. CHRIST. CLODIO.

Lipſiæ, literis Takkianis, 1723, 4.

Plag. 3½.

INter plura ſpecimina a nobis recenſita, quibus Autor linguæ Arabicæ uſum oſtendere ſtuduit, hoc etiam, quod ceu Prodromum Hiſtoriæ Literariæ Orientali univerſæ illuſtrandæ præmiſit, haud infimum locum mereri, nec ſilentio prætereundum eſſe videtur, etiamſi jam A. 1723, quo ipſi Profeſſoris Linguæ Arabicæ munus collatum fuit, editum ſit. Ac primo quidem nonnulla præjudicia, quæ Hiſtoriæ Orientalis ſtudium impediunt, removet, ſimulque diverſas voces orientales, quibus Hiſtoriam appellare ſolent, commentatione ſua illuminat. Dein ad ipſos Hiſtoriæ Orientalis ſcriptores præſtantiores recenſendos, nempe *Tabaritam*, *Ben Schanah*, *Abulpharagium*, *Abulfedam*, *Arabſchahidem*, *Mirchondum*, *Chondemirum*, *Cazwinum*, *Mosladinum Larenſem*, *Ferduſium*, *Abdallam Beidawæum*, *Saadoddinum*, &c. progreditur. His denique Geographos celebriores adjungit, ac vulgares errores Geographicos perſtringens, quorundam exempla in medium profert. Poſtea *Abulfedæ* Opus Geographicum, & excerptam ex eo Gravii deſcriptionem *Mawaralnahræ* & *Chorasmiæ*, Illuſtrem Edriſidem, ſeu *Scharifo' Edriſi*, Romæ abſque verſione & Pariſiis cum verſione minus accurata, ſub titulo incongruo *Geographiæ Nubienſis*, editum, *Alferganum*, *Maſſudium*, *Ebn Alvardi*, *Jacutum Hamawæum*, *Safioddinum*, *Marrakeſchium*, *Naſireddinum & Ulugh Begum*, Principem Tartaricum, inter Geographos Orientales, allegatis eorum ſcriptis, laudat, ac linguas Orientales non Theologiæ ſolum, ſed & Jurisprudentiæ ac Politices

ces studiosis, quod jam olim in Schediasmate *de JCto Philologo*, Vitebergæ publicato, fecerat, denuo commendat.

GERHARDI VAN DEN BUSCH, SS. THEOL. D. de Incessu Dei in sanctuario ex Psal. LXVIII, 23-28, ejusdemque Psalmi argumento & œconomia. Editio nova cum Præf. FRID. AD. LAMPE, SS. Theol. D.

Trajecti ad Rhenum, apud Guil. Kroon, 1726, 8.
Plag. 22.

MAx. Reverendus Autor, quem Bremæ A. 1678 natum, A. 1707 Franequeræ Doctoris Theologiæ dignitate ornatum, A. 1711 Ecclesiasten factum Ecclesiæ Bremensis, A. 1724 d. 30 Junii e vivis sublatum esse, discimus e Præfatione Celeb. *Lampii*, qui & ceteros, separatim illum Psalmum interpretatos, recenset, in Disputatione sua Inaugurali explicarat copiose docteque Psalmum LXVIII. Libellus hic, magno tum exceptus applausu, hic iterum sistitur orbi literato: cujus in Procemio Autor interpretum de sensu hujus Psalmi dissensiones commemorat, afferens etiam judicium *de Muis*, hunc Psalmum appellantis *crucem ingeniorum & interpretum opprobrium*. Duas autem liber hic habet Sectiones, quarum in priore argumentum & œconomia totius Psalmi investigatur, in posteriore versus vicesimus tertius una cum sequentibus quinque, in quibus Autor putat exhiberi *incessum Dei pro liberanda Ecclesia a tyrannide Antichristi, ejusque molitionis successum*, diligentissime enucleatur. Igitur Sectionis primæ initio diversas Theologorum de hujus Psalmi argumento sententias recenset Autor, iis assentiens, qui existimant, Davidem hic cecinisse varia fata regni Dei sub N. T. quæ illud inde ab ipsius initiis usque ad ejusdem consummationem maneant; idque demonstrans ex tota Psalmi structura & omnium ejus membrorum harmonia. Inprimis urget, quod ea, quæ hoc in Psalmo narrantur, describantur tanquam futura, nec ulli tempori ante Christum natum perfecte congruant. Addit, Paulum *Ephes. IV, 7 sq.* aper-

aperte docuisse, agi hic de adscensione Christi in cœlum. Jam
speciatim docet, *v. 2, 3, 4* introduci Apostolos populum sacrum
excitantes ad laudem Numinis. Per *inimicos* hic memoratos
intelligit Judæos ac gentiles, aperta vi regnum Christi oppugnantes; per *osores Christi* hæreticos & hypocritas; per *improbos* satellites Antichristi, pudefactos præcipue tempore Reformationis; per *columbam*, cujus *alæ* hoc loco memorantur,
Ecclesiam. Atque hunc in modum cetera hujus Psalmi verba
persequitur Autor perspicua paraphrasi. Explicat etiam dili- p. 58 sqq.
genter, quid sit *v. 14* חרוץ, *aurum* significari docens, *quod purum effoditur*, eamque in rem adducens maximorum Philolo-
gorum testimonia. Versum 18 ita interpretatur ad verbum: 73 sq.
Currus Dei duæ myriades mille iterationis: Dominus in iis, Sinai in sancto. Putat vero, hic synecdochice totum exercitum appellari *currum*, cum currus olim essent maximum exercitus robur. Verbis itaque istis huncce tribuit sensum: *Exercitus Dei sunt duo agmina, binæ acies, iterata millia, plurimæ chiliades in utroque agmine: Dominus inter illos est, semper scilicet præsens Ecclesiæ suæ, adeoque & Sinai in Sancto est, hoc est, ipsa horrida deserta non minori, quam probe cultæ terræ, privilegio gaudent, simul ac Dominus residere ibi
voluerit.* Verba hæc *v. 9: Adscendisti in altum, captivam* 80 sqq.
duxisti captivitatem, cetera, eo sensu capit, ut agatur de adscensione Christi, quem ita alloquatur Ecclesia: *Tu tua virtute in cælum adscendisti, te summum mundi moderatorem probasti, & in cælo thronum collocavisti; tu victor adscendisti, captivitatem sustulisti, hostes in triumpho duxisti; atque adeo tui sunt homines, quos ex captivitate liberasti. Tu dona accepisti in hominibus, cum a te sit, quicquid Ecclesia habet, & largiter tua dona tuis distribueris. Tu etiam refractarios accepisti ad habitandum Jah, tantaque tua est potentia, ut corda hominum, qui sese tibi opposuerunt, in manu habeas, &, quo volueris, flectere, illosque ad ovile tuum reducere possis.*
Versum 21: *Deus ille noster est, Deus ad salvationes, & Je-*
hovæ Domino exitus mortis, ita interpretatur: *Deus ille omni-* 87 sq.
potens nobiscum est, qui potest & solet & vult salvare, qui o-

mnia in manu sua habet, & occidit vivificatque, quos vult.
Versum 23 & sequentes usque ad finem capit de reformatione Ecclesiæ seculo XVI facta, sibique hic videtur audire Lu-
p. 97. therum & ejus in opere reformationis socios. Ceterum cum in superioribus, uti *p. 112 sq.* fatetur, *Cocceji* in hunc Psalmum Commentarius *ubique ipsi lucem attulerit*, nunc novam proponit ac tuetur sententiam, & a *Coccejo* dissentit, qui, hoc loco agi de quadam liberatione Ecclesiæ, agnoscens, noluit tamen, quæ hic dicuntur, certo applicare tempori. Tota igitur in
114 sq. Sectione secunda contendit, describi hic prophetice reformationem Ecclesiæ Lutheranam & liberationem ab Antichristi tyrannide. Jactis hujus suæ sententiæ fundamentis, per *Basan* intelligit imperium potens ecclesiasticum, sede gaudens fertilissima, & hinc luxuria corruptissimum, versumque in tyrannidem. Ex hoc *Basanis* imperio dicitur Ecclesia reduci & in libertatem vindicari: quæ cum hoc loco scribitur reduci *ex profundis maris*, Noster per hæc *profunda* capit horrendum Antichristi imperium. Cum porro *v. 25* Ecclesia dicitur *vidisse incessus Dei*, docet, *incessus Dei* in genere dici posse sapientissimam ejus providentiam, qua, quæ molitur, ordine & modo a se ipso constituto exequitur & ad finem se dignum dirigit; at, cum hoc loco vocentur *incessus Dei in sanctuario*, significari providentiam Numinis circa Ecclesiam sub jugo Papæ gementem. Quod autem ad personas attinet pompam hancce constituentes, per *cantores* intelligit primos veritatis testes & præcones, facto agmine a Synagoga Antichristi discedentes; per *citharœdos* ministros Ecclesiæ tempore Reformationis exortos; per *virgines chorum constituentes* ipsos cœtus tum credentium & sua ab Antichristi tyrannico imperio libe-
170. ratione prolixe lætantium. Delatus ad *v. 28*, non dubitat, esse versum hunc ænigmaticum. Assentitur igitur magnis aliquot interpretibus, Apostolos hic describi, e quibus Paulum constat fuisse de tribu Benjamin, alios de tribu Juda, alios de tribubus Zabulon & Naphthali. Quo pacto Paulus hic loci appelletur *Benjamin parvulus imperans illis*, ceteri Apostoli *principes Judæ, principes Zebulun, principes Naphthali*, laxatis ingenio habe-

habenis uberius persequitur. Ceterum cum in hoc Psalmo non agatur de primis & antiquissimis Christianorum cœtibus, sed de Ecclesia seculo XVI reformata, docet, ideo hic induci Apostolos, quod Reformatores sint eos secuti duces, eorumque doctrinam e tenebris revocarint in lucem, atque adeo Ecclesiam instaurarint Apostolicam. Jam breviter hæc accommodat ad tempus Reformationis, quo Lutherus, quem vocat *electum Dei organum*, aliique viri eximii e Babylone exierunt: atque ita Opus suum concludit. p. 312.

CHRISTOPH. AUG. HEUMANNI, SS. Theol. D. Poecile. Tomi III Liber III.

Halæ, in officina Rengeriana, 1730, 8.

Plag. 11.

Libri hujus *Dissertatio secunda* (nam primum locum tenet Epistola dedicatoria,) meditationes aliquot exhibet ad Cl. *Stephani Viti*, Professoris Cassellani, *Vindicias Apologiæ* suæ *pro Synodo Dordracena*. Observatur initio, eum justo acrius & plane insolenter subinde invectum esse in Lutheranæ Theologos Ecclesiæ. Deinde judicatur, Dei verbo, sæpissime & clarissime dicentis, & jurejurando confirmantis, se velle omnium hominum salutem, seque invito tam multos perire, a *Vito* inscite opponi ratiunculas philosophicas. Ut cetera omittamus, postremo loco *Vindiciæ Viti* emendari jubentur e *Dallæi Vindiciis pro duabus Synodis*, quippe in quibus gratia Dei universalis acriter propugnetur e *Joan. III, 16* & e *1 Tim. II, 2*, aliisque Scripturæ sacræ locis. *Differt. III* refellit Autor sententiam duorum celeberrimorum Theologorum, *Læscheri & Gerdesii*, qui singularibus libris eliminandas censuerunt e sacro codice hyperbolas. Ac primo quidem eorum fundamentum subruit. Cum enim supponant, hyperbolen esse mendacium, distinguit verum mendacium ab apparenti, ostenditque, in hyperbolis verba non valere tantum, quantum sua natura valere possint, sed quantum valoris iis tribuat usus publicus, adeoque non tam verborum, quam sensus communi consensu recepti, habendam

hic

hic esse rationem. Deinde præcipua quædam loca Scripturæ sacræ hyperbolica contemplatur, quamque violento modo ea interpretentur, qui hyperbolis locum nullum relinquunt, monstrat. Denique observat, periculosam esse novam illam sententiam, ac religionis Christianæ contemtoribus novum subministrare argumentum. *Diss. IV* libri *Lactantiani de mortibus persecutorum* multa loca emendat. *Diss. V* locum quendam *Epicedii*, quod *Baudius Arminio* scripsit, a *Clerico* & *Mosbemio*, viris acutissimis, nequicquam tentatum emendat, ac præterea locum quendam *Sereni Samonici*, atque alium *Ciceronis*. Hinc celebrem illum Concilii Illiberitani canonem, ita vulgo editum: *Placuit, picturas in Ecclesia esse non debere, ne, quod colitur & adoratur, in parietibus depingatur*, sic refingit: *ne, quod in parietibus depingitur, colatur & adoretur* Tum appendicem exhibet ad *Vitam Sam. Rachelii*, alio loco a se descriptam; itemque ad *Vitam Grotii*, non ita pridem Delphis Batavorum vel potius Lipsiæ nostræ editam. Scrutatur postea originem aquilæ bicipitis in sigillo Cæsareo, statuitque, eam figuram, a Carolo IV & filio ejus Wenceslao primum usurpatam, significasse duo regna ipsis subjecta, Germanicum & Bohemicum. Postremo loco animadvertit, *Grotianum* Opus *de jure belli ac pacis* vulgo ita inscribi: *libri tres, in quibus Jus naturæ & gentium, item juris publici præcipua explicantur;* huncque titulum ex editione ipsius *Grotii* A. 1632 facta emendari jubet hunc in modum: *libri tres, in quibus jus naturæ, gentium item juris publici præcipua explicantur. Diss. VI* interpretatur verba Christi *Matth. V, 5:* Μακάριοι οἱ πραεῖς, ὅτι αὐτοὶ κληρονομήσουσι τὴν γῆν, recitatisque ac repudiatis aliorum interpretationibus, censet, Christum non loqui de Christianis singulis, sed de universa Christiana Ecclesia, significareque, eam, si injuriarum ob veritatis divinæ professionem ab ethnicis illatarum patientissimam se præbuerit, tandem occupaturam esse totum orbem, ejectaque superstitione religionem Christianam ubique terrarum ac gentium propagatum iri: eaque occasione similem locum Pauli *Rom. IV, 13* debita luce perfundit. *Diss. VII* agit *de Papismo styli*, ejusque non solum

ſolum ex Pontificiis ſcriptoribus, *Sammarthano* maxime & *Facciolato*, exempla depromit, verum etiam e ſcriptoribus Lutheranis, quibus aliquando id ſtyli vitium excidit. *Diſſ. VIII* exhibet *Electa epiſtolica* e *Joannis Petri Loticbii* Opere epiſtolico MS. quod ſecum communicarat inclyti vir nominis, *Uffenbachius*. Ex his ſpeciminis gratia repetimus, autorem libelli famoſi *de ratione ſtatus Germaniæ*, nomen *Hippolyti a Lapide* præferentis, fuiſſe *Chemnitium*. Exhibetur hic etiam *Loticbii*, quem diximus, librorum cum editorum, tum edendorum, catalogus. *Diſſert. IX* ſiſtuntur Cl. *Chriſtii* ad hanc *Poecilen* annotationes, in quibus novæ *Heumannianæ* ſententiæ aliæ probantur & confirmantur, aliæ rejiciuntur. *Diſſ. X* prodeunt *Prolegomena hiſtorica*, ſive Introductio in ſtudium hiſtoricum. Hic non ſolum de vocabulo *hiſtoriæ* grammatice diſſeritur, ſed etiam vulgaris hiſtoriæ diviſio in naturalem, civilem, & eccleſiaſticam repudiatur. Tum juſtæ afferuntur diviſiones hiſtoriæ illuſtranturque, interjectis etiam judiciis de celebrioribus aliquot Hiſtoricis, v. c. de *Cellario*. Præcipua diligentia illuſtratur diviſio hiſtoriæ nova in memorialem, criticam, & pragmaticam. *Diſſ. XI* Inſcriptio arguta exhibetur in natalem Regis Britanniæ. *Diſſ. XII Chriſtologia Paulina 1 Tim. III, 16* diligentiſſime expenditur. Τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον, quod vulgo redditur *myſterium pietatis*, Autor reddi oportere ſtatuit *myſterium religionis*. Per *angelos*, quibus Chriſtus hoc loco dicitur apparuiſſe, capi vult *Apoſtolos*. Utramque ſententiam fulcit rationibus haud contemnendis. Cetera ſtudio brevitatis præterimus. *Diſſ. XIII, de angelo Spirenſi* inſcripta, narrationem aliquam *Melanchthonis* ſub examen vocat, qua is refert, in comitiis Spirenſibus A. 1529 habitis veniſſe ad ſe angelum quendam, hoc eſt, ſpiritum cœleſtem humano corpore indutum, &, ut *Grynæum* juberet fuga ſibi propere conſulere, ſibi præcepiſſe. Noſter contendit, non fuiſſe verum angelum, ſed Nicodemum quendam e cœtu Pontificiorum. Ac eodem modo interpretandas cenſet narrationes de angelis illis, quorum alter Aſpari, Theodoſii M. duci bellico, alter Maximiliano I Imp. ſe conſpicuum præbuiſſe perhibetur.

p. 407.

392 ſqq.

Hhh *Diſſ. XIV*

Diss. XIV musicam illam Hebræorum interjectionem, *Sela*, in Psalmis occurrentem sæpius, considerat, recitatisque Theologorum diversis opinionibus atque confutatis, negat, inveniri posse verum istius vocabuli sensum. Cum enim duæ tantummodo sint viæ ad eum perveniendi, testimonium historicum & analogia grammatica, utraque luce ac duce nos ait destitui, adeoque omnem spem inveniendæ veræ notionis τȣ̃ *Sela* non nostræ solum, sed posteræ etiam ætati præcidit. *Diss. XV*, eademque ultima, est de titulo *Serenissimi*. Hic observatur, Theodosium M. Imp. primum usurpasse hunc titulum, eumque e stylo poetico petitum nihil aliud significare, quam *clementiam*.

TITI LIVII PATAVINI HISTORIÆ Romanæ Libri, qui supersunt, duplici divisione in Capita distincti, Periochis insuper, variis Lectionibus, Chronologia & Rhetoricis exercitationibus illustrati.

Tomi V.

Patavii, ex Typogr. Seminarii, apud Jo. Manfré, 1727, 12. Alph. 6 pl. 8.

Vix ante annum 1694 Patavini de edendo Civis sui Opere immortali cogitarunt, quo nimirum prodiit primum Patavii quinque Voluminibus in 12, nec dubitamus, hanc editionem plane convenire cum nostra, de qua nihil quidem Typographus commemorat, nisi quod testatur, Duumviris ornatissimis, *Jacobo Jacobetto* & *M. Antonio Ferracio* gratiam deberi, qui sua diligentia fecerint, ut ad gravissimum Scriptorem aliquanto facilius accedere posses. Et est quidem hæc usui admodum accommodata, cum & exacte satis impressa & Chronologiæ ubique ratio fuerit habita, & subinde in margine memorentur variæ Lectiones, & Libris Capitibusque singulis argumenta luculenta præmittantur, & accesserint Tomo IV *L. Flori* Epitome, duplexque Chronologia in *Livium*, altera *Car. Sigonii*, altera Anonymi, & Index locupletissimus, quibus demum Tomo singula-

gulari, quem quintum dixeris, etsi numerum non præ se ferat, adjectæ sunt Exercitationes Rhetoricæ in Orationes *T. Livii*, cum Indicibus locorum communium, ex quibus Orationum argumenta desumta sunt; affectuum, qui juxta *Aristotelis* præcepta in illis pertractantur; morum, qui ex iis erui possunt; descriptionum item ac legum, quæ in *Livio* continentur. Quæ cum omnia usum juventuti haud exiguum præstare possint; dolemus tamen, præter chartam non optimam adhibitos fuisse typo nimis minutos, qui aliquando oculorum aciem fugiunt, nec Lectores valde alliciunt.

M. ACCII PLAUTI COMOEDIÆ SUPERstites viginti, cum Fragmentis deperditarum; ex optimis quibusque editionibus & præcipue FRID. TAUBMANNI, diligentissime repræsentatæ. Accessit Index, in quo rariora & obsoleta Poetæ verba breviter ac dilucide explicantur.

Patavii, excudebat Jos. Cominus, 1725, 8.
Alph. 2 pl. 8½.

QUi *Livium* modo dictum viderunt, nec chartæ satis puræ, nec typo concinno impressum, mirabuntur haud dubie, cum *Plautum* aliaque scripta continuo e typographia Cominiana prodeuntia viderint, in eadem urbe tam diversam iniri imprimendi libros rationem. *Plautus* enim in charta purissima comparet, & excusus quidem pariter est minuto charactere, sed pingui & tam eleganti, ut ad Elzevirianum, quem hactenus imitari nemo potuit, quam proxime accedat. Etsi, cui debeatur editio, nullibi indicetur, dubium tamen non est, eam doctissimis Fratribus *Vulpiis*, qui typographiæ hujus commoda jam dudum edendo optimos libros promovent, deberi. Qui præfantur, se rem non ingratam sperant fecisse civibus suis, quod summo labore, ut loquuntur, curaque incredibili novam hanc dederint Poetæ vetustissimi editionem, cum inde a *Juntarum* & *Aldi Manutii* ætate, qua scilicet calebant apud Italos literarum studia, quæ postea refrixere, vix ullam Italia produxerit. Observant

vant vero, veteres, si quæ occurrant, editiones plerumque vitiosas Lectiones præ se ferre, malaque interpungendi ratione omnino laborare; nuper autem a Belgis & alibi procuratas, ut reliquis emendatiores nitidioresque sint, non tamen ita ad amussim exactas esse, ut non integris aliquando versibus careant, quod pluribus exemplis, tum Gronovianæ Amstel. 1684 editæ, tum Londinensis omnium Poetarum Latinorum, quæ A. 1713 lucem aspexit, quam utramque editionem cum *Taubmanniana* diligenter contulere Editores, probatur. Præmisere vero libro pleraque veterum & recentiorum de *Plauto* testimonia, textum dedere minime vitiosum, sed curate admodum emendatum; notas quidem addere insuper habuerunt, ne quid properantem Lectorem moraretur, verba tamen vetustate obsoleta, de quorum obscuritate conqueri rudiores solent, in Indicem conjecta, diligenter explicarunt.

VINDICIÆ ARBORIS GENEALOGICÆ Augustæ gentis Carolino-Boicæ, contra Systema Autoris Geneographi, qui in arbore Genealogica ante paucos annos cupro incisa Sereniss. Bojorum Principum fundatorem ponit Luitpoldum &, abrupta penitus arbore, negat Carolum Magnum. Omnia per modum Epistolæ, qua Autor Boicus sustinet argumenta in favorem gentis Boicæ per Chronicas, Documenta, Autores & rationes adductas ex combinatione Actorum & temporum.

Monachii, typis Mariæ Magdalenæ Riedlin, 1730, fol.
Alph. 2 pl. 6 Tabb. æn. 7.

QUi nomen in Dedicatione ad Serenissimum Bavariæ Electorem *Carolum Albertum* subscripsit, *Ign. Franc. Xav. de Wilhelm*, eidem Principi (ut vel e P. I. fol. 75 discimus) a consiliis sanctioribus & administratione Comitatus Hagensis est, eo illustriori loco positus, quo graviorem scribendi materiam elegit. Nam cum nuperus quidam Arboris Genealogicæ æri insculptæ Autor,

Autor, quem Noster toto hoc Opere *Viri Amplissimi* elogio compellat, omisso gentis Boicæ stemmate Carolino, Luitpoldum autorem ejus, ut alii quoque Genealogi recentiores fecere, statuerit, idque etiam argumentis nonnullis literis ad Autorem nostrum datis confirmare ausus esset, e re patriæ duxit Illustriss. Autor, ut sententiam hanc serio oppugnaret. Etenim tres celebrantur sententiæ; prima eorum, qui asserunt, Principes a Carolo M. qualicunque nexu descendere, & hi Comites Langenfeldenses in subsidium vocant; altera eorum, qui in Ludovico Arnulphi Imp. filio stemma Carolinum penitus exstinctum persuasi, fundatorem stirpis Boicæ ponunt Luitpoldum; tertia Autoris est, cum aliis asserentis, Arnulphi Imp. filium fuisse Arnulphum Malum, Bavariæ Ducem, quo & primam sententiam nimiis difficultatibus expositam tolli & alteram penitus subrui sperat. Aggreditur vero primum Autores, ad quos provocat Adversarius, *Vitum Arenbeckbium* inprimis, Scriptorem quidem ipsius *Bern. Pezii*, qui edidit, testimonio, in rebus vetustis admodum fabulosum, qui in Chronico A. 1495 scripto, Comites Schirenses non ab Arnulpho Imp. sed a Leopoldo Duce oriundos probatum ivit, simulque Ottonem Frising. cujus autoritatem ille quodammodo secutus erat, sed in domum Bavaricam male animatum, explicat & refutat. Quo facto, Parte hac prima XVI Documenta, quibus sententiam suam confirmat, altera vero Parte XII Argumenta, quibus eandem latius tuetur, producit. Inter documenta proferuntur loca *Jo. Tritbemii*, Chronici Schirensis vernaculi scripti A. 1283 & in Bibl. Electorali Bavarica exstantis, (ubi etiam picta Tabula perantiqua e ruderibus domus Capituli in subsidium vocatur) *Andreæ* Presbyteri Ratisbonensis, qui scripsit A. 1421, *Hermanni Schedelii*, cujus Chronicon A. 1477 manu exaratum in Bibl. Electorali exstat, Chronici Tegernseensis vernaculi MS. in eadem prostantis, quod cœptum A. 1478, absolutum est A. 1481, *Viti Eberspergensis* in Chronica MS. & recentiorum, *Henrici Pantaleonis*, *Bernardi Wurffbain*, *Lud. Tollneri*, *Hier. Henninges*, *Arnulphi Panvinii* aliorumque, quibus omnibus adduntur testes duæ arbores Genealogicæ pictæ perantiquæ, quæ exstant in Abbatia Tegernseensi. Succedunt

Parte II argumenta & rationes satis speciosæ, quibus in rem suam utitur, nimirum quod mortuo Ludovico IV Imperatore Regnum Conrado delatum, jure sanguinis & familiæ, ceu proximus illius hæres, armis sibi vindicare, adscitis sociis Principibus, infelici licet successu conatus sit Arnulphus Bavarus, quem Malum Monachi vocarunt, nec omiserit jura sua in Regnum, mortuo Conrado, quo factum, ut Henricus Auceps, fœdere pacto, tot illi provincias tandem confirmaret & præterea jus cooptationis Episcoporum concederet; quodque nihilominus hæc æmulatio inter domum Regiam & Bavaricam armis ultra centum annos fuerit propagata; quod Arnulphi pater Luitpoldus minime fuerit, nec fuisse eum verosimile sit; quod sententiam Autoris Chronologiæ ratio adjuvet; & quæ sunt alia, quæ prolixe hoc loco exponere non patitur institutum nostrum. Illud omittere non possumus, accessisse postremo (ut & passim) non modo Diplomata quædam ex tabulario Bavarico protracta satis antiqua, sed & delineationem priscæ Bavariæ & Norici transdanubiani, cum explicatione veterum nominum, quibus regiones atque urbes vel Latine vel Germanice nuncupari consueverunt. Passim etiam notatu digna admiscet Noster, quæ ad controversiam quidem hanc primario non spectant, ut quando Parte II p. 24 in stemma Sinsheimianum & Schwarzenbergicum inquirit, & ibid. p. 63 sequ. discrimen explicat inter Comites in universum & Comites Palatinos, probatque, horum dignitatem perpetuam fuisse & hæreditariam, dignitatem vero Electoralem Duces Palatinos Rheni accepisse olim a Ducatu Bojoariæ, omnibusque Boicis Ducibus, etiam non possessoribus Comitivæ Palatinatus Rheni, ita communem fuisse & propriam, ut munus Electorale Palatinatui unice natura sui connexum non fuerit. Ceterum tantum abest, ut causam suam prodiderit Illustriss. Autor, ut potius fortissime defenderit, nihilque omiserit eorum, quæ vel ad stabiliendam vel ingeniose exornandam Sereniss. Ducum Bavariæ prosapiam Carolinam pertinent. Commendat præterea Opus & typus & charta elegans; optaremus tamen, si quid monere fas est,

non

non omnia eodem typi genere fuiſſe impreſſa, quo fit, ut verba Autorum aliorum difficulter ab ipſius Autoris verbis diſtinguantur; nec rem Lectoribus ingratam feciſſet Editor, ſi lemmata & Capitum Compendia apponere paſſim libuiſſet.

M. CAROLI GOTTLOB HOFMANNI, Schneebergenſis, de genuina linguæ Græcæ modulatione ſine accentibus, Commentatio.

Lipſiæ, apud Jacob. Schuſlerum, 1729, 8.
Plag. 3½.

INveterata eſt doctorum opinio, Græcum ſermonem ad accentus legendum eſſe atque pronuntiandum, quanquam non deſint, qui accentus olim prorſus ignotos, & recentiori tantum ætate inventos affirment. Quos inter cum & Cl. Autor hujus Commentationis nomen profiteatur ſuum, ipſeque a puero hac in ſententia fuerit, nunc peculiari Diſſertatione animi cogitata exponere, & eruditorum committere judiciis decrevit. Cauſam ſuam ita peroravit, ut 1) linguam Græcam ſine accentibus olim lectam pronuntiatamque eſſe probaret a p. 1 ad 27, & 2) modulationis genuinæ ſine accentibus præcepta traderet a pag. 28 ad 47. Argumenta in medium attulit decem, quorum primum deſumſit a Codicibus certe plurimis ſine accentibus exaratis, & in eruditorum ſcriniis paſſim aſſervatis. Poſtea urget marmora, lapides & nummos Græcorum, quos accentibus licet deſtitutos legi commode poſſe, nemo facile dubitabit: unde haud immerito concludit, eos, qui marmora lapideſque & nummorum inſcriptiones legunt ſine accentibus æque ac pronuntiant, idem & in aliis ſcriptorum monumentis facere poſſe. Porro addit fide digniſſimos ſcriptores, qui accentuum faſtigia recens inventa teſtantur. Deinde metra poetarum Græcorum aſſerta ſua ſatis clare evincere putat Autor, ſi & ipſi quidem accentuum fautores, ut deſperatæ ſuæ cauſæ conſulerent, accentus in re poetica negligendos præceperint. Hinc

&

& ad metra miscellanea pariter & ad analogiam linguæ Græcæ, quam habet cum Latina communem, provocat: quibus tandem argumentum additur a scriptione βεςροφηδὴ petitum: qua occasione suam, eamque novam, exponit de hoc scripturæ genere sententiam, quam & firmo argumentorum robore stabilivit. Græci nimirum a dextra sinistrorsum scribendo pergentes, ubi ad sinistram paginæ partem devenerant, inde a sinistra dextrorsum calamo redibant, cujus scriptionis exemplum vetustissimum reperisse sibi visus est Noster in Inscriptione Sigæa in Actis nostris relata anno 1722 Mens. Febr. pag. 52. Denique ipsam accentuationis doctrinam & omni fundamento destitui & sibi ipsi adversari docet: suamque modulationem, quæ ad vocalium instituitur quantitatem, a facilitate luculenta commendat. Cumque ultimo monuerit, nullam vernaculam tanta accentuum farragine unquam fuisse oneratam, evictam suam causam judicat. Hinc altera Commentationis parte disserit de Græca Προσωδία, sive de modulatione vocum Græcarum sine accentibus, multaque, quæ in *Henninio* aliisque desiderabantur, supplet. *Cap. I* naturam vocalium & diphtongorum exponit. Vocales a variato faucium hiatu asserit sex: α, ε, ι, ο, ȣ, υ. Diphtongos nequaquam e duabus vocalibus compositas, sed e vocali & consonante ortas credit, improprias admittit omnino nullas. *Cap. II* de tempore vocalium & syllabarum agit, tritamque illam regulam Grammaticorum, *omnis diphtongus longa est*, commutat in hanc, *omnis diphtongus natura brevis est*. *Cap. III* sedem modulationis investigandam docet, ita, ut vox dissyllabica modulationem habeat in penultima syllaba; trisyllabica vero ad mediæ syllabæ tempus moduletur; longa enim tonum in penultimam, brevis vocalis in antepenultimam rejicit. Tandem finit *Cap. IV* de tempore modulationis, quod nunc acutum, nunc circumflexum, nullum vero grave. Terminos hos e Græcis Musicorum scholis mutuatos suadet retinendos, deque origine accentuum breviter commentatus, libellum absolvit.

ACTA
ERUDITORUM,
publicata Lipsiæ
Calendis Octobris Anno MDCCXXX.

HISTORIA DA ACADEMIA REAL DA Historia Portugueza &c.
h. e.
HISTORIA ACADEMIÆ REGIÆ HISTOriæ Lusitanicæ composita ab EMANUELE TELLESIO DE SYLVA, Marchione de Alegrete, eidem Academiæ a Secretis.

Tomus I.

Ulyssipone Occident. apud Jos. Ant. de Sylva, Acad. Typogr. 1727, 4 maj.
Alph. 2 plag. 10.

POstquam Illustrem Autorem Acta omnia & documenta, quæ ab Academiæ Regiæ Historicæ Lusitanicæ membris in conventibus solennibus proposita sunt usque ad A. 1725, V Tomis edidisse diximus in Actis A. 1727 M. Jan. p. 1 sq. quibus duo nuper Tomi Acta anni 1726 & 1727 complexi accessere; nunc etiam Historiam ejusdem exhibemus eleganter & concinne conscriptam. In Prologo quidem Historiæ Lusitaniæ tam Ecclesiasticæ quam civilis scriptores prolixe recenset, Ill. Autor, ac primo quidem *Georgium Cardosum, Rodericum da Cunha, Johannem de Lucena, Ludovicum de Susa, Fr. Emanuelem de Esperança* in Ecclesiastica, dein *Ferdinandum Lopes, Damianum de Goes, Garciam de Rezende, Nunesium de Leaon, Franciscum de Andrade, Bernhardum de Brito, Franciscum Brandanum, Antonium de Vasconcellos, Ludovicum de Menezes* in civili, præcipue commemorat, ac de singulis epicrisin ad-

 dit,

dit, qua nec duobus Gallicis historiæ hujus scriptoribus, *Neufvillio* & *Mugino* pepercit. Postea expeditionum in Africam & Asiam a Lusitanis factarum, peculiares Scriptores attingit, inter quos *Gomesium de Zurara*, *Ferdinandum de Menezes*, *Johannem de Baros*, *Ferdinandum Lopes*, *Casparum Cor-ream*, *Maffejum*, *Emanuelem de Susa*, retulit. Tandem ex iis, qui Lusitanorum in America progressus literis mandarunt, principem locum dedit *Ferdinando de Brito*, cum *Josephus de Sancta Theresia* bella in Brasiliis gesta tantum lingua Italica scripserit; at *Castriotum* Lusitanum haud magni pretii Historicum esse judicat. Itaque ex ampla isthac scriptorum historiæ Lusitaniæ, imperfectæ adhuc & incompletæ, recensione, Regiæ hujus Academiæ institutionis ratio in fine redditur, ejusque necessitas pariter ac utilitas demonstratur. His præmissis, auspicium fit ab enarratione eorum, quæ in singulis colloquiis Academicorum pertractata fuerunt. Et p. 5 seqq. quædam ad *Ughelli* Italiam sacram pertinentia occurrunt, ad cujus imitationem Lusitania sacra num componenda sit, & quibus adminiculis, fusius disseritur. P. 22 exstat Decretum Regium de novæ Academiæ Historicæ stabilimento, quod dein p. 23 seqq. pluribus exponitur. P. 35 seqq. methodus studii in historia sacra & civili scribenda declaratur. P. 45 statuta Academica proponuntur, una cum sigillo Academiæ, simulacro nempe veritatis, cum inscriptione: *Restituet omnia*, quæ dein confirmationis Regiæ Decretum p. 54 sequitur. Postea p. 55 Catalogus Academicorum, Ulyssipone & in Provinciis commorantium, adjicitur, ac distributione singularum historiæ ab illis conscribendæ partium suscepta, p. 64 sq. suum cuique pensum singulis Academicis assignatur. P. 64 seqq. specialiorum e Tabulariis Regni promendarum notitiarum Index confectus legitur. P. 84 seqq. Judicium de inscriptione sigilli Academici refertur, & p. 100 seqq. Chronica *Flavii Dextri*, *Luitprandi*, *Juliani*, *Hauberti Hispalensis*, eorumque fides sub examen vocantur, atque ita dijudicantur, ut nec probentur penitus, nec in omnibus prorsus rejiciantur. Pag. 111 seqq. dubia nonnulla de extraneis inserendis historiæ sacræ Lusitanicæ, ac

p. 116

p. 116 quædam ancipitis fidei de S. *Damaso*, de S. *Susanna*, S. *Manso*, S. *Fructuoso*, S. *Engratia*, S. *Wilgeforte*, & aliis proferuntur. In autoritatem quoque Breviarii Romani in historia p. 121 sq. inquiritur. P. 132 de voce Æra ejusque diverso usu prolixe agitur, & *Jacobi Christmanni* etymologia affertur p. 139, qui ab hebraica radice ערך *arach*, *ordinavit*, derivat, cum rectius ab Arabico verbo أرخ *aracha*, *supputavit*, etymon hujus vocabuli peritiores arcessant; quo jure vero ab latino Æs repeti possit, ut Noster censet p. 138, vix capimus. P. 148 materiæ colloquiorum Academicorum excutiuntur, quidque & quomodo in iis agendum sit, dispicitur. P. 167 Elogium Academici cujusdam defuncti *Melli de Castro* recitatur, qui velut insignis Orator ac Poeta laudatur. In cujus locum cum suffectus fuerit Comes de Assumar, p. 119 electio ejus significatur, & p. 200 seqq. illius Oratio in receptione habita adjicitur. P. 227 seqq. rursusque p. 236 sq. de novorum vocabulorum Latinorum usu, ad historiam scribendam necessario, introducendo, fusius disseritur; p. 247 seqq. atque iterum p. 259 sq. quæstio deciditur, qualem Judæi primis Ecclesiæ seculis potestatem servos puniendi habuerint? P. 279 scriptores belli diuturni Lusitanorum & Castellanorum nominantur, scilicet *Figueiredo*, *Pereira*, *Aravio*, *Azevedo*, *Correa*, *Cunha* & alii. Sequitur p. 311 Decretum regium de conservandis antiquis monumentis in Regno reperiundis. P. 329 Cærimoniæ, quibus Rege & Regina præsentibus Academia utitur, enarrantur. P. 344 de Autoribus quibusdam apocryphis eorumque sublesta fide judicatur; cum adjecto p. 349 Catalogo Autorum supposititiorum. P. 365 Panegyricus in Natali Regis ut & p. 332 sqq. in Natali Reginæ dictus insertus est. Inscriptiones nonnullæ Romanorum in provincia Transtagana repertæ explicantur; harum prima in urbe *Alcaçar do Sal* conspicitur, (quam Romani urbem Imperatoriam vocarunt, a Mauris constructam) & ad familiam Porciam illustrandam facit: altera p. 302 in urbe *Santiago de Cassem*, veterum Merobriga, inventa est. Votum nempe Æsculapio, velut artis salutaris Numini tutelari, nuncupatum a *Cattio Januario* Medico Pacensi. *Resendius* vero refutatur p.

 303

303 sq. qui in *Castro Viridi*, urbe illius provinciæ, a Rege Sebastiano Arcum, inscriptione ornatum, erectum esse perhibet. Oratio in ultimo colloquio primi fundationis Academiæ anni habita exstat p. 389 sq. in qua Genii cultus, apud veteres usitatus, Regi ceu Academiæ Fundatori & Augustissimo Genio tribuitur, & ex antiquitatibus illustratur, omnisque hic cultus p. 396 ex laminæ mysticæ sigilli Academici structura porro deducitur, & p. 407 hoc epiphonemate clauditur ex *Tibullo*: *Magne Geni, cape thura libens, votisque faveto.*

Historia der Augspurgischen Confeßion ꝛc.

h. e.

D. ERNESTI SALOMONIS CYPRIANI, Consiliarii Eccles. Fridensteinens. Historia Confessionis Augustanæ, jussu Sereniss. Principis FRIDERICI II, Ducis Saxoniæ Gothani, ex Actis avthenticis consignata. Accessit ipsa invariata Augustana Confessio, cum Documentis nonnullis.

Gothæ, e Typogr. Jo. Andreæ Reyheri, 1730, 4.
Ed. 1 Alph. 2 pl. 13, & Edit. 2 Alph. 3 pl. 3.

NOn immerito præ omnibus scriptis aliis, quæ hoc anno, ob traditæ Aug. Confessionis memoriam bisecularem Evangelicis auspicatissimo, prodiere bene multa, hanc producimus Historiam A. C. quam & mandatum summi Principis, & Autoris de Ecclesia nostra immortaliter meriti spectata fides ac celebritas, & tot monumenta e Tabulariis protracta mire commendant. Postquam in Dedicatione paucis ostendit, quantum a tempore Reformationis imminuta apud ipsos Principes Pontificios fuerit Pontificis autoritas, docet *Cap. 1*, universam Germaniam diu ante Lutherum ægre admodum tulisse tyrannidem curiæ Romanæ, & serio optasse emendationem Ecclesiæ, & *Cap. 2*, miserandam admodum fuisse faciem Ecclesiæ Rom. tempore Reformationis. *Cap. 3* Historiam Ecclesiæ Evangelicæ inde ab A. 1517 ad A. 1530 breviter exponit. *Cap. 4* causas affert, qui-

quibus permoti Status Evangelici, ut Confessionem Aug. conscribi tradique Cæsari curarent, ubi simul ejus Præfatio ex Actis Imperii illustratur. *Cap.* 5 de præparamentis traditionis A. C. *Cap.* 6 de ejus consignatione Augustæ absoluta, & *Cap.* 7 de ejusdem traditione variisque, quæ eam comitantur, circumstantiis agit, ac porro *Cap.* 8 monstrat, quomodo eam exceperint Cæsar ac Status Rom. Catholici, quid amice sed sine fructu tractatum inter utramque partem, & quæ Comitiorum horum fuerint decreta. *Cap.* 9 immensam Dei providentiam in dexteritate Confessorum observatam considerat. *Cap.* 10 veram ac genuinam Confessionem vernaculam publice Augustæ prælectam Cæsarique una cum versione Latina traditam fuisse probat, & *Cap.* 11, quale discrimen in impressis nonnullis vernaculis editionibus observetur, quæque ejus causæ fuerint, ostendit. Certe *C.* 12 hanc falsationem, quam a *Melanchthone* studio factam esse non inficiatur *Cap.* 13, Electorem Sax. Jo. Fridericum aliosque Evangelicos ægre tulisse demonstrat. Sigillatim deinde *Cap.* 14 de Carolo V & pluribus aliis Germaniæ Statibus, quibus tradita fuit Confessio, & *Cap.* 15 de Johanne El. Sax. aliisque Statibus, qui eam tradiderunt, commentatur. Denique *Cap.* 15 specimen addit Commentarii cujusdam in A. C. ea, quæ e Theologia Scholastica illo tempore Theologis valde familiari & ex Historia Eccles. afferuntur, explicantis, qualem a Viro erudito in gratiam studiosæ juventutis edi optat S. R. Autor. Accedunt, præter Confessionem ipsam vernaculam invariatam, quam vocant, Documenta XLI admodum lectu digna. Nobis satis erit, pauca quædam, nec omnibus nota, hinc inde decerpere. Dum de nimio indulgentiarum abusu loquitur, maxime integram *taxarum Cameræ Apostolicæ* editionem p. 13. exstare testatur in *Tractatuum universi Juris, duce & auspice Gregorio XIV Pontifice maximo* (cui & a *Franc. Ziletto* dicantur) *in unum congestorum* Tomi XV Parte I A. 1584 edita, unde hæc producit specimina; e. g. e p. 376: *Absolutio pro muliere,* 14. *quæ bibit aliquem potum, per quem destruxit fœtum in utero vivificatum g. 5. Absolutio pro eo, qui matrem, sororem, aut aliam consanguineam vel affinem suam & commatrem carna-*

 liter

liter cognovit g. 5, it. e p. 377: *Absolutio pro eo, qui occidit patrem, aut matrem, dummodo sit laicus, d. 1 car. 5*, h. e. 1 Du-
p. 38 seq. cat. cum 5 Carolinis. Quantam Catechismus Lutheri ejusque & aliorum piæ cantilenæ in animis hominum vim ad propagandum per Germaniam Evangelium habuerint, probe observat Celeb. Autor, iisque jure succenset, qui, his insuper habitis, nova doctrinæ compendia novasque cantiunculas intellectu difficiles & ob solas fere melodias commendabiles rudi popu-
63. lo obtrudunt. De Hispanis obiter e *Friderico Furio* observat, plurimos toto vitæ suæ spatio concionem audiendi occasionem
89. haud invenire. Ex ipsis Pontificiis cordatiores veritatem A.
coll. 97. C. agnovisse testatur, ut *Erasmum*, qui in literis ad Cæsarem ea prorsus probaverit, quæ ibi de matrimonio clericorum, votisque monasticis & utraque specie traduntur; *Georgium Cassandrum*, qui in *Consultatione de articulis Religionis inter Catholicos & Protestantes*, Cæsaris jussu scripta, perhumaniter senserit de Protestantibus (ad quam *Annotata* quædam dedit *H. Grotius* A. 1641, in quibus capita A. C. ex Historia Eccles. egregie illustrat) ipsumque *Ge. Wicelium*, qui in *Via regia*, Ferdinando I Imp. dedicata, & ipsius jussu scripta, de singulis articulis A.
114 sq. C. modeste admodum egerit. Editionem A. C. Formulæ Concordiæ, A. 1580 Dresdæ & mox Heidelbergæ atque alibi impressæ, præmissam, prorsus genuinam & ad exemplar Cæsari in Comitiis traditum exactam esse, evidentissime demonstrat S.
132. R. Autor. Quod vero editio vernacula Witteberga 1531 in 8 a *Melanchthone* procurata a priori ejusdem anni ab eodem edita nonnullis in locis discrepet, *Melanchthoni* ipsi tribuit, cui mos fuit, ut, quoties sua recuderet, (erat autem ipse Confessionis autor præcipuus) aliquid adderet, demeret, mutaret, quam quidem licentiam nequaquam probat Noster, quamvis non neget, eum ante dictis haud contradixisse, sed ea tantum ulterius illustrasse. Facile etiam fieri posse, ut duæ ejusdem libri, etiam publici, editiones mire discrepent, exemplo Concilii Tridenti-
136. ni docet, cujus editionem Antverpiensem de A. 1547, cum privilegio Caroli V excusam, ab Harduiniana Concil. T. X p. 19 sq.
145. non paucis locis differre ostendit. Magis vero reprehenden-

dum

dum putat *Melanchthonem*, quod amore pacis circa A. 1538 in editione Latina aliqua in gratiam Pontificiorum aut Reformatorum mitius expresserit, quod nunquam probaverit Lutherus; & plura hac occasione falsariorum exempla producit, ut Jesuitarum, quos 30000 loca Patrum ut & *Bellarmini* Controversias & *Vasquesii* scripta corrupisse ferunt Dominicani, & ipsorum Dominicanorum, qui ab illis vicissim corrupti Thomæ & aliorum Patrum accusantur; inprimis vero demonstrat, quantas falsationes subierit ipsum Breviarium Romanum. Sed totus nobis liber describendus esset, si notatu digniora promere velimus; maxime cum S. R. Autor, vulgaribus omissis, ea fere tantum prodat, quæ e monumentis maximam partem avtographis, quæ ob oculos habuit, hausit. Et hæc quidem dedimus, primam editionem, quæ jam in omnium manibus est, secuti; non dissimulamus vero, paucis post primam mensibus secundam etiam editionem hoc ipso anno prodiisse, cui tamen non multa accessere, si excipias Caput integrum, quod nunc est decimum quartum, & tria Documenta sub finem addita. Nam cum nuper admodum secretiora quædam in Conventu Numburgensi A. 1561 acta ex Tabulario Hennebergico nactus esset S. R. Autor, de eodem luculenter admodum egit hoc Capite, inprimis quorundam amolitus calumnias, qui Zuinglianos tum in communionem Aug. Confessionis receptos fuisse criminantur. Nos illud hinc tantum notamus, quod Pontifex Nuntium Apostolicum miserit Numburgum, qui singulis Principibus eorumque legatis illic congregatis obtulerit literas Pontificias cum Inscriptione: *Dilecto Filio Nobili Viro &c.* quas tamen accipere omnes detrectarint, quod Pontificem *Patrem* minime agnoscerent.

p. 152.

153 sq.

Ed. 2. p. 216 sq.

HISTORIA DUCUM STYRIÆ, AUGUSTISSIMO Imperatori CAROLO VI dicata, ab Academia Græcensi Soc. Jesu.

Græcii, literis hæredum Widmanstadii, 1728, fol. Alph. 4 pl. 12 fig. æn. 23.

Opus

OPus insigne charta nitida, typisque eminentioribus impressum, & iconibus elegantissimis ære signatis decoratum, Invictissimo Romanorum Imperatori *Carolo VI* dedicavit Academia Græcensis, obtulitque devotissime, cum is oras Istriæ maritimas visurus Styriam itinere transiret, & felici sidere auspicatissimum Calendis Octobribus Natalem diem Grætii celebraret. *Dissertatio proœmialis* docet, quis populus regionem inhabitarit, quibusque Dominis quondam paruerit, antequam Duces suos nancisceretur. Dividitur Styria in Superiorem ad
p. 3. Septentrionem, & inferiorem ad meridiem positam. Superior in abruptos montes passim assurgit, quos colonorum solertia habitationi aptos & frumenti reddidit feracissimos. Vitium expers regio est, cetera domi nascuntur, quæ ad frugalem vitæ humanæ usum desideres, armentorum diversique generis gregum copia, caro saporis egregii, ex pastu saluberrimarum herbarum conciliati, ferarum, damarum præsertim, arborum frugiferarum læta luxuries, truttarum, salmonum, aliorumque piscium nulla penuria. Argento, plumbo, cupro, ferroque turgent montes; fodinæ præsertim Eisenarzenses & Vordernbergenses supra 1600 annos tentatæ sunt; sylvæ in montibus
4. plurimæ. Argentum olim ad Zeyringium copiose effossum, sed fodinis anno 1158 inundatis, aquarum moles nondum potuit averti. Rupium fastigio arces insident, natura & arte munitæ. Martia, Mura, Anaso fluviis regio perluitur. Inferior præterea Dravo & Savo rigatur; & mitior hæc pars est, montibus rarioribus, in campos fere diffunditur, nisi qua colles vitibus consiti, circa Radkerspurgum, Celejam & Luttenbergam generosum vinum reddunt. Aquas nativo igne calidas, fontes medica virtute imbutos in utraque Styriæ parte offendes; acidulæ Rohizenses optimæ habentur. Urbes Styriæ 20, oppida 100, arces seu castra pæne 500 numerantur. Nobilitas mu-
5. niis patriæ summis, partim hæreditariis, splendida, vetustate nulli est secunda. Tribunal appellant Regimen excelsum; ærarii Principis curam gerunt Cameræ Consiliarii; rem militarem administrat Consilium bellicum; Capitaneus nomine Principis Provinciam moderatur. In Comitiis 4 ordines senten-

tentiam dicunt, sacri Præsules, Optimates, Equites & urbium Deputati. Annuente Capitaneo Mareschallus illa cogit. Ab his delecti quatuor viri illustres cum Præside procurant ærarium publicum. Prætermissis, quæ breviter de superiorum temporum statu annotantur, ex iis, quæ inde ab Ottocari VI primi Ducis ævo atque adeo a medio seculi XII paullo fusius narrantur, nonnulla decerpemus.

Adoleverat Ottocarus, ex Marchione ultimo primus Dux, sub egregia matris cura; Alexandri Papæ partes initio secutus, sed postea Cæsari conciliatus, qui Henrico Leone proscripto, ipsum a clientela Bavariæ absolvit, Ducemque Styriæ A. 1180 renunciavit. Redux pacem conciliavit inter Gurcensem & Salisburgensem Antistites; sed quadriennio post lepra correptus, vendere Styriam Austriacis meditatus est, ut divitias in Clerum profunderet. Ast dissuaserunt id institutum Ordines, ac consilio precibusque, ut Leopoldum Austriacum cognatum successorem in Comitiis provinciæ renunciaret, curis Reipubl. ad mortem usque, quæ contigit A. 1192, retentis, pervicerunt. Inde fabulis annumerandum, Styriam Leopoldo fuisse venditam, pecuniam vero lytri causa ab Angliæ Rege extortam, quem post sex demum annos Leopoldus interceperat. Cœlibem vixisse, & altum Annalium silentium, & afflicta Principis valetudo, & alia ostendunt. Henrico Leoni socium in Palæstinam A. 1173 esse profectum Ottocarum, vix credideris, qui decem annos vivendo tunc non superaverat. Leopoldus Virtuosus Bohemos in finibus prædabundos repulit. Imminebat a Bela R. Ungariæ bellum ob fines ultra Muram protensos, sed hoc metu solutus Dux, Cæsarem in Palæstinam est secutus. Ob lytrum a Richardo Anglo extortum excommunicatus est. Leopoldus Gloriosus, parentis & post triennium fratris Friderici in Palæstina obeuntis hæres, Pontifice minante territus, ut Richardo Anglo lytrum redderet, nihil tamen cessit. Andream ad se profugum ex Hungaria contra fratrem Emericum R. defendit, reducens eum in Hungariam, novamque civitatem condidit. Discordibus in Imperio votis eligentium, Philippi partes sequebatur Leopoldus; unde Episcopum Viennæ dari a Pontifice frustra postulavit. Philippo

Margin notes: p. 16. (beside "postea Cæsari conciliatus..."); 17. (beside "Antistites..."); 20. (beside "provinciæ renunciaret..."); 23. (beside "Imminebat..."); 32 sq. (beside "est secutus..."); 38. (beside "men cessit..."); 44. (beside "scopum Viennæ...")

 occiso,

occiso, Leopoldus Papæ suasu Ottoni accessit, mox Friderico II
p. 60. eodem autore. Tunc Ordines religiosorum immigravere,
cœnobiis, altero viris Græcii, virginibus altero Judenburgi, exci-
61. tatis, nec reticenda Cellæ Marianæ origo, quæ sanitati Henrico
Marchioni Moraviæ, ejusque conjugi a paralysi restitutæ debe-
tur. Friderici Bellicosi ferociam luebant provinciæ, Carnio-
66. lam tamen defunctis possessoribus, Friderico II Imperatore
assentiente, juncto Ducali axiomate, reliquis terris adjecit. In
79. pugna contra Hungaros occisus, an ab hoste, an potius ab
amicis, dubium relinquitur. Uxor prima, ignoti nominis, &
dubiæ stirpis, soror Mariæ, Belæ IV Regi Ungariæ nuptæ, & La-
80. scaris filia putatur; altera fuit Agnes, Ottonis Meraniæ Ducis
filia; ab utraque fecit divortium. Desierat cum Friderico
gens Babenbergica, unde plures opimam hæreditatem capta-
81. bant. Ebersteinii Comes ab Imperatore nominatus Præfectus,
in Styriam penetrare non potuit, nec magis placuit Herman-
nus Badensis; Mainhardus Styriæ denuo impositus a Cæsare,
83. eo mortuo provinciam deseruit; Gertrudis ob sexum, ambitio-
nem, & novas cum Romano Russiæ Rege nuptias exosa in cœ-
nobio tandem vitam finiit. Pontifice hortante in Margare-
tham propendebant Ordines, unde legati in Misniam missi, qui-
bus detentis, Wenceslaus Bohemus filium Ottocarum Austriacis
84. obtrusit, Margarethæ postea junctum, cui tamen Ordines sacra-
mentum non dixere. Mox Styri Ducatum Henrico Bavaro
deferunt, cujus parens Otto consilium Belæ Ungariæ Regis an-
tea exquirendum censebat; sed hic Ducatum poposcit pro filio
Stephano, & impetravit; pace etiam cum Ottocaro inita, aliqua
92. Styriæ parte Bohemis cessit. Sed præfectorum asperitate ab-
alienati Styri Ungaros ejiciunt; & Ottocarum invitant, qui Bo-
hemorum virtute contra Ungaros provinciam sibi vindicavit,
98. ac Carinthiam Carniolamque pretio numerato Duci Ulrico
101. comparavit. Verum nec Ottocari Imperium fuit diuturnum,
ob nimiam in populum severitatem, ambitionem, ac studium
in uxorem servituti pæne simile. Styriæ proceres simulatæ
102. conjurationis reos in custodiam dederat, quorum nonnulli sup-
plicio affecti, aliorum arces occupatæ & dirutæ; potentia

opes-

opesque captivorum crimen præcipuum videbantur. Mox
Rudolphum I Imp. respicere cernens Austriæ Styriæque proce- p. 105.
res, liberos ab ipsis obsidum nomine extorquet, hinc querelæ
Ordinum in Comitiis, in quibus ad causam dicendam Ottocari
legati comparuerant. Mox Styria & Carinthia Cæsari se dedidit, 109.
quo facto Styris jura sua firmavit Rudolphus, iisdemque indulsit;
ne ab Imperio unquam possent divelli, aut Principem, nisi quem
ipsi optaverint, haberent. Ottocaro a Mehrenbergiis in pu- 115.
gna occiso, Austri & Styri Albertum Cæsaris filium Ducem 122.
postularunt, qui a parente statim inauguratus, Ungaros in Sty- 124, 127.
riam irrumpentes, ac Salisburgensem fortissime repressit. De-
inde Styros tumultuantes, privilegiis ipsorum confirmatis, pa- 134.
cavit, & Salisburgensem, qui salinas Alberti everterat, bello do- 143.
muit. Inde Imperator electus filios dixit Archi-Duces, qua 148.
in re Autorem esse lapsum, plures existimabunt: cui annume-
randum, quod Legati Brandenburgici perfidiam in electione 165.
Friderici Pulchri pro vera venditet; Fridericum tamen Impe- 180.
rium non abdicasse solide demonstrat. Annæ filiæ tres ma-
riti falso assignantur; cum Uladislao Loctico Polono solum
fuerit desponsata, e vivis mox sublato sponso. Albertus fra-
ter & hæres nomen *Contracti* sortitus est, quod veneno inter P. II, p. 1.
inaugurationis solennia propinato nec manibus nec pedibus
uti posset. Ægre ferebat Eberhardus Würtenbergicus, a Con- 11.
rado Scholklingæ Domino id oppidum cum Ehinga & Berga
Alberto venditum, unde turbæ, Cæsaris opera mox sopitæ.
Brisacenses quoque res novas moliti, arctius Austriacis astri-
cti. Cum Helvetis ob agnatum Johannem captum, & Tigu- 14.
rinos fœderi accedentes, ortum est bellum, detrimentis hinc
inde illatis tandem finitum. Ceterum Albertus leges filiis
præscripsit, ut, quicquid bonorum singulis accessisset, esset com-
mune omnibus, & major natu regendi autoritate reliquos an-
teiret. Albertum electum quondam Pataviensem fuisse Epi- 21.
scopum, aut Subdiaconum, *Steyererus* negat, *Hansizius* affir-
mat; quam rem in medio reliquit Autor. Rudolphus Ingenio- 28.
sus turbas ab Eberhardo Würtenbergico excitatas Cæsare medi-
ante composuit; Aquilejensem Patriarcham, ut Austriacis ere-

pta redderet, adegit, & Austriacos a Duce Goritiensi hæredes
p. 38. scribi curavit. Fabulis de Rudolphi morte confutatis, ardenti
febre ipsum obiisse Mediolani, refert Autor. Ceterum Rudol-
39. phus Palatini Archi-Ducis titulum a Friderico I Imp. collatum
signis literisque primus inscripsit. Ex literis repertis monstra-
tur, Albertum cum Trica A. 1349, & Leopoldum fratrem A.
41. 1351 aut sequenti fuisse natos. Tunc Friburgum Austriacis ces-
sit, solutis Comiti Eggoni, qui perpetuas cum civibus aluerat
44. simultates, duodecim florenorum millibus. Albertus grassa-
toribus publicis sublatis, dysenteria, quam immodica venatione
sibi consciverat, mortem oppetiit. Theologiæ Magistros A. 1384
46. primum Viennam evocavit, & disputantibus crebro interfuit;
Architectonicis, Toreuticis & Mathematicis studiis inprimis ad-
66. dictissimus. Wilhelmus affabilis ab equo, cui insederat, cum ad-
ductis fortius habenis resupinasset, oppressus vivendi finem fecit.
Fridericus V Imperator, Cillejæ Comitatu ad se devoluto, peri-
85. culum vitæ ab Holzero structum vix evitavit, dum ægre de
somno excitatus in arcem Cillejæ se proripuit, quod Divo Ma-
ximiliano, urbis illius tutelari, in acceptis referens, idem filio
104. nomen indidit. Sub Maximiliano I a Vindis rusticis Styriæ
ob præfectorum injurias conflata seditio, exercitus plus 80 mil-
libus constitit, a Sigismundo Dietrichsteinio tamen levi nego-
tio ad obsequium compulsi. Sævas Turcarum irruptiones in
Styriam hic singulatim percensere non vacat. Carolo V Sty-
113. ri fidem addicere prius recusabant, quam ipse præsens immu-
nitates ipsorum jurejurando firmasset; tandem tamen Legatis
116. ipsius, literis caventibus, sacramentum præstitere: cesso post
biennium jure, frater Ferdinandus primum, inde Ordines jusju-
randum conceptis verbis protulerunt. Ceterum sicut isti Autores,
Imperatorum autoritate posthabita, ubique Pontificum Rom. de-
cus extollunt; ita nemo mirabitur, eos pro more ordinis sui
passim, Libro inprimis III, Evangelicos criminari, adeo ut ne a
fabulis quidem puerilibus abstineant.

VETUS LATIUM PROFANUM, IN QUO

agitur

agitur de Veliternis & Coranis; Autore JOSEPHO ROCCO VULPIO, *Soc. Jesu Sacerdote.*

Tomus IV.

Patavii, excudebat Josephus Cominus, 1727, 4 maj.
Alph. 1 pl. 5 Tabb. æn. 13.

QUodnam institutum sit Cl. Autoris, in Actis anni superioris M. Aprili p. 150 diximus, Tomum antecedentem recensentes. Memoravimus etiam ibidem p. 152 Tabulam Antiatinam ab eodem seorsim explicatam. Nunc dum veteris Latii quartum Tomum, Benedicto XIII nuper Pontifici Max. inscriptum, prodit, Præfationem præmisit satis prolixam, qua se tuetur contra Autorem libri Italici, qui sub titulo: *Camera & Inscrizioni Sepulcrali de' Liberti, Servi ed Ufficiali della Casa di Augusto scoperte nella Via Appia ed illustrate, in Roma 1727, fol.* prodiit, cujus nomen, etsi Noster non tradit, *Franc. Blanchinus* est, si bene meminimus. Sed hæc cum non magnum admodum momentum trahant in antiquitatum explicatione, studio prætermittimus. Continentur hoc Tomo totius Operis, computatis Emin. *Corradini* Tomis duobus prioribus, Liber VI de Veliternis & VII de Coranis. Originem Veletrarum *Cap. I*, rejectis variorum sententiis fabulosis ac partim ridiculis, incertam Noster, atque adeo vetustissimam, pronuntiat. Historiam vero bellorum Veliternos inter & Romanos per trecentos fere annos dubia fortuna gestorum & deductæ Veletras Coloniæ Romanæ *Cap. II* accurate describit, ac deinde sigillatim *Cap. III* virtutis Veletrorum in Romanis bello juvandis exempla producit, simul non ineleganter disputans contra Autorem recentem, qui apud *Silium Ital.* L. VIII v. 378, pro *incelebri valle Velitræ*, legit *in celebri*, & vulgatam lectionem defendens, voce *incelebri* nihil aliter denotari probat, quam locum multitudine hominum haud frequentem. De templis porro Veliternorum & prodigiis disserens *Cap. IV*, Martem precipue iis cultum ostendit, & columnas templi Martis hodieque exstantes producit, dumque lucernæ perpetuæ illic detectæ meminit, neutiquam probat eos, qui ideo, quod fossores scin- p. 28. 43.

 til-

tillantem adhuc momento deprehenderint, per tot secula arsisse sibi persuadent, existimans potius, hoc genus lucernæ, jam diu exstinctum, tunc rursus momento accensum fuisse, externo ære particulas nitri ac sulphuris excitante atque accendente. *Cap. V* reliqua Veliternorum ædificia & villas inprimis agri Veliterni lustrans, aliquot affert Inscriptiones, in quibus memorabilis est, quam ex *colle Falconis* ejusdem agri producit:

T. FLAVIVS PHILIPPVS SIBI ET
FLAVIAE CAENIDI CONIVGI LOCO DON
OLLAR IIII ABALEIA FELICVLA ITVM
ADITVM AMBIT
VITRINAE SACRIFICI CAVSA.

Ut de Cl. Autoris in hæc & similia commentandi ratione constet, addimus ipsa ejus verba: *Titus Flavius Philippus sepulchrum hoc sibi & Flaviæ Cænidi conjugi suæ construxit locumque ollarum quatuor capacem sepulchro eidem donavit. Nam intra ollas exustis cadaveribus reliquos cineres claudere moris erat. Quatuor itaque ollarum locus corporum quatuor tumulandorum locus erat. Porro Abaleja quædam Felicula vel consanguinea vel liberta vel certe amica sepulchri hujus spatium adauxit, & circa ipsum ustrinam fecit. Erat autem* ustrina *locus, ubi cadavera urebantur. Itaque Abaleja non tantum ustrinam facere contenta fuit; verum etiam* itum, *nempe iter, ad illam aperuit;* aditum, *scilicet ingressum ipsum ac introitum, exstruxit;* & ambitum, *nempe circuitum ipsum circa sepulchrum ædificavit, muris scilicet sua pecunia circumductis. Atque hoc totum idcirco se fecisse testari voluit, ut spatium amplum ad sacrificium Manibus Philippi & Cænidis conjugum, quoties opus foret, peragendum haberet.* Cum deinde de quibusdam Veliternorum Magistratibus & Collegiis, ut Fabrorum & Augurum, agit *Cap. VI*, observat, in Coloniis magistratum e *Curia* seu Senatu, & *Decurionibus* h. e. Senatoribus compositum fuisse, & quamvis in colle Martio, qui est in agro Veliterno, inventus fuerit lapis cum Inscriptione: Q. POM. MVSAE COS. neutiquam tamen ex eo probari posse,

posse, quod Consules suos habuerint Velitræ. Quæ de vetustissima Veletrinorum gente Octavia, e qua ipse Augustus Imp. Rom. prodiit, luculenter admodum edisserit Cl. Autor *Cap. VII*, & quæ *Cap. VIII* de Ulubra, agri Veliterni oppido, & *Cap. IX* de Medulla priscorum Latinorum oppido tradit, ea quidem nunc non moramur. Pauciora sunt, quæ Noster Lib. VII de Coranis habet, eodem tamen ordine procedunt. Et *Cap. I* quidem de Conditoribus Coræ agit, & tres sententias antiquissimorum scriptorum ita conciliat Autor, ut a Dardano Phryge, Trojæ quoque conditore, anno ab O.C. 1400 conditam primum, qui & nomen dederit a patre Corito, collapsam vero anno post trecentesimo quinquagesimo a Coraco e gente Argiva vel ob nominis similitudinem denuo instauratam, denique rursus dirutam, longe post ab Albanis Regibus tertio excitatam fuisse probet. Mox *Cap. II* templa Castoris & Pollucis, Herculis, Æoli, Fortunæ, Solis, Æsculapii & Hygiæ considerat, & inter alia Gruterum emendat, qui *Inscript. T. I P. I p. 43* hanc Coræ exstare Inscriptionem testatus erat: p. 138.

M. TVRPILIVS M. F. L. TVRPILIVS P. L.
DVOMVIRES DE SENATVS SENTENTIA
AEDEM HERCVLI
FACIENDAM COERAVERE IIDEMQVE PROBAVERE.

At enim Noster, se A. 1725 ipsam Inscriptionem hoc modo conceptam, omissa voce *Herculi*, legisse profitetur:

M. MANLIVS M. F. L. TVRPILIVS L. F. DVOMVIRES DE SENATVS SENTENTIA
AEDEM FACIENDAM COERAVERVNT EISDEMQVE PROBAVERE.

Nihilominus Herculis templum illic exstitisse, ex alia Inscriptione ibi reperta: HERCVLI SACRVM, evincit. Obiter quoque notat, *Jobum XXXI, 26, 27, 28*, Solis cultores superstitiosos respicere & morem eorum apponendi ad os manum deosculandique, & in ejus honorem submittendi, una cum totius cor- 140. 146.

corporis demissa admodum inclinatione, quam reverentiam nunc quoque ab Asiaticis populis adhiberi testatur. *Cap. III* de Coloniis, ab Albanis, Etruscis, Latinis ac Romanis Coram deductis, & *Cap. IV* de jure Municipali & Præfectura Coranorum nonnihil animadvertit. *Cap. V* Coranorum res bello gestas, *Cap VI* familias eorum Romæ illustres, Publiciam inprimis & Oppiam, tandemque *Cap. VII* Signinos, Coræ conterminos, describit, quæ hic repetere opus non est.

THE FOUNDATION OF MORAL GOODNESS: or Inquiry into the Original of our Idea of Virtue: by a Clergyman &c.

h. e.

FUNDAMENTUM BONITATIS INTERnæ virtutis; sive examen originis Ideæ, quam habemus, Virtutis; Autore quodam sacri Ordinis &c.

Londini, sumptibus Joh. Pemberton, 1728, 8 maj.
Plag. dimid. 9.

QUæ antiquissimis temporibus Græcorum Romanorumque Philosophorum disputationibus agitata fuit controversia, de fundamento ac Lydio lapide justi & honesti, nondum crebra nostræ ætatis sapientum contentione composita est. Inveniuntur semper, quibus vel antiqua, etiamsi communi fere suffragio rejecta, recoquere, aut felicius explicare placet, vel qui caliginem patribus exprobrantes, justi & æqui matrem, ab omnibus aliis frustra quæsitam, exserto digito a se demum demonstrari posse confidunt. Negari nequit, Autorem, qui non ita multo ante in Anglia librum evulgavit, quo in fundamenta cogitationum humanarum de eo, quod pulchrum in se ac justum est, inquirere propositum habuit, novos plane justitiæ ac æquitatis fontes indicasse, dum amorem proximi homini innatum, vel, ut ipse loquitur, pronum in alios affectum, pro virtutis fundamento supposuit, eique sensum moralem, cunctis mortalibus ingenitum, ad probandum vel reprehendendum, quicquid in aliorum commodum aut dispendium fieri potest, comitem dedit.

dedit. Sed displicuit ejus institutum Autori Opusculi hujus Anonymo, qui methodo ipsius naturam virtutis plane destrui contendit. Præfatus nonnulla in Adversarii laudem, & commendato partim ingenii ejus acumine, partim verborum nitore, Philosophorum de virtutis fundamento sententias in duo distribuit genera. Aliis enim placuit, homines non nisi privati commodi appetitu exstimulatos agere, atque lydium lapidem, ad quem actionum suarum probitatem exigunt, non alium ipsis esse, quam pertinax utilitatem privatam promovendi studium. Hæc vero cogitata, cum multa hominis officia, amicitiam, amorem patriæ, misericordiam, gratiarum debitum &c. evertant, & ab Autore nostro Anonymo, & ab Adversario ejus damnantur ac proscribuntur. Animum igitur Adversarius induxit, in systematis hujus moralis locum aliud substituere, quo commentus est, homini non sui ipsius duntaxat amorem ingenitum esse, sed affectum quoque erga alios ac variorum graduum benevolentiam, ut, quod aliis bonum est, tanquam finem ultimum absque privati commodi respectu cupiat. Innatum simul esse homini, tanquam principium cognoscendi res morales, sensum aliquem moralem, ut ipse loquitur, asserit, quo mens flectatur, ad probandum actiones, quas ex affectu erga proximum benevolo fluere, non ex privatæ duntaxat utilitatis respectu natas esse, intelligimus. Duplex itaque actionum honestarum principium statuit; alterum practicum, nempe connatam naturæ humanæ propensionem ad promovendum proximi commodum; alterum theoreticum, sensum moralem, qui pro criterio actionum humanarum nobis inditus sit, secundum quod expendamus actiones, quas ex proximi amore in nobis nasci putamus. Sed Autor noster haud inficiatus, Deum mortalibus pronum in alios affectum rationi quasi succenturiatum indidisse, ut illam adjuvaret, justas actiones magis quasi maturaret, atque languorem quorundam accenderet, negat tamen concedi posse Adversario, quod gemino hoc instinctu omne justi ac æqui fundamentum absolvatur. Non enim illud in systemate Adversarii ferri posse, quod virtuti natura prorsus arbitraria tribuatur, si ex mero instinctu il-

lam pendere dicamus, cum nihil prohibeat, quo minus creator contrarium plane menti nostræ apposuisset instinctum, aut quovis momento illum pro suo nutu ac arbitrio vel mutet, vel invertat. Si id, quod in actione humana honestum est, ex animi nostri affectu pendet, neque huic ipsi potius pro norma est, quæri jure posse, quid illud sit, quod Deum permoverit, ut nobis hunc maxime affectum, hoc studium, quo nunc trahimur, & non vel diversum vel plane contrarium indiderit. Occupare quidem quæstionem hanc paullo ante Adversarius instituerat, supponendo conditionem, seu, ut loquitur, dispositionem divinæ naturæ essentialem, quæ affectibus, quos generi humani Deus indidit, ex asse respondeat, prouti etiam in ipso Deo aliquid sensui illi morali, quem homini, ut modo diximus, tribuit, analogum statuit. Sed instat Noster, an dispositio hæc atque illud sensui morali analogum inter perfectiones naturæ divinæ locum inveniat? Hoc cum negari nequeat, siquidem quicquid in Deo est, absolute bonum atque sui generis optimum sit, de regula porro quærit ac norma, secundum quam judicari queat, quod affectus iste ac sensus moralis in Deo optimus sit. Sequeretur enim, si nulla dari posset ratio, cur divina natura benevole ita disposita sit, Deum agi ac ferri cœco ac nulla ratione suffulto impulsu. Cumque nonnulli ex Anglis occasionem passim quærant, mortuo *Leibnitio* insultandi, Noster quoque principium, quod ille statuit, rationis sufficientis hoc loco fugillat. Absurdum enim illud esse causatur, si indifferenti, ut Philosophi loquuntur, actioni applicetur, ubi plura media ad consequendum finem æque apposita sunt. Et affectum Dei erga opera a se creata, in indifferentium rerum numerum referri posse negat. Aut itaque dicendum esse, Deum ratione, quæ rebus ipsis inest, moveri, aut naturæ divinæ necessariam esse illam dispositionem. Ejusmodi autem necessitas, si quidem physica, non moralis foret, cum nostro virtutis conceptu consistere haud posset. Cum porro Adversarius diserte testatus sit, quod primus mentis nostræ conceptus virtutis a legibus haud pendeat, siquidem in ipsarum legum tam divinarum quam humanarum justitiam inquirere solemus,

mus, in suam rem hoc Noster vertere satagit. Nunquam enim legem bonam vel justam judicari censet, quod ipsa cum Legislatoris affectu conveniat, nec Dei legem sanctam propterea dici, quod cum dispositione aliqua naturæ divinæ conveniat. Legem ideo potius nobis vel probari vel improbari, quod in publicum bonum illam tendere, vel eidem refragari percipiamus. Pergit objiciendo, quod ex Adversarii sententia sequeretur, hominem virtutem non colere, nec illud vitio ipsi verti posse, nisi instinctu illo ac affectu in alios propenso donatus fuerit, etiamsi intellectu, voluntate, ac libero arbitrio præditus sit. Ponamus enim, haud inditum esse cordi alicujus illud studium demonstrandi iis gratum animum, a quibus beneficiis mactatus est, an nec ratio nec sola beneficiorum acceptorum memoria hominem ejusmodi flectere posset ad habendum gratias illis, qui laboranti benevole succurrerunt? Ponamus, misericordia cor humanum destitui, an non ex ipsa objecti ratione ac honestate actionis ejusmodi quis perspiciet, quod proximo varia cum miseria colluctanti subvenire deceat? & quis non inhumanitatis ac ferociæ accusaret officia hæc illo prætextu detrectantem, quod naturalem hunc, quem alii sentiunt, instinctum in se haud deprehendat? Inde hoc telo Adversarium urget, quod secundum propositam ab ipso rerum moralium œconomiam necessarium sit, ipsis brutis aliquem virtutis gradum concedere, inprimis cum illa naturalem instinctum longe constantius quam ipsi homines sequantur. Amor sui generis, affectus in prolem & sexcenta alia, quam vehemens brutis innatus sit instinctus, abunde demonstrant. At seniores Philosophi omnes moralem virtutem in bruta haud cadere contendunt, eo maxime argumento persuasi, quod rationes rerum ac mutuum earum nexum ignorent. Quæcunque enim demum impressæ illis sint boni naturalis ideæ, certe idea boni moralis prorsus destituuntur. Illud porro absurdum ex Adversarii sententia sequeretur, quod virtus hominis eo magis intensa foret, quo magis affectus illi naturales in ipso ferverent. Hoc vero & rei ipsi, & disertis Adversarii verbis repugnat, asserentis, quod eadem actio laudanda magis

ſit, quæ ab homine languido, quam quæ ab alio ferventi magis ac æſtuanti affectu prædito proficiſcitur. Exprobrat denique Noſter Adverſario, ignobilem ita nimis ac probroſam fere virtutis originem ſtatui, ſi ex mero inſtinctu illam ſcaturire dicamus. Ratio enim ex omnium mortalium ſuffragio longe nobilius principium eſt, quam cœcus ejusmodi inſtinctus. Brevibus hinc exponens, quod virtus, quæ ex mero inſtinctu naſceretur, neceſſaria foret, quo ipſa virtutis idea everteretur, ad examen ulterius rerum moralium principii, quod Adverſarius ſtatuit ſenſum moralem, progreditur. Monet primum, eadem illi opponi poſſe argumenta, quibus fictum illum affectum naturalem ante confutavit; quod pro lubitu mutari, imo plane contrarius a Deo creari potuiſſet; quod virtutis ac juſtitiæ naturam incertam valde & fluctuantem redderet; quod deſtitutus hoc ſenſu morali boni ac mali ideas diſcernere haud poſſet, & quæ reliqua ſunt, ante jam a nobis propoſita. Novis quoque ſenſum hunc moralem aggreditur arietibus, abſurdum hoc inde eliciens, quod vir acri præditus intellectu, ſenſu autem hoc morali deſtitutus, nihil diſcriminis inter *Antoninum* & *Caligulam*, *Socratem* & *Apicium* perſpecturus eſſet. Profligatis autem Adverſarii copiis Noſter concinnius aliquod ac ſtabilius virtutis fundamentum molitur; internam rerum bonitatem ac ſanam rationem in locum principiorum Adverſarii ſubſtituens. Equidem diu jam a multis Philoſophorum recepta fuit hæc ſententia; Noſter tamen aciem argumentorum accurate inſtruendo, ordinem ac methodum de ſuo addere videtur. Definitiones itaque, axiomata ac poſtulata præmittit, quibus veritatem doctrinarum ſuarum ſuffulcire satagit. Doctiſſ. *Sam. Clarckii* veſtigiis ſe inſiſtere haud diffitetur, nec aliam rationem eſſe conjicit, cur Adverſarius alienum valde a ſermonibus publicis Philoſophi hujus ex *Boylei* teſtamento habitis animum prodiderit, quam quod ipſe amore Autoris Characterum faſcinatus ſit. Aliorum quoque Philoſophorum, Stoicorum inprimis, placita paſſim reprehendit, quos recte quidem virtutis dignitatem ſuſpexiſſe largitur, ſed conditionis humanæ oblitos, hominem ut merum ens morale, non

ſimul

simul tanquam ens sensibile ipsos concepisse monet, unde ipsorum de virtutis sufficientia nata esse paradoxa existimat.

THE SECOND PART OF THE FOUNDATION of Moral Goodness &c. being an answer to certain Remarks communicated by a Gentleman to the Author &c.

h. e.

PARS SECUNDA FUNDAMENTORUM bonitatis internæ Virtutis moralis, quibus principia & argumenta partis prioris confirmantur, atque animadversionibus Autori a Viro quodam nobili communicatis respondetur.

Londini, sumtibus Joh. Pemberton, 1729, 8 maj.

Plag. dimid. 13.

CUm unam, æternam atque immutabilem veritatem esse, Philosophi omnes gravissime contendant, nihil magis mirum est, quam quod pauci valde inter se consentiant, nisi quos forte sectæ, cui nomen dederunt, placita, ut idem velint ac nolint, cogunt. Illud maxime paradoxum est, quod nulla in re magis Philosophi dissentiant, quam in statuendis rerum moralium fundamentis, quibus inveniendis tantum operæ jam per plurima secula impenderunt, postquam *Socratem* philosophiam de cœlo pridem devocasse gloriantur. Noster scripto, cujus compendium modo dedimus, non neminem impugnans, lubricis nimium fundamentis morum doctrinam committentem, alium mox offendit Adversarium, modestum quidem ac amicum, cui vero, quæ pro stabiliendo virtutis fundamento attulerat, plane non probantur. Non enim solum, quæ ab Autore nostro oppugnata fuerant, defendit, sed ea quoque, quibus alterius errores corrigere atque male destructa instaurare instituerat, data opera impugnavit. Objectiones has sigillatim Noster hoc Opusculo, addita statim minori typorum charactere responsione sua imprimi curavit, ut scrupulos amici tolleret, atque posita ante a se rerum moralium principia vindica-

 dica-

dicaret. Lis igitur de eo maxime inter ipsos est, an detur sensus moralis, sive singularis humanæ mentis facultas, quæ de rebus moralibus, prout intellectus de rebus physicis ac mathematicis, arbitretur, quæque adeo sit principium cognoscendi rerum moralium, sociata affectui bono tanquam principio agendi. Utrumque hoc principium, quod novis argumentis suffulcire atque confirmare Adversarius, objectionum harum Autor, instituit, Noster conquisitis undique rationibus evertere atque explodere satagit. Conveniunt itaque in eo, quod ratio sit facultas, cujus virtute convenientiam aut pugnam idearum inter se, sive naturalium, sive moralium, percipimus. Contenderat vero Adversarius, male Nostrum, ut hypothesi suæ serviret, asseruisse, non aliam esse in naturalibus & physicis relationem idearum, quam in rebus moralibus, siquidem ideæ beneficii, atque, ut Philosophi ajunt, correlati ejus, grati animi, in idearum moralium classem referendæ sint. Propositionem enim moralem, saltim ejusmodi aliquam, quæ cujuscunque generis obligationem involvat, ex meris ideis moralibus concludi posse negat; cum ex grati animi idea non magis sequatur, hominem ad habendum gratias obligari, quam ex ingrati animi conceptu vitium hoc fugiendum esse, nisi peculiaris menti humanæ tribuatur rerum moralium sensus. Nisi enim obligationis conceptus intellectui nostro jam inesset, ille nulla ratione ex ideis beneficii, grati vel ingrati animi elici posset, neque ulli mortalium divinare aut intelligere liceret, quid voce obligationis indicetur, tantum abest, ut diversæ obligationis species ex ideis illis colligi possent. Concedit itaque, esse quidem inter ideas beneficii atque grati animi aliquam convenientiam, atque pugnam inter ideas beneficii ac ingrati animi intercedere, sed hoc non ad intellectum, verum ad sensum potius referendum esse contendit. Gratias enim, quas homo tribuit illis, a quibus beneficiis mactatus est, sensui nostro morali acceptas esse atque probari arguit, æque ac ingratus animus illum offendit. Noster ad hæc excipit, idearum moralium, & arithmeticarum, aut geometricarum naturam longe diversam esse, ut mirum non sit, relationem quoque, qua inter se

cohæ-

cohærent, multum differre. Moralem enim aliquam congruentiam inter beneficii atque animi grati ideas esse, quam omnes in mente sua statim percipiunt, simul ac terminorum illorum significationem intelligunt. Prout quilibet rerum mathematicarum non ignarus statim intelligit, necessarium esse, ut tres anguli cujusvis trianguli sint duobus rectis æquales, aut certam proportionem inter sphæram & cylindrum esse; ita ab intellectu convenientia aut pugna, quæ inter ideas morales v. g. beneficii & gratitudinis est, confestim percipitur, licet ipsa convenientiæ hujus vel pugnæ ratio in mathematicis & moralibus eadem non sit. Etenim in mathematicis convenientia illa in eo consistit, quod æqualitas vel proportio inter quantitates deprehenditur, qualem qui in moralibus conceptibus sibi fingeret, longe a scopo aberraret. Posita igitur morali hac rerum moralium congruentia, Noster porro ostendit, quomodo ex moralibus ejusmodi ideis propositiones morales plurimæ elici queant, eadem ratione, qua mathematicæ veritates ex conceptibus mathematicis, quantitatum maxime relatione, quæ inter illas est, inferuntur. Licet itaque dici nequeat, in idea grati animi conceptum obligationis involvi; si quis tamen attente considerans beneficii & grati animi ideas, illas inter se comparet, statim concludet, se ad gratum animum obligatum esse. Intelligit enim homo, se ens rationale esse, & non sensibilem tantum, verum moralem simul personam ex creatoris voluntate sustinere. Intelligit, ita se factum esse, ut certis rationibus ad agendum hoc aliove modo impellatur, nec iisdem se cogi, quod libertati animi repugnaret, sed flecti potius. Rationibus igitur, quæ sensus demulcent, quatenus ens sensibile est, impellitur, ut voluptatem, qua trahitur, sequatur, sive obligari se animadvertit, ut bonum naturale appetat. Sed quatenus personam moralem sustinet, cum bono naturali quidem nihil rei ipsi est, verum eadem ratione ad bonum morale amplectendum obligatur, qua persona sensibilis ad bonum naturale obligatur. Ita homo, quatenus agens sensibile est, obligatur ad quærendum præmium, & fugiendam pœnam, sed tanquam agens morale gemina ratione obligatur; primum ut

justo

justo legislatori obediat, deinde ut leges eo, quod in se bona sint, observet, persuasus, virtutem, ut antiquissimi etiam docuere Philosophi, in se ipsa pulchram, & quam sectemur, dignissimam esse. In eo enim, judice Nostro, maxime peccarunt, qui fontem omnis obligationis proprium cujusque commodum aut utilitatem statuerunt, quod mortalitatem cum sensibilitate incongrue confuderint. Adversarius, ne Scepticorum more aliorum duntaxat placita vellicare, nihil vero in eorum locum certi statuere videretur, sensum moralem, a Nostro ante impugnatum, pro principio omnis moralitatis adoptaverat, in commendationem ejus monens, aliis jam licet obscurius eum suboluisse. Doctos enim ac acutos viros fassos esse, quod perdifficile sit, cujuscunque generis obligationem solide demonstrare. *Lockium*, qui naturam intellectus humani atque idearum nostrarum erudite rimatus est, non tamen pervidisse, principia moralitatis ideis intellectus de rebus moralibus involuta. Omisisse igitur ipsum penitus demonstrationem primorum moralitatis principiorum, tanquam rem non quidem impossibilem, sed quam ipse aggredi ausus non fuerit. Neque hoc mirum esse, cum *Lockius* de intellectu, non de sensu agere instituerit, adeoque ab instituti sui terminis res morales penitus removerit. Egregie vero Operis *Lockiani* defectum *Hutchinsonium* postea supplere molitum esse, qui, Adversario judice, illud sensum moralem vocavit, quod ab Autore nostro perceptio moralis appellatur. Moralem hunc sensum definit Adversarius, quod sit facultas percipiendi convenientiam aut pugnam, quæ inter conceptus rerum moralium intercedit. Et cum dubium non sit, mentem humanam facultate hac donatam esse, illam non ad intellectum referendam, sed peculiarem potius sensum vocandam esse, Adversarius contra Autorem nostrum asserit. Hic vero rebus moralibus fraudi non esse debere contendit, quod *Lockius* aliive Philosophi non eodem studio ac labore ideas morales scrutati sint, quo ad alias scientias animum applicuere. Certum se esse fatetur, si Philosophi eadem cura res morales tractassent, qua naturales contemplati sunt, eadem nunc in luce positas fore ideas eo spectantes, qua

qua propoſitio quælibet *Euclidis* fulget, neque adeo in communi illa oſcitantia mirandum eſſe, ſi varios in errores multi circa doctrinas haſce inciderunt, quas vel lubricis vel falſis principiis ſuffultas acceperunt. Hoc ipſum *Lockio* ex Autoris noſtri ſententia accidit, qui intellectus humani naturam accurate rimatus eſt, atque ideas rerum naturalium & mathematicarum acute evolvit, ſed in rebus moralibus humani aliquid paſſus eſt. Non enim ſolita mentis acie res morales aggreſſus eſſe videtur, dum pluribus in locis omne moralitatis fundamentum voluntatem Dei arbitrariam ſtatuit, ac diſerte aſſerit, lydium lapidem rectitudinis aut injuſtitiæ actionum humanarum merum Dei beneplacitum eſſe. Urget noſter, quid perfectionum moralium in ipſo Deo fundamentum futurum eſſet, ſi voluntas Dei unica moralitatis regula dicatur? Illas enim fundamento deſtitui, quis dixerit? Nec voluntatem Dei ipſi Deo legem eſſe poſſe, ſiquidem abſurdum hoc inde ſequeretur, quod Deus nunquam non ex cœco arbitrio ageret. Licet enim Dei ac entis cujuscunque bonitas & virtus infinitis inter ſe paraſangis ac gradibus differant, ejusdem tamen generis illa eſſe neceſſe eſt. Niſi itaque Deum vel neceſſario vel ex cœco arbitrio agere quis ſtatuat, concedendum eſſe, fines Dei in ipſarum rerum ratione atque morali earundem congruentia fundatos eſſe. Anſam hæc Noſtro præbent mirandi, cur *Lockius* aliive eruditi virtutem moralem cum religione incongrue confuderint. Religio enim omnis utique in voluntate divina immediate fundatur, atque hæc unica eſt mortalibus in rebus, quæ religionem ſpectant, regula. At ſi homo, quatenus ens morale eſt, concipiatur, ultima atque proxima actionum ipſius regula eſt convenientia illa moralis, qua ipſius Dei voluntas regitur. Prout in Deum religio haud cadit; ita bonitas ipſius moralis infinite perfecta eſt. Homo autem, licet actiones, quæ ex ratione recta ac virtutis amore in ipſo fluunt, puræ admodum ac perfectæ eſſent, religione tamen carere nequit, cum corrupta nimis ac contumax natura ejus ſit, nec dicto rationis & virtutis promte ſatis obediat. Deo igitur viſum, virtutem religione confirmare ac ſuffulcire, ac novum mortalibus

lumen addere, quod severis legibus muniret. Quicquid enim dignitatis atque intrinsecæ excellentiæ virtuti asseramus, autoritas tamen divina atque majestas religionis longe efficacius coercere ac regere effrænem hominem debebat, cum geniis saltim superioribus, quibus religione opus non est, interna virtutis ratio pro regula sufficiat. Cum itaque certis res morales principiis innitantur, *Lockius* ipse de Intell. Human. Lib. IV C. II §. 18, & Cap. XII §. 8 non dubitat, ex claris per se ac perspicuis propositionibus, observato Mathematicorum in concludendo rigore, mensuram justi & injusti accurate definiri posse, modo animo ab incertis opinionibus æque libero, atque cura eadem quis accedat ad res morales, qua Mathematicæ scientiæ tractantur. Quidni enim aliorum modorum relatio æque accurate percipi posset, ac illa, quæ inter numeros & quantitates est? Dolendum igitur, *Lockium* in constituendis rerum moralium principiis errasse, inprimis cum longe magis hæc obvia ipsi fuerint, quam aliæ veritates, quas operoso studio eruere necesse habuit. Si verum fateri licet, oscitanter valde in rebus moralibus *Lockius* versatus est, ut vel ex eo apparet, quod sibi ipsi parum in hoc argumento constans, ambigue sæpius disserat. Modo enim largitur, principia moralitatis ideis nostris necessario involuta esse, modo principia practica, per se evidentia, dari diserte negat. Hæc vero secum consistere nequeunt. Si enim demonstratio omnis in propositiones per se evidentes denique resolvitur, non apparet, qua ratione *Lockius* demonstrationem rebus moralibus vindicare, simul vero per se evidentia principia illis denegare queat. Prolixius itaque Noster adversus *Lockium* probare instituit, dari propositiones morales, per se æque claras, ac tritum illud Mathematicorum, quod totum parte sua majus sit. Adversario autem laudanti *Hutchinsonium*, tanquam emendantem ac perficientem, quæ *Lockius* imperfecta reliquerat, respondet, longe deteriores hunc quam *Lockium* partes secutum esse. Voluntas enim Dei, quam pro moralium rerum principio *Lockius* posuerat, si non virtutis, religionis certe principium est. At principia, quæ *Hutchinsonius* statuit, instinctus scilicet naturales, nec virtutis

tutis nec religionis essentiam ingrediuntur. Ipsum enim virtutis fundamentum, *Hutchinsonio* forsan invito nec opinante, illis principiis destruitur magis, quam stabilitur, &, quem intellectui humano tanquam principium cognoscendi res morales succenturiat, sensus moralis inane est figmentum, quo rerum moralium dignitas magis elevatur, quam confirmatur. Hæc prolixius tergo Adversarii semper inhærens Noster persequitur, vindicans simul objectiones, quas libro priori ante a nobis laudato exposuerat, & quas Adversarius vellicaverat. Sed singula rationum momenta excerpere, prolixum nimis, & a nostro instituto alienum foret.

TRACTATIO MEDICO-FORENSIS DE Torturæ subjectis aptis & ineptis secundum Morales & Physicas causas ventilata a D. MICHAELE ALBERTI, Potentiss. Reg. Boruss. Aulico & Consistorii Magdeb. Consiliario, Academ. Frieder. Prof. Med. & Philos. Natur. Publico Ordinario &c.

Halæ Magdeburgicæ, apud Johann. Christ. Hendelium, 1730, 4. Plag. 11½.

QUanquam Clarissimus *Alberti* in *Systemate Jurisprudentiæ Medicæ*, quod in horum Actorum Supplementis Tom. IX Sect. XI pag. 465 laudavimus, tam theoretice quam practice excusserit casus, ubi Jureconsulti Medicorum expetunt in ferendis sententiis judicia, atque in specie de Tortura etiam egerit, operæ tamen pretium se facturum existimavit, si idem argumentum accuratius explicaret, & cum uberrimis Jureconsultorum & Medicorum suffragiis confirmaret & illustraret. Etenim si Tortura eximium corpori cruciatum ac dolorem affert, aut si quæstio corpus lacerat, & ipsa fere morte durior est, ad eandem certe cum spe obtinendi finis, videlicet eruendæ veritatis, corpus requiritur firmum & congruum, ne torturæ vehementia reum interimat aut mutilet, neve propterea judex torturam concedens homicidii aut mutilationis suspicionem incidat. Neque tantum corporis ratio habenda est, sed

ſed etiam animi qualitates conſiderandæ veniunt; ſiquidem nimia ſenſibilitas, profundus angor, timor, terror, &c. multa cauſari poteſt & ſolet, quo minus hujus ardui proceſſus & ultimi medii eruendi veri finis aut deſideratus ſcopus obtineatur. Deliberanda igitur & decidenda occurrit quæſtio, quænam ſubjecta ad quæſtionem rigoroſam ſubeundam & quoad diverſas circumſtantias & qualitates idonea exiſtant? In qua diſquiſitione Clariſſ. Autor partim ad ipſam torturam, ejusque gradus diverſos, ad locum, in quo ſubeunda, ac ad tempus & tempeſtatem, quando illa ſuſcipitur, reſpicit; partim ſubjecta ipſa, quæ tali quæſtioni ſubmittenda ſunt, tam ratione corporis quam animi, item reſpectu ætatis, virium, perſonalis ſenſibilitatis, ſexus, ſtructuræ corporis, nec non prægreſſorum aut præſentium morborum, ſtatus valetudinarii, partis, quæ & quali morbi ſpecie atque gradu afflicta eſt, examinat. In ſpecialiori hujus thematis tractatione conſiderata animi conditione, explicatoque modo, quomodo, qui nimia ſenſibilitate pollent, aut terrore, timore, angore nimio affecti ſunt, tractandi veniant, ad corpus ſe convertit, & diſquirit ratione ætatis, num impuberes, puellæ, quæ nondum menſtruatæ, aut una alterave vice menſium fluxum paſſæ ſunt, item ſenes conſuetis tormentis ſubmitti queant? ratione ſenſuum internorum imbecillitatis, an furioſi & mente penitus capti, aut aliqualem & per intervalla recurrentem vel exacerbatum impetum & defectum rationis ſubeuntes, item melancholici vel ſtupidi; ratione ſenſuum externorum vero defectus, an cæci, ſurdi, vel muti ſint torquendi? Pergit inde ad reliquam corporis conſtitutionem, & inquirit, an ſubjecta obeſa, & pingui habitu prædita, fœminæ, quamdiu menſium fluxu laborant, viri hæmorrhoidarii, valetudinarii, in ſpecie vero, qui convulſionibus, febribus, morbis incurabilibus & per intervalla vel intermittentibus vel miteſcentibus detenti, hernioſi, hydropici, cachectici, luxationes, fracturas vel vulnera paſſi, qui ſpaſmodicis affectibus ſubjacent, ut arthritici, iſchiadici, podagrici, chiragrici & ſimiles, item lue venerea affecti, aut qui ulcera inveterata in pedibus vel brachiis aut fonticulos gerunt, qui tenerioris ſunt conſtitu-

tio-

tionis, gibbosi, procidentia ani aut uteri prolapsu laborantes, qui ventriculum debilem habent, ideoque alimenta difficile concoquunt, qui jejuniis vel vigiliis sunt emaciati, & an mulieres in statu graviditatis, puerperii aut lactationis torturæ sint subjiciendæ? Addit denique quæstionem, an in loco frigido ejusmodi quæstio rigorosa instituenda, & an Medicus requirendus veniat, ut præsto sit. Hujus tractationis occasione *de Tortura Medica* in Præfatione agere consultum duxit Clariss. *Alberti*, sub quo nomine intelligit curationes, quibus imperiti Medici non modo præsens malum haud mitigant, sed potius illud majoribus tormentis augent. Qualis torturæ species allegat omnia heroica remedia incongruis subjectis, affectibus, temporibus &c. adhibita, vomitoria puta, purgantia drastica, adstringentia, acria, arrodentia, quæ nimios concitant dolores & ægros in lipothymiam & syncopen, imo & deliria ac varias tormentorum afflictiones conjiciunt; quo & potus denegatio in æstu febrili spectat.

Anatomische Beschreibung eines monströsen Gewächses.

i. e.

DESCRIPTIO ANATOMICA EXCRESCENTIÆ monstrosæ mesenterio affixæ; Autore D. JOHANNE JACOBO GRAMBS, Physico Francofurtensi.

Francof. ad Mœnum, apud Davidem Jacobum Cronau, 1730, 4. Plag. 3½ cum fig. æn. Tab. 3.

NOtabilem casum hoc in scripto commemorat Clariss. Autor, ejusque Pathologiam subnectit sat accurate, absque eo, ut ad incantationem, cui adscribebatur, refugium ceperit. Casus est sequens: *Anna Elisabeth Pfaffenreuteria*, sanæ constitutionis, tributumque lunare debito tempore solvens, priores binos matrimonii annos, quod quadragesimo tertio ætatis anno inierat, vegeta transegit, tertio vero insolitum in abdomine

sensum & circa medium spinæ dorsi cum lancinationibus varia molimina percipere cœpit. Quanquam autem tum menses debito ordine non fluxerint, ipsa tamen de impraegnatione facta dubitavit; observavit interim tribus potissimum ultimis annis abdomen mole auctum, reliquum corpus emaciatum, pedes œdematosos, respirationem difficilem & ad motum imbecillitatem. Frustra adhibitis remediis gravi lapsu in platea læsionem aliquam in abdomine se passam esse conqueritur, hinc lectum petere coacta octo dies post, die scilicet 11 Decembris anni præterlapsi, quinquagesimo tertio ætatis suæ anno obiit. Sub sectione cadaveris observatum fuit, peripheriam abdominis æquasse 82 pollices, ex ejus cavitate sex mensuras aquæ citrinæ profluxisse, intus vero excrescentiam quandam carneo-membranosam 18 libras ponderantem, & in sex sacculos, crines, dentes cujuscunque generis, adipem, materiam purulentam & serosam continentes divisam, & super omnia viscera expansam, mesenterii, tribus superioribus lumborum vertebris affixi, portioni adhæsisse, cujus externa superficies convexa & glabra, interna inæqualis fuerat. In ætiologiam hujus phænomeni inquirens Clar. Autor, culpam falsæ conceptioni esse tribuendam existimat. Semen enim mariti, sexagesimum jam ætatis annum superantis, non satis fœcundum fuisse putat, ex parte vero mulieris annosæ tubam Fallopianam non amplius vegetam non ad uterum deduxisse ovulum, sed in abdominis cavitatem ex fimbriis relaxatis prolabi passam esse, quod mesenterio adhærens augmentum & nutrimentum per inosculationem vasorum cum vasis mesenterii factam acquisiverit; ita ut ovulum non satis fœcundatum in fœtum perfectum formari haud potuerit, sed in ejusmodi molam concreverit.

COMMENTAIRES SUR LA GEOMETRIE DE M. DESCARTES,

hoc est,

COMMENTARII IN GEOMETRIAM CARTESII, Autore R. P. CLAUDIO RABUEL, e Societate Jesu.

Lugduni

Lugduni Gallorum, apud Marcellinum Duplain, 1730, 4.
Alph. 3 pl. 6 Tabb. æn. 23.

GEometria *Cartesii*, qua Algebræ ad Geometriam applicatio continetur, utut mole parva sit, paucis tamen verbis plurima comprehendit, quæ inde eruere non est nisi Geometræ consummatissimi. Quamobrem, cum prodiret, ad eam illustrandam varii varios conscripsere Tractatus, quos versioni Latinæ a se factæ adjunxit *Schootenius*. Ipse *Schootenius* in Geometriam integram Commentarios conscripsit; sed, judice *Rabuele*, non modo plurima inexplicata reliquit, verum etiam *Cartesium* subinde imitatus ita scripsit, ut novo commentatore habeat opus. Quoniam tamen Geometria *Cartesii* Commentario quam maxime indigebat, si quidem eam penitus intelligere debent lectores, qui inter primarios Geometras nullum adhuc locum obtinent; optime non modo de *Cartesio*, sed de ipsa etiam scientia meritus est Cl. Autor, quod talem condiderit Commentarium, in quo nihil inexplicatum reliquit, sed integro textui ac singulis ejus verbis tantam lucem affudit, ut & mentem Geometræ ex asse percipere possit lector Elementorum Geometriæ, Arithmeticæ atque Algebræ gnarus, & de veritate assertorum convinci queat. Conscripsit eum in gratiam Jesuitarum juvenum, Mathesi operam navantium, atque ea de causa captui tyronum serviens, summa usus est perspicuitate. Etsi autem, cum viveret, adduci vix poterat, ut librum utilissimum publici juris faceret; circa finem tamen vitæ eum tandem prelo subjici passus est. Enimvero vix paucæ plagulæ erant impressæ, cum d. 12 Aprilis A. 1728, ætatis sexagesimo, diem supremum obiret, postquam jussu superiorum per annos viginti integros in Collegio Jesuitarum Lugdunensi Mathesin docuisset, cum antea alibi Philosophiam cum applausu tradidisset. Scripsit etiam Tractatum de Algebra, de sectionibus Conicis, de Locis geometricis, de calculo differentiali & integrali: quorum Operum omnium editio promittitur ab eo, qui Præfationem Commentariis præmisit. *Cartesius* Geometriam suam dividit in tres libros. Eorum primo continetur brevis quædam introductio ad Geometriam ipsius, docetur modus resol-

ſolvendi problemata plana, & adduntur nonnulla de problemate *Pappi* in principio libri ſeptimi Collectionum Mathematicarum propoſito, quod *Euclides* reſolvere inceperat, *Apollonius* continuaverat, ſed nemo veterum Geometrarum perficere potuit. Libro ſecundo *Carteſius* differit de lineis curvis, reſolutionem problematis *Pappi*, de quo circa finem libri primi locutus fuerat, uberius perſequitur, quomodo ex æquationibus curvarum earum proprietates deduci poſſint, oſtendit, inprimis vero tangentium methodum exponit, proprietates quorundam vitrorum figuræ ovalis deſcribit, quorum in reflectendo & refringendo lumine uſus eſſe poteſt, & de lineis tandem loquitur, quæ in ſuperficie aliqua curva deſcribuntur. Tertio tandem libro docet, quænam lineæ inſerviant conſtructioni uniuscujusque problematis; explicat naturam æquationum earundemque ad reſolutionem præparationem; exponit modum æquationes reſolvendi, & æquationem cubicam vel biquadraticam conſtruendi regulam generalem tradit, & modum conſtruendi problema omne ad æquationem reductum, quæ ultra ſex dimenſiones non aſſurgit, ſubjungit.

Ex his intelligitur, quænam a Commentatore pertractentur, ubi recordatus fueris, quomodo in explicandis *Carteſii* verbis verſetur. Oſtendit nimirum ad librum, quomodo conſtructio problematis in omni caſu redigatur ad determinationem longitudinis unius vel plurium rectarum, ſive punctum, ſive linea, ſive ſuperficies, ſive denique ſolidum quæratur. Explicat deinde, quomodo operationes arithmeticæ applicentur in Geometria ad lineas, & quænam relatio inter eas operationes in Arithmetica in numeris & in Geometria in lineis factas intercedat, ubi ſimul monſtrat, extractionem radicis quadratæ eſſe ſpeciem diviſionis. Et quia in multiplicatione, diviſione ac radicum extractionibus linea quædam pro unitate aſſumenda, exempla in medium affert, in quibus unitatis aſſumtio arbitraria, tum etiam alia, in quibus ea pro lubitu aſſumi nequit. Hic vero ſimul inquirit, an termini calculi arithmetici in Geometriam introducti officiant perſpicuitati. Rationem reddit, cur *Carteſius* lineas rectas literis & characteribus algebraicis expri-

exprimat, ostendens, potentias algebraicas a^2, b^3, c^4 &c. ordinarie lineas simplices denotare, & in eo casu omnes partes cujuslibet rectæ æquales dimensiones habere debere. Duodecimo tradit regulas generales, quibus juxta methodum *Cartesii* in resolvendis problematis algebraice opus est, & exemplis convenientibus illustrat. Deinde speciatim digreditur ad problemata plana, quæ per circulum & rectas construuntur, ubi & reductionem æquationum quadraticarum affectarum in terminis algebraicis exponit, & constructionem modo a *Cartesiano* diverso docet. Inprimis etiam hoc agit, ut ostendat, omnia problemata Geometriæ communis per ea, quæ *Cartesius* tradidit, solvi posse. Postquam denique nonnulla explicavit, quæ de problemate *Pappi* a *Cartesio* dicta obscuriora videri poterant, demonstrat, locum esse planum, si in problemate *Pappi* non dentur nisi lineæ duæ: quem casum *Cartesius* prætermisit, cum tamen ceteris intelligendis inserviat. Singula vero, quæ *Cartesius* in solutionem problematis hujus affert, uberius exponit &, ubi opus, exemplis illustrat. Et ea profecto, quæ *Cartesius* de *Pappi* problemate habet, talia sunt, ut commentatore habeant opus, si quidem mentem Geometræ ex asse intelligere volueris.

In Commentario ad librum secundum explicat Noster primum in genere, quid ex mente *Cartesii* Geometricum dicatur, quid mechanicum; ac deinde in specie, quænam lineæ dicantur geometricæ, quænam mechanicæ audiant. Ut vero differentiam illam exemplis illustret, de Conchoide, Cissoide, Spirali, Quadratice in specie agit, Algebra ad eas applicata. Declarat modum investigandi æquationem curvarum, quæ describuntur ope instrumenti ad inveniendas plures lineas medias continue proportionales inter duas datas. Exponit divisionem curvarum in sua genera & rationem reddit, cur aliæ aliis sint simpliciores, simulque ostendit, lineas curvas pluribus diversis modis describi posse; ubi plurima occurrunt lectu digna. Plures proponit regulas, easque singulas exemplis illustrat. Accedit deinde ad problema *Pappi*, ubi agens de solutione particulari, quando tres aut quatuor lineæ dantur, docet

tum constructionem particularem ad lineam rectam, tum constructionem communem ad tres sectiones conicas & circulum, tum particulares ad parabolam, ad circulum atque ellipsin, ad hyperbolam respectu diametri, ad hyperbolam intra asymptotos. Differit etiam de locis planis & solidis, traditque modum eadem inveniendi. Inde digreditur ad solutionem problematis *Pappi*, quando quinque lineæ dantur: ubi plures distinguit casus, & singulos exemplis illustrat. Absolutis iis, quæ ad problema *Pappi* spectant, porro monstrat, quomodo ex æquationibus curvarum proprietates earundem deducantur, & deinde methodum tangentium *Cartesianam* explanat, eidemque methodos alias jungit. Applicat etiam methodum tangentium *Cartesianam* ad determinandum punctum flexus contrarii curvarum & ad quæstiones de maximis & minimis. Postquam de reflexione & refractione luminis pauca quædam proposuit, descriptionem quatuor generum ovalium *Cartesii* exponit, & earum in reflectendo ac refringendo lumine proprietates demonstrat: quo facto sigillatim in unoquoque genere reflexionem & refractionem luminis expendit. Monet autem Noster, figuras ovales perinde ac ellipticas & hyperbolicas in Dioptrica exigui esse usus, non modo quod vitris poliendis difficillime inducantur, verum etiam quod vitra istiusmodi figurarum non satis accurate radios ab eodem objecti puncto egressos in uno puncto colligant, atque adeo sphærica iisdem omnibus præfert. Varia resolvit problemata, quibus investigantur æquationes curvarum in superficie solidorum convexa descriptarum.

In Commentario ad librum tertium docet constructionem instrumenti, quo plures lineæ mediæ continue proportionales inter duas datas inveniuntur, neque in eo *Cartesio* per omnia assentitur, quod in constructione problematum semper præferendæ sint curvæ simpliciores, seu gradus inferioris, curvis superiorum generum, cum hic potius ratio habenda sit facilitatis descriptionis & elegantiæ constructionis: qua in re *Newtonum* atque *Leibnitium* consentientes habet. Monet etiam, *Cartesium* contra propriam peccasse regulam in construendis æqua-

quationibus sex & septem dimensionum, cum *Fermatius* & *Philippus de la Hire* constructiones simpliciores dederint. Inde explicat, quomodo æquationes superiores per multiplicationem æquationum simplicium in se invicem producantur, & earum proprietates inde eruantur. Docet etiam modum transformandi æquationes, ut problematis solutio facilior reddatur: quæ cum satis nota sint, non opus est, ut de iis specialiora commemoremus. Dum inde ad resolutionem æquationum digreditur, primo loco docet modum investigandi divisorem communem maximum duarum quantitatum & omnes divisores unius quantitatis. Describit deinde methodos diversas inveniendi omnes radices æquationis datæ; in specie autem exponendi modum extrahendi radicem ex æquatione cubica, sive problema fuerit planum, sive solidum, nec non ex æquatione biquadratica, sive denuo planum fuerit problema, sive solidum. Tandem ad constructionem geometricam æquationum accedit. Æquationes cubicas sublato secundo termino reducit ad sex formas; de singularum constructionibus per parabolam & circulum sigillatim agit. Similiter æquationes quadrato-quadraticas secundo termino sublato ad duodecim formas reducit, singularumque constructiones per parabolam & circulum demonstrat. Explicat deinde modum construendi problemata solida per intersectionem duorum locorum, docet modum inveniendi duas vel tres lineas medias continue proportionales inter duas datas & arcum circuli datum trisecandi, peculiaria nonnulla de intersectione parabolæ a circulo facta demonstrat, & curvas, quæ per æquationes cubicas & biquadraticas definiuntur, ope earum describere docet. Exponit uberius, quomodo constructio omnium æquationum cubicarum reduci possit ad inventionem duarum mediarum continue proportionalium & trisectionem anguli. In utroque casu utitur regulis *Cardani*, quemadmodum præcipit *Cartesius*. Et quia *Cartesius* non dedit expressiones algebraicas radicum æquationum biquadraticarum; Noster hunc defectum supplet, atque formulas *Cardanicis* similes computavit. Proponit illustrandarum constructionum geometricarum gratia aliquot

 exem-

exempla problematum solidorum. Inter ea occurrit inscriptio heptagoni regularis in circulo, itemque enneagoni: in casu priori construenda est æquatio cubica, casus autem alter reducitur ad trisectionem arcus, quod facile intelligitur. Solvit etiam problema *Pappi* in sex, septem & octo lineis. Quando vero *Cartesius* rationem reddit, cur problemata solida non possint construi sine sectionibus conicis, nec magis composita sine curvis altioribus; in eo eidem non adstipulatur, magis probans *Fermatii* ea de re sententiam, quæ etiam *Philippi de la Hire* fuit, teste Præfatione ad Tractatum de æquationibus analyticis. Denique ubi *Cartesii* methodum construendi æquationes, quæ ultra sex dimensiones non assurgunt, exposuit; docet modum inveniendi quatuor & quinque medias continue proportinales inter duas datas & angulum dividendi in quinque partes æquales, itemque polygonum regulare duodecim ac tredecim laterum circulo inscribendi. Proponit etiam aliam methodum construendi æquationes quinque ac sex dimensionum & curvas construendi, quæ definiuntur per æquationes totidem dimensionum ope æquationum earundem. Atque ita tandem Commentarium suum absolvit, utique dignum, qui in Latinam linguam translatus Commentatoribus ceteris adjiceretur.

MOMENTA PRÆCIPUA ECLIPSEOS SOlis partialis, Vitembergæ Saxonum d. 15 Julii A. 1730 sub ipsum Solis ortum observatæ a I. F. W.

Temp. ver.			Magnit.		
H.	M.	S.	D.	M.	
3	56	—	—	—	Sol post nubes, jam defectum quinque circiter digitorum passus, figura elliptica oritur, cujus diameter sursum versa sexta parte contractior horizontali apparuit.
	59	0.	5.	30.	
4.	20.	30.	6.	55.	
	26.	0.	6.	30.	
	32.	30.	6.	0.	

	38.	0.	5.	30.
	43.	30.	5.	0.
	47.	0.	4.	30.
	49.	30.	4.	0.
	53.	30.	3.	30.
	58.	0.	3.	0.
5.	4.	30.	2.	0.
	7.	0.	1.	30.
	10.	30.	1.	0.
	13.	30.	0.	30.
	15.	30.	Finis.	

Præter ellipticam solis figuram, memorabilis fuit conspectus marginis lunæ asperi, quoad eam partem, quæ in occasum spectabat. Ibi enim vallis longa fere $\frac{1}{12}$ diametri lunæ, & $\frac{1}{100}$ ejusdem diametri profunda, distinctissime cernebatur. In progressu eclipseos hæc orbis lunæ asperitas fascia cærulea abscondebatur, eadem fascia, sole altius assurgente, sensim sic amplificata est, ut sub finem deliquii, ejus spissitudo tertiæ digiti lunaris diametri parti æqualis videretur, & tum sub colore cæruleo etiam puniceus proxime lunæ margini adhærebat.

PROLEGOMENA AD NOVI TESTAmenti Græci editionem accuratissimam, e vetustissimis Codd. MSS. denuo procurandam &c.

Amstelædami, apud R. & J. Wetstenios & G. Smith, 1730, 4.
Alph. 1 pl. 2.

QUam incredibilem operam in evolvendis examinandisque variis Novi Testamenti Codicibus manu exaratis collocaverint, præter alios, *Millius* inprimis atque *Kusterus*, viri omni laude majores, neminem, nisi omnium rerum hospitem, præterit. At hi tamen viro illi doctissimo, qui, nomine nondum notus, in nova hac editione adornanda laborat, cujus jam prolegomena damus, haud contemnendum reliquere spicilegium. Erit utique pretium operæ, hæc ipsa non segniter percurrere, & ex nimia egregie dictorum copia, singularia modo

nonnulla, more nostro, cum erudito communicare orbe. Constant nimirum illa sedecim Capitibus. In I generaliores praemittuntur observationes, quae MSS. Codd. varium vel membranae, vel chartae genus, litterarum itidem ductus, qui in separata tabula depinguntur, accentus, spiritus, orthographiam antiquam, scribendi compendia, periodos, versuum divisiones, *κεφάλαια* sive *τίτλες*, correctiones ac lituras, easque potissimum, quae spongia fiebant, supplementa a juniore manu adjecta, possessorem, ipsum scriptionis annum, & alia valde curiosa, lectuque perjucunda pariter atque utilissima continent. Id certe mirum, quamvis ab haud paucis neglectum non ita multos exstare Codices, qui totum N. T. complectantur. Jure igitur ac merito notatur in Belgio Gallus aliquis, qui pro concione dixit, locum *1 Joh. V*, 7 in Codice Cantabrigiensi, qui *Bezae* fuit, reperiri, qui tamen sola quatuor Evangelia una cum Actis comprehendit. Tum vero sigillatim inquiritur cujusque Codicis locus, unde venerit, antiquitas, integritas, & ejus, quicquid ad criticam ejusmodi censuram exigitur, omissum videmus nihil. Ea etiam, quae desunt, capita nominatim recensita hic invenire licet. Hac igitur ratione cum cura describuntur *Cap. II* Codices, *Alexandrinus*, &, qui in Bibliotheca Regis Galliae hodie asservatur, fragmenta V. & N. T. continens, a celeberrimo *Boivino*, Bibliothecario R. primum detectus, & cum a *Bernardo Lamy*, tum a *Kustero*, jam collatus, *Vaticanus* item, & Codex Bibliothecae Coislianae 202, constans foliis 14, nec non ejusdem 1, porro Codex Bibliothecae *Cottonianae* notatus tit. C. 15, hinc Codex 2 Bibliothecae *Caesareae*, & denique *Joannis Ravii*, Professoris Upsaliensis. Exhibentur *Cap. III* Codices, Basiliensis 4 Evangeliorum, Bibliothecae Regiae 2861, etiam 4 Evangeliorum, ejusdem 2243, *Colbertinus* 5149, A. 1673 ex insula Cypro advectus, *Colbertinus* item 700 & 2215, *Lectionarium Evangelicum*, A. C. 995, ut videtur, scriptum, aliud cum *Millio* a *Georgio Wheelero*, aliud a *Joanne Moro* communicatum, *Evangelistarium Graecum Basilianorum* Romae, fragmentum ab *Anselmo Bandurio* Autori oblatum, & ultimo tandem loco Codex *Passionei*, Legati ad Helvetios Pontificii, quo Apostolorum

p. 1–9. p. 7. §. 13. 9–17. 17–21.

rum continentur acta. Tertiam in *Cap. IV* classem ii, qui a Latinis librariis exarati sunt, Codices occupant; quo numero Cantabrigiensis, nec non Claromontanus a *Theodoro Beza* vocatus, San-Germanensis, alias Corbeiensis dictus, Latinus Venerabilis Bedæ ex Sardinia delatus, Græco-Latinus Epistolarum Pauli, atque Bœrnerianus, sunt habendi. Ita enim legendum loco *Bomerianus*. Hunc nimirum Codicem ex Bibliotheca *P. Francii* sibi comparavit C. F. *Bœrnerus*, (non *Bomerus*) sacrarum literarum in hac Academia nostra primarius Doctor. In *Cap. V* descriptio Codicum Græcorum juniorum, & in sectione quidem I Codicum Gallicanorum 74, in II Anglicanorum 52, ac denique in III variorum hinc inde repertorum sistitur. *Cap. VI* enarrat expenditque omnes, qui N. T. usque ad tempora Constantini M. usi sunt, scriptores Græcos, Ebionitas, quorum Evangelium a priscis Ecclesiæ doctoribus allegatur, *Hermam*, *Barnabam*, *Clementem Romanum*, *Ignatium*, *Polycarpum*, *Papium*, *Valentinum*, hujusque amicos, *Montanum*, *Lucianum Samosatensem*, *Celsum*, oracula *Sibyllina*, *Phocylidem*, protevangelium *Jacobi*, *Justinum* Martyrem, *Irenæum*, *Tatianum*, *Theophilum*, *Athenagoram*, *Clementem Alexandrinum*, *Hippolytum*, *Origenem*, *Ammonium Alexandrinum*, *Julium Africanum*, *Porphyrium*, *Gregorium Thaumaturgum*, *Methodium*, *Dionysium*, *Petrum* Episcopum & Martyrem *Alexandrinum*, *Pierium* Martyrem, *Pamphilium*, *Hesychium Alexandrinum*, *Lucianum Antiochenum*. In *Cap. VII* ii Græci scriptores, qui seculo IV novo usi sunt Codice, velut *Eusebius*, *Athanasius*, *Petrus*, hujus successor, *Marcus Diadochus*, *Macarius*, *Ephrem Syrus*, *Marcellus*, *Eustathius*, *Julianus*, *Eunomius*, *Amphilochius*, *Basilius M.* *Gregorius Nyssenus*, & *Nazianzenus*, *Cæsarius*, *Asterius*, *Cyrillus*, *Didymus*, *Serapio*, *Theodorus*, *Epiphanius*, *Apollinaris*, *Diodorus*, *Theodorus Mopsuestenus*, *Chrysostomus*, *Titus*, *Polychronius*, *Timotheus*, *Pseudo-Dionysius Areopagita*, primum ob oculos ponuntur; hinc scriptores Græci seculorum usque ad decimum quartum ordine sequentium recensentur. His ita expositis, Versiones sub examen revocantur. Atque initio quidem *Cap. VIII* Latina, quæ & Italica dicitur, in medium pro-

p. 22–39.
39–49.
49–54.
55–62.
63–68.
68–72.
72–81.
81.

proferter, cujus origo ad medium seculi II, quo *Pius* Pontifex Italus fuit, videtur referenda. Hæc qualis principio fuerit, ex *Marcionis* N. T. Codicibus perquam scite eruditissimus conjicit Autor; eos etenim non ex Græcis exemplis, sed ex hac ipsa Italica conversione conflatos esse, primus ille, ut censemus, an-
p. 85. notavit. Ex eadem Anglico-Saxonica & Gothica adornatæ
87 seqq. sunt. Illius emendationem, jubente Papa Damaso, *Hieronymus* suscepit, quem & alii, quorum nomina indicantur, sunt se-
118-122. cuti. Unde vulgata demum exstitit, cujus variæ prostant edi-
123-125. tiones. *Cap. IX* de *Versione Coptica & Syra* agit. Illam D. *Wilckius* Oxonii A. 1716 primus edidit, temporibus *Origenis* atque *Eusebii* non antiquior censenda, ex qua translatio N. T. Arabica & Æthiopica prodiit. Hanc Lugduni Batavorum *Carolus Schaaf* A. 1708 evulgavit. In errore versantur, qui eam ab Apostolo aut Apostolico viro concinnatam esse contendunt, cum multa aut plane omissa, aut imperite nimis conversa sint. Quæ ex Florentino Codice *R. D. de Montfaucon* excerpsit, evincunt, in Hierapoli a *Philoxeno*, qui initio seculi VI vixit, ipsam eam curatam esse translationem. *Millius* in enotandis Versionis Syriacæ variantibus lectionibus sexcentis locis aberravit. Ceterum hæc in linguam Arabicam, Persicam, & demum in La-
126-128. tinam a *Tremellio* translata est. In *Cap. X de Editione Complutensi* sententia fertur, quæ non ita est, ut vulgo creditur, emendata, immo Chronologicæ obstant rationes, quo minus pro vero exploratoque admitti possit, exemplar Vaticanum ullum, quod tamen gloriantur, ad manus Complutenses habuisse Editores.
129-131. Fides ac peritia iisdem defuit, errata interdum docta atque affectata commiserunt, non antiquos, ut videri volunt, sed recentissimos secuti Codices, multa ex ingenio mutarunt, multa te-
132-140. mere omiserunt. In *Cap. XI de Editionibus Erasmi* disseritur. Harum quinque, prima A. 1516, altera A. 1519, tertia A. 1522, quarta A. 1527 prodierunt, quam postea quinta, eaque ultima, secuta est. Reprehenditur nimia ejus festinatio, quæ plurimis erroribus causam dedit. Hanc excusat valde, interdum inepte culpam in typothetas & correctores transfert, ad Codices, qui nusquam extant, provocat, & paucorum suorum Codicum ætatem

&

& fidem nimium extollit. *Cap. XII* Editiones *R. Stephani* considerat. Prima A. 1546, 16, secunda A. 1549, eadem forma, tertia 1550 in folio, quarta denique Genevæ, 1551, 8 prodierunt. Is in Codd. MSS. oscitanter versatus, Regios non nisi rarissime in consilium advocavit, eos, quos consuluit, vaga vetustissimorum appellatione nimis imperite designavit, & levitatis cum alia, tum hoc maxime dedit indicium, quod Capitum in versus distinctionem valde festinatam ineptamque concinnavit. Jam demum *Theodori Bezæ* Editiones exhibet *Cap. XIII.* Prima A. 1556 edita, Latinam modo versionem una cum annotationibus, reliquæ vero omnes, secunda A. 1565, tertia A. 1582, quarta A. 1589, & quinta denique A. 1598, textum etiam exhibuere Græcum. In hoc Editore multa jure notantur, ab aliis etiam animadversa. Ejusdem ingenium ex Epistola quadam *Castalionis*, quæ nunc primum ex *αὐτογράφῳ* editur, elucet. Sed MSS. Codices, Græci scriptores, atque variæ Versiones hactenus.

p. 141–144.

144–148.

147, 149.

Jam *Cap. XIV* variantium Lectionum Collectores atque Editores enarrantur, *Hugo Grotius, Henricus Hammondus, Brianus Waltonus, Stephanus Curcellæus, Jo. Pricæus, Jo. Saubertus, Jo. Fell, Jo. Colomesius, Rich. Simonius, Jo. Willius, Ludovicus Kusterus, Daniel Whitby, Georgius a Mastricht.* Sed & *Cap. XV Claris Interpretibus* locus erat dandus, quorum de Var. Lect. expenduntur judicia. Tales sunt, *Martinus Lutherus, Jo. Oecolampadius, Wolfgangus Fabricius, Martinus Bucerus, Conradus Pellicanus, Henricus Bullingerus, Wolfgangus Musculus, Jo. Calvinus, Simon Grynæus, Seb. Castalio, Amandus Polanus, Jo. Piscator, Rich. Baxterus, Jo. Clericus, Jo. Lockius, Fridericus Battierius & Theodorus Gernlerus,* Pastores Basileenses. Restat XVI, idemque ultimum *Caput*, in quo XIX Animadversiones & Cautiones ad examen variarum Lectionum N. T. necessariæ continentur. Has recensebimus : I *omnibus modis curandum est, ut habeatur Editio N. T. quam emendatissima.* II *ut vero emendatiorem ἔκδοσιν N. T. aliquando habeamus, omnia subsidia adhibenda sunt, quæ Critica Ars suppeditat.* III *in typis expressis Codicibus Præscriptio locum non habet.* IV *in accentibus & spiritibus apponendis, sententiis item distinguendis,*

149–157.

158–165.

165.

166–169.

169–179.

 dis,

dis, & in reliqua orthographia ratione, aliquanto major, quam
in ceteris rebus, necessario Editoribus libertas relinquenda est.
170-174. V *Emendationes ex conjectura petitæ, sicut non temere unquam*
admittendæ, ita nec temere rejiciendæ sunt. Ubi simul bre-
vis indiculus emendationum ex conjectura petitarum, quæ ma-
179. gnos in Ecclesia viros autores agnoscunt, exhibetur. VI *di-*
stinctio Variantium Lectionum in graviores & leviores nulli
179-184. *usui est.* VII *inter duas variantes Lectiones, si qua est εὐφω-*
νότερος, aut planior, aut Græcantior, alteri non protinus præ-
184. *ferenda est, sed contra sæpius.* VIII *Lectio exhibens locutionem*
minus usitatam, sed alioqui subjectæ materiæ convenientem,
præferenda est alteri, quæ, cum æque conveniens sit, tamen
phrasin habet minus insolentem, usuque magis tritam, eoque
confidentius, si ne commode quidem respondeat altera rei sub-
jectæ locutio. IX *Inter duas variantes Lectiones non proti-*
nus amplior atque prolixior breviori est præferenda, sed contra
potius. Errorem typographicum in paginis, quæ sequuntur,
188. animadvertimus. X *ubi ex duabus variantibus Lectionibus*
una totidem, iisdemque verbis exprimitur, atque in alio Scri-
pturæ loco eadem sententia expressa legitur, altera vero discre-
pantibus, illa huic nequaquam præferenda est. XI *Lectio cum*
stylo cujusque scriptoris maxime omnium consentiens, ceteris
188-194. *paribus, præferenda est.* XII *Inter duas variantes Lectiones*
ea, quæ magis orthodoxa videtur, non est protinus alteri præ-
194. *ferenda.* XIII *Inter duas Græcorum Codicum variantes Le-*
ctiones ea, quæ cum antiquis Versionibus consentit, non est al-
teri facile postponenda. XIV *Testimonia SS. Patrum pro as-*
serenda vera Lectione N. T. maximi sunt ponderis. Paginæ
hic iterum mutatæ minorem earum numerum efficiunt, dum
194. regula XV sequitur, quæ ita se habet: *Silentium Patrum cir-*
ca Lectionem controversam, ipsorum jam temporibus sententi-
am firmantem, suspectam eam reddit. XVI *Magnopere ca-*
vendum est, ne nostra faciamus errata eorum, qui V. L. colle-
gerunt, vel typothetarum. XVII *Lectio, quæ vetustior esse*
195. *probatur, ceteris paribus, præferenda est.* XVIII *Lectio pluri-*
um Codicum, ceteris paribus, est præferenda. Quæ regula si
forte

ſorte non ſit per ſe vera, ex libro *Coſri* hebraice ſcripta in medium affertur. XIX *Nihil prohibet, Lectionem a typis edita & vulgo recepta diverſam, in Textum recipere, non tantum, ubi idoneis argumentis aſſeri poteſt, verum etiam, ubi adhuc dubitatur, utra utri ſit præferenda.* p. 196–201.

Recenſitas haſce Cantiones accurate ſe obſervaturum ſpondet, qui novam hanc Editionem parat, doctiſſimus Autor. Ea cum improbum ſibi laborem expoſcat, uberrimas ipſi, ut ex ſententia exornetur, animi corporisque vires divinitus apprecamur.

Allgemeines Biblisches Lexicon.

hoc eſt,

LEXICON BIBLICUM UNIVERSALE;

Autore DANIELE SCHNEIDERO, Eccleſiarum Comitatus Erbacenſis Superintendente, ut & Conſiſtoriali & Paſtori Michelſtadenſi.

Tomus II.

Francof. ad Mœnum, apud Frid. Dan. Knoch, 1730, fol. Alph. 13 pl. 5 Tabb. æn. 8.

POſtquam de primo Tomo diximus in Actis Anni ſuperioris M. Jan. p. 9 ſq. non eſt, ut de altero hoc, qui a litera H ad R producitur, plura dicamus. Etſi vero hoc Tomo abſolutum iri Opus ſperabatur, ob rerum tamen copiam rejicienda erant reliqua in Tomum III, quem ante finem hujus anni, ampliſſimis Indicibus inſtructum, in lucem proditurum, non dubitant Editores. Ceterum illud ad commendationem Operis haud parum facit, quod, nondum edito Tomo II, primus, ob diſtracta exemplaria omnia, prelo iterum ſubjiciendus fuerit, cujus adeo editio altera una cum Tomo III comparebit.

THOMÆ DE ELHAM VITA ET GESTA

Henrici V, Anglorum Regis. E Codicibus MSS. vetustis descripsit & primus luci publicæ dedit THOMAS *HEARNIUS.*

Oxonii, e theatro Sheldoniano, 1727. 8.

Alph. 1 pl. 8.

SUffecerit de Opere hoc vel tribus, quod ajunt, verbis referre. Autorem ejus utique esse *Thomam de Elham*, etsi Codices plerique nomen ejus tacent, Priorem cœnobii de Lenton in agro Nottinghamensi, non Lanthoniensis in Comitatu Monumethensi, ut *Whartonus* censuit, qui Henrico V coævus, plurima a viris spectatæ fidei & autoritatis, qui rebus ipsi interfuerunt, & maxime a *Jo. Somersceto*, Archiatro Henrici VI, cui Opus consecravit, accepisse videtur, & præterea poema Latinum de rebus Henrici V, satis, ut ex specimine hic addito patet, perplexum ac parum jucundum, aliaque Anglico etiam sermone scripta reliquit, a Cl. Editore in Præfatione prolixius docetur. Stylus Autoris pro more ejus seculi hispidus & inæqualis; res tamen præcipuæ, quas tum in Anglia tum in Gallia præclare gessit, tum & domesticæ, copiose satis enarrantur. Ceterum Cl. Editor, ut alias consuevit, & huic Operi appendices adjecit, nostro judicio non admodum memorabiles, & arrepta occasione Præfationi inspersit nonnulla a proposito alieniora. Quo spectat, quod *Jac. Tyrrellum*, trium Historiæ Anglicæ Voluminum Autorem satis copiosum, sed minus accuratum, quippe judicio destitutum, vocat, eumque magnum volumen reliquisse testatur Historiæ Anglicanæ, nondum typis excusum & luce forte indignum. Qua occasione in Autorem Historiæ sui ævi (*Burnetum*) acerbissime invehitur, quod fabellas mendaciaque pro vera historia venditaverit, eumque fabulatorem potius & nugatorem, quam Historicum vocandum censet, ut execrationes additas taceamus, quæ ex quo fonte proveniant, facile dijudicabunt, qui non ignorant, *Hearnium* jam pridem ob fidei juramentum Wilhelmo III negatum officio, quo fungebatur in Academia Oxoniensi, motum esse, & Jacobitarum partes adhuc sectari. Unde vero didicerit, *Joannem Johnsium*, libri de scripto-

ptoribus Philos. Autorem, Virum per se satis celebrem, nominari re vera *Marquardum Gudium*, quod nemini, quod sciamus, adhuc in mentem venit, in medio relinquimus.

HISTORIA VITÆ ET REGNI RICARDI II Angl. Regis, a Monacho quodam de Evesham consignata. Accessit JO. ROSSI Historiola de Comitibus Warwicensibus & alia. E Codicibus MSS. nunc primus edidit THOMAS HEARNIUS.

Oxonii, e theatro Sheldoniano, 1729, 8.

Alph. 1 pl. 8.

NEc de hac Historia multa verba nobis facienda sunt. Producit Cl. *Hearnius* primo loco e Bibl. Cottoniana scriptorem Anonymum, cœnobii Eveshamensis quondam monachum, in Richardum II haud iniquum (etsi nec ipse censeat eum invitum Regno cessisse) nec *Walsinghamo* inferiorem, & forte ætate ipso superiorem, tanto majori in pretio habendum, quanto magis suspecti sunt plerique ejus temporis scriptores, perduellium cœtui addicti, qui optimum Principem & formosum ceu animo & corpore deformem ac Tyrannum nobis depinxerunt. Quo in numero habet *Johannem Gowerum*, Poetarum post *Chaucerum* suo seculo facile principem, qui cum acerbissimum in Regem hunc, pariterque in clerum, odium prodat, Nostro luce plane indignus videtur. Inprimis vero dolet, sub Henrico VI plurima in scriniis ab amicis ejus, quibus ad ea aditus patuerit, fuisse suppressa, & conficta alia & memoriæ prodita, quæ ad opprobrium spectarent familiæ Eboracensis; eoque suadet, diligenter ea quoque investiganda, quæ passim apud privatos lateant, & tum illam sub Henrico VI, tum posteriores etiam strages sub Henrico VIII & Carolo I factas evaserint. Ceterum cum Autor hic paucas plagulas compleret, alia subjunxit Cl. Editor, inprimis *Johannis Rossi* Historiolam de Comitibus Warwicensibus Anglico sermone scriptam, & a *Thoma Wardo* suppeditatam, tum *Jo. Berebloci* Commentarios Latinos

de rebus gestis Oxoniæ, ibidem commorante Elisabetha Regina, & *Richardi Wynni* lepidam narrationem historicam de Caroli Walliæ Principis (Jacobi I filii) famulorum in Hispaniam itinere A. 1623 Anglice exaratam. Sed hæc etiam in titulo commemorantur: accessit præterea appendix, qua continentur specimina duo e codice Epistolarum familiarium Josephi Eveshamensis; *Tryvytlami* carmen de laudibus Oxoniæ, pro fratribus mendicantibus contra monachos Benedictinos, Cistertienses &c. *Jo. Rossi* Historia Richardi Beauchamp Com. Warwicensis; e *Simonis D' Ewes* Commentariis MSS. de vita sua excerpta de itinere Caroli Principis in Hispaniam, de damnis a Georgio Duce Buckinghamiæ Regno illatis, ejusque morte & forma spectatissima, deque casu *Franc. Baconis de Verulamio*, Angliæ quondam
p. 388. Cancellarii, & flagitiis illius summis, inter quæ detestandum quoque Sodomiæ scelus ei objicitur, quam cum servulo, eodem lecto decumbente, spreta exercuerit uxore, ne tum quidem ab eo abstinens, cum munere splendidissimo motus in summa rerum omnium inopia viveret. Appendicem excipiunt curæ secundæ, ubi
389 sq. inter alia probat Noster, *Wiclefum* hypocritam fuisse, &, quæcunque egerit religionis prætextu, re vera comparandæ famæ causa egisse. Tacemus, quæ in Præfatione adversus *Guil. Fabrum*, Ecclesiæ Anglicanæ sacerdotem, jam pene octogenarium, qui nuper librum vernaculum prolixum, *Annales Collegii Universitatis* inscriptum, ediderat, de antiquitate Universitatis Oxoniensis acerbissime disputat Cl. Editor, diserte eum scriptorem vocans ferreum & mendacem: quo jure, alii viderint.

M. GEORGII LIZELII HISTORIA POETARUM Græcorum Germaniæ, a renatis literis ad nostra usque tempora.

Francof. & Lipsiæ, apud Rothium, 1730, 8.
Alph. 1 pl. 1.

QUod de Italis præstitit *Laur. Crassus* in libro *Istoria di Poeti Greci*, Neap. 1678, in fol. edito, quo non tantum veteres Poeta,

Poetas Græcos, sed inprimis etiam recentiores eosque cives suos complexus est, id quodammodo imitatus videtur in Germanis nostris, qui post renatas literas carmen Græcum scripsere, Cl. Autor, ceteris quidem antiquis & ad Germanos haud spectantibus plane prætermissis. Postquam ergo in Prolegomenis civium nostrorum gloriam honoremque a cavillationibus *Clerici*, *Callierii*, aliorumque exterorum vindicavit; primo loco producit *Jo. Reuchlinum*, primum nempe Grajarum literarum in Germania restitutorem, eumque, de quo Autor noster Suevus summopere gaudet, e gente Suevica, quæ nulli (ut ipse ait) unquam populo aut arte aut Marte inferior fuit, oriundum. *Reuchlinum* sequitur *Phil. Melanchthon*, cujus vitam a *Camerario* scriptam brevibus refert, unum hoc monens, *Morhofium* olim errasse, cum existimaverit, nunquam *Euripidem* a *Melanchthone* lingua fuisse Latina donatum. Excipit hunc *Bernh. Tegederus*, quem in Poetarum numerum referre nullus dubitavit Autor, quanquam, an poemata ejus typis excusa sint, ipsi haud constiterit. Celebrior est *Casp. Urs. Velius*, in Danubio flumine exanimis repertus, quo se vitæ pertæsus, & domestico malo, malam puta uxorem, confectus, præcipitaverat. *Luscinius* egregia condidit poemata Græca, & cum Cl. *Lizelius* unum carmen heroicum Græca & lamentabili voce compositum viderit, nullum ipsi inde fuit dubium, quin & alia ediderit poemata, a se hactenus nondum visa. Sequuntur postea multi Poetæ, qui vel unum carmen, vel nonnulla epigrammata, vel unum alterumque epithalamium construxerant, quorum nomina, ne patientia lectorum abutamur, silentio præterire fas erit. Præcipuos tamen dabimus, quos inter suum tuetur locum *Joan. Lonicerus*, qui, prouti in promovendo literarum Græcarum studio assiduus fuit, sic & ipse Epithalamia, Epicedia & Epigrammata moralia innumera scripsit; *Joach. Camerarius*, eruditis notior, de quo notat Noster, quod vulgo Annotationes in *Dion. Afrum* de Situ Orbis ipsi adscribantur, cum tamen verus Autor fuerit *Joannes Camers*, Ordinis Minorum & S. Th. Prof. *Jac. Mycilli* merita in poesin Græcam sunt insignia, ut & *Seb. Castellionis* p. 51, atque *Georg. Fabricii* p. 55. Sed ubi *Hieron. Wolfii* poemata Græca extent, reperire non potuit

p. 1. 18. 24. 25. 28. 36. 43. 47. 62.

potuit Autor. *Conr. Gesnerus* p. 64, *Flacius Illyricus* p. 71, *Casp.*
Stiblinus p. 73, locum hic quoque invenere suum. Prolixior au-
p. 81. tem fuit Autor in vita *Pauli Dolscii*, Consulis Halensis, comme-
moranda, quem Autorem Augustanæ Confessionis Græcæ ver-
sionis asserit; qua de re pluribus egit Cl. *Reineccius* in nova, quæ
sub prelo sudat, hujus versionis editione. *Michael Neander* p. 98,
Martinus Crusius p. 102, *Joannes Posselius* p. 117, *Nicodemus*
Frischlinus p. 132, *Laurentius Rhodomannus* p. 154, *Joan. Case-*
lius p. 173, *Æmilius Portus* p. 183, *Conradus Rittershusius* p. 193,
Nicolaus Reusnerus p. 202, *Matthæus Zuberus* p. 207, *Jacobus*
Gretserus p. 213, *Christophorus Helvicus* p. 223; *Erasmus Schmi-*
dius p. 234, *Jeremias Stæltzlinus* p. 242, *Joan. Ericus Ostermau-*
nus p. 264, *Balthas. Stolbergius* p. 274, *Jo. Gothofr. Herrichen*
noster, cujus vitam Autor ex Actis nostris descripsit p. 289, *Conr.*
Sam. Schurtzfleischius p. 306, *Christoph. Sontagius* p. 312, alios
inter quam plurimos eminent, quo factum esse autumamus, ut
Cl. Autor in vita scriptisque eorum recensendis interdum esset
prolixior, quam scopus argumenti sui pati videretur. Sequuntur
denique Viri, quos adhuc superstites multo honore prosequitur,
315. e. g. *Christ. Gottlieb Schwarzius*, in Academia Altdorfina Profes-
sor celeberrimus, qui *Herrichio* nostro in Græcis Magistro usus
316. est; *Hier. Freyer*, Pædagogii Regii, quod Glauchæ prope Halam
est, Inspector, cujus Fasciculus poematum Græcorum Nostro
319. commendatur; *Samuel Cnauthius*, Lipsiæ ab aliquot annis de-
gens, ubi in erudienda bonis literis juventute operam non inuti-
320. lem collocat, de quo nihil constabat Autori; & *Jo. Henr. Schulzi-*
us, Altdorf. Profess. tandemque Suevus, isque juvenis Philologiæ
studiosus, *Jo. Theophilus Walzius*, agmen Poetarum claudit.
Habes itaque, B. L. Poetas Germaniæ Græcos, quorum nu-
merum & augeri & minui potuisse, facile observabunt Lecto-
res, ut taceamus minutias quasdam libro irrepsisse p. 109, 112,
326 & alibi, quas omisisse satius fuisset. Ceterum spem facit,
se, si hæc opera, quam recensendis Græcis Germaniæ Poe-
tis impendit, eruditis placuerit, Latinos quoque Germaniæ
Poetas, quorum integrum exercitum conscripsit, in publicum
aliquando producturum. Quod ut in gloriam gentis nostræ fe-
liciter perficiat, pro nostro erga has literas amore
flagrantissime exoptamus.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Novembris Anno MDCCXXX.

Ὠριγένους περὶ εὐχῆς βιβλίον.

h. e.

ORIGENIS DE ORATIONE LIBER, EX nova Collatione cum Cod. MS. Holmiensi, in Bibliotheca Collegii S. Trinitatis Cantabrigiæ reposito, recognitus & emendatus, una cum Anonymi Scholiis in Orationem Dominicam. Quibus subjunctæ sunt Eruditi cujusdam Viri Notæ partim Criticæ, partim Locorum difficilium Exegeticæ, ab editore GUILIELMO READING, *A. M. Cleri Londinensis in Collegio Sionensi Bibliothecario.*

Londini, typis J. Tonson & J. Watts, sumptibus Editoris, 1728, 4. Alph. 1 plag. 7½.

CODici Holmiensi debemus, quod jam *Origenis* Librum de Oratione, qui tam diu latuerat, cum aliis ejusdem scriptis legere queamus. *Holmiensem* vocant, quia olim servabatur in Bibliotheca Ser. *Reginæ Christinæ*, in quam illatus est ab Celeb. *Isaaco Vossio*. Postea vero, cum Regina Bibliothecam suam Antwerpiam detulisset, hunc Codicem cum aliis repetiit *Vossius*, & paullo post cum *Herbarto Thorndicio* Anglo, Collegii S. Trinitatis Cantabr. Socio, communicavit, eidemque tandem dono dedit, qui Collegii sui Bibliothecæ legavit. Unicus est, quantum constat, hic Codex, in quo hoc scriptum *Origenianum* nobis est servatum. Itaque ex illo jam pridem typis describendum curarunt *Oxonienses*, sed mendose

admodum; nec multó melius *Basileenses*, qui Editionem Oxoniensem, paucis tantum exceptis, presse secuti sunt, licet index novam Græci textus cum MS. Cantabrig. collationem, & versionem Latinam passim correctiorem mentiatur. Post has duas editiones Cl. *Reading* eruditis rem fecit gratissimam, qui hanc tertiam evulgavit, prioribus longe emendatiorem & ornatiorem, atque ad Codicem manu exaratum summa fide, summaque diligentia exactam. Autorem emendationum & annotationum *Eruditum Virum* in Indice, in Dedicatione vero *virum singularis eruditionis animique in se benevolentissimi* vocat Cl. Editor. Sed quisquis ille fuerit, provinciam suam optime administravit, & ingenii ac eruditionis suæ bene multa documenta in his observationibus prodidit: quæ qualia sint, paucis videbimus. Primum omnium Editionem Oxoniensem passim castigavit, quando illa ab Codice MS. recessit. Sic pag. 8 nunc recto & sincero sensu legimus: διὰ τούτων γὰρ ἐμποδίζεται τὸ καθὸ δεῖ, ἐὰν μὴ καὶ κ. τ. λ. cum illa contra Codicis fidem dedisset διὰ τοῦτο—ἐὰν καὶ. Pag. 16 habemus: πρὸς τῷ προτέρῳ; at Ed. Oxon. πρὸ τῷ πρότερον, nullo sensu. Pag. 18 Ναζιραίου, pro quo Ed. Oxon. & ejus comes Basileensis substituerant Ναζωραίου. Pag. 52 verba ex autoritate MSpti nunc rite collocata sunt, quæ Ed. Oxon. mire trajecerat totumque locum luxaverat. Pag. 62 legimus: παρὸν ἑκάστῳ ἑαυτῷ ἀπὸ τῶν γραφῶν ἀναλέξασθαι πλείονα, quod male mutavit Ed. Oxon. in ἑκάστῳ τῶν ἑαυτῶν. Pag. 80 recte nunc ex MS. editur: παρὰ τὴν ἐνάργειαν, i. *præter rei evidentiam*, ut alibi *Origenes* loquitur; cujus etiam sunt παρὰ τὸ ἐναργὲς, παρὰ τὰ ἐναργῆ, item ἐναργῶς. Male autem hoc Ed. Oxon. mutaverat in παρὰ τὴν ἐνέργειαν: quali vitio apud *Simplicium* in *Epictet.* cap. XXXII ἐνεργῶς, pro ἐναργῶς legitur. Insignem præterea depravationem Ed. Oxoniensis, quam totidem verbis Ed. Basileensis iteravit, pag. 100 sublatam & emendatam videbis. Pag. 168 nunc legitur: ἵν' ἄκεντρος, καὶ ὠφέλιμος ᾖ i. *ut* (sermo) *aculeis careat, & sit utilis*, ubi perperam Ed. Oxon. ἵνα κέντρος, quod nihili est. Pag. 212 exhibetur τὸ ἀπευθυσμένον ἔντερον, idque ex *Galeno* & *Polluce* est notissimum;

mum; sed Ed. Oxon. τὸ πεπεισμένον, & Basileensis τὸ ἀπειθισμένον contra codicis fidem propinarunt. Ubi tamen MSti lectio aperte falsa est, non dubitavit ab illo recedere, cujus vitia & agnoscit, & fideliter multis locis indicat, & conjecturis probis emendare nititur. Sic pag. 16, ubi MS. solito librariorum errore offerebat ἀὐξαθαι, reposuit verissime εὔξασθε. Pag. 20 emendavit: ἄνθρωπος, ὃς ἐὰν ὀμόσῃ ὅρκον, ἢ ὁρίσηται ὁρισμῷ περὶ τῆς ψυχῆς αὐτοῦ, cum Codex hæc ita pervertat: ὅρκον ὁρισμῷ, ἢ ὁρίσηται, quod nimis supine Ed. Oxon. retinuit. Pag. 166 correxit: ὅτε δεῖ πᾶν ἀρσενικὸν ἐνώπιον φαίνεσθαι κυρίου θεοῦ, cum & MS. & Ed. Oxon. præferant: ὅτε δὴ πᾶν. Alibi satis habuit, emendationes suas in Notis proponere, licet eas in contextum non immiserit. Pag. 4 *Origenes Ambrosium* alloquitur: Ἀμβρόσιε θεοσεβέστατε καὶ φιλοπονώτατε. At Nostro magis placeret: Ἀμβρόσιε εὐσεβέστατε καὶ φιλοθεώτατε, quomodo fere ad finem Libri eundem appellavit. Pag. 12 corrupta illa Codicis: λόγων, ἢ καὶ ἐν ἐπαγγελλομένων ingeniose ita constituit: λόγων ἤκειν ἀπαγγελλομένων, cum Ed. Oxon. fecisset: λόγων, ἢ καὶ εὐαπαγγελλομένων. Plura videsis pag. 34 & seq. Pag. 40 codicis est: περὶ τοῦ ἐφ' ἡμῖν ἑτέρου, sed pro ultima voce Noster mallet ἡμετέρου. Pag. 70 editur: ἵνα αἰτῶμεν αὐτὰς sc. εὐχάς. Cum vero αἰτεῖν εὐχὰς minus recte dici visum sit viro doctissimo, legeret ille: ἵνα ἐπιτελῶμεν αὐτάς. Pag. 74 Codex legit: καὶ παῤῥησίαν ἔχοντος πρὸς τὸν ὢν ἐντυγχάνει; at Ed. Oxon. reposuit πρῶτον, pro illis πρὸς τὸν ὢν. Noster paullo melius emendat: πρὸς τὸν, ᾧ ἐντυγχάνει, aut πρὸς Θεὸν, ᾧ. Pag. 92 in MS. visitur: βασιλείαν δὲ χριστοῦ βασιλευόντων θεωρήσας ὁ νοῦς, pro quo Ed. Oxon. βασιλέα δὲ χ. βασιλευόντων. Noster concinnius: βασιλείαν δ. χ. βασιλεύοντος. Pag. 156 pro vulgatis: τρέφεσθαι τούτου αὐτοῦ, refingit τούτου ἄρτου. Pag. 190 pro: ταῦτα πάντα προσεκτέον, arridet Nostro: ταῦτα πάντα πρακτέον, cum alterum illud nec loco conveniat, neque constructioni. Cum ita *Origenem* suum emaculare studeat vir doctissimus, interdum & aliis medicinam adhibere non obliviscitur. Pag. sane 153 in *Plutar-*

cho de Repugn. Stoic. pro πνεύματα ἕξεις δὲ legendum esse censet: σώματα ἕξεις δὲ, quæ emendatio paullo violentior videtur. Sed tales aliorum autorum correctiones in his notis rarissimæ sunt. Frequentiores sunt istæ observationes, quibus indicatur, quando *Origenes* in citandis Scripturæ S. verbis a receptis Edd. abeat. Ita pag. 22 *Adamantius* verba ex 1 Reg. I comm. 9 proferens legit: καὶ αὐτὴ ψυχῇ πικρᾷ, cum in omnibus Edd. τῶν ό legatur: κατώδυνος ψυχῇ. Pag. 94 in Oratione Dominica agnoscit *Origenes*: ὡς καὶ ἡμεῖς ἀφήκαμεν τοῖς ὀφειλέταις ἡμῶν, quod & Sect. 62 iteravit, cum vulgo apud *Matthæum cap. VI* comm. 12 legatur ἀφίεμεν. Pag. 164 invenies: τὸ ὑπερβάλλον πλῆθος τῆς χάριτος αὐτοῦ, ex Epist. ad *Ephes. cap. II*, comm. 7, ubi τὸν ὑπερβάλλοντα πλοῦτον scribunt vulgo. Pag. 6 *Origenes* Christum præcepisse scribit: αἰτεῖτε τὰ μεγάλα, καὶ τὰ μικρὰ ὑμῖν προστεθήσεται, & eadem verba aliis libris sæpissime Christo tribuit, quod & fecit *Clemens Alexandrinus*, *Eusebius* & quidam alii. Quæ verba, cum in Evangeliis non reperiantur, cum doctissimo *Grabio* suspicatur ex Evangelio secundum Hebræos desumta esse. Hac occasione fieri non potuit, quin passim diligentissimum *Millium* notaret, quando is in annotandis ex Patribus, & hoc maxime libro variis lectionibus negligentius versatus est, quod cum alibi, tum p. 147, & 175 videre poteris. Contra *Origenem* suum vindicat ab imputatione *Hieronymi* pag. 117 de Deo corporeo, & pag. 212 ab aliorum calumniis, qui illi affinxerunt, quod docuerit, omnes mortuos conglobata figura resurrecturos, & in cœlo omnes beatos rotundos fore. Non tamen operit singularia ejus dogmata, quin potius ex aliis ejusdem scriptis novas opiniones, quas hic legimus, confirmat. Vides nempe pag. 50 *Originem* statuisse, Angelos & sanctos defunctos preces suas precibus piorum in hac vita adjungere: item pag. 78 sqq. solum Deum patrem προσευχῇ adorandum esse, non filium; quod tamen vir doctus haud infeliciter explicuit, ut eum sana doctrina conciliari queat: item pag. 164 futuro etiam seculo esse peccatorum remissionem, quod quidem *Origenes* passim inculcat, per verba Christi de

pec-

peccato in Spiritum S. male intellecto abstractus. De ipso scripto, quod in manibus habemus, possemus & nos pronunciare, esse illud plane Origenianum, si dogmata, stilum, modum probandi & demonstrandi respicias: at mancum & mutilum ad nos pervenit, quod ab aliis non est animadversum. Non respicimus autem ad lacunas illas in principio libri pag. 4 & 6, quas ipse Codex MS. & Edd. annotarunt; sed ad demonstrationem illam a pag. 22, de precum efficacia, quam contra paganos & Christianos quosdam aliter sentientes proferre volebat. Ubi animadvertes, caput primarium demonstrationis deficere. Non hoc ipsi Autori imputabimus, quasi is tacite refugerit onus probationis, utut in quibusdam Patribus ecclesiasticis hoc non sit novum; excidisse potius quædam ex scripto censemus, &, ni fallimur, Sect. XXI hiatus indagandus erit. Ibi enim & verba minus apte procedunt, & *Origenes*, præter morem, ad rem prorsus diversam, uno tamen contextu, ut vulgo edunt, prolabitur. Ceterum probas multas doctrinas admiscet Autor, qualis est illa pag. 122 *de nomine Dei* observatio egregia. De Versione hoc unum admonemus, eam sæpe Græca vocabula retinuisse, non tantum ubi ad vocabula Græca respiciendum erat, v. gr. ubi *εὐχὰς* & *προσευχὰς*, item *δεήσεις*, *προσευχὰς*, *ἐντεύξεις* & *εὐχαριστίας* solicite distinguit; sed etiam ubi hæc ratio non cogebat, sed singularis quædam vis in verbis Græcis sita erat. Sic invenies pag. 11: *Spiritus pro nobis ὑπερεντυγχάνει apud Deum gemitibus inenarrabilibus*, ubi *ἐντυγχάνειν* & *ὑπερεντυγχάνειν* sæpius repetitur, quod & factum pag. 75. Item pag. 126 *ἁγιασθήτω* in imperativa forma prolatum, & similia Græca habentur. Sed qua necessitate pag. 161 & 163 *σήμερον*, ac *χθὲς καὶ σήμερον* in Latinis retinuerit, non ita perspicuum est. Talia observabis etiam pag. 205. De adjunctis *Anonymi Scholiis in Orationem Dominicam* observandum, ea male a quibusdam *Origeni* attributa esse, cum tamen stilus sit longe diversissimus, & multa *Origenis* menti plane contraria in iis occurrant. *Huetius Petro Laodicensi*, sub cujus nomine ea in Bibliotheca Patrum Latine leguntur, adjudicat, & Latina illa hic pro Versione exhibentur. In notis

tis præterea oſtenditur, duo inſignia loca Autorem Schollorum mutuatum eſſe ab *Chryſoſtomo*, ut eo minus veroſimile ſit, *Origenem* eorundem eſſe Autorem.

JO. HENR. A SEELEN, SS. TH. LIC. ET Gymn. Lub. Rect. Meditationes Exegeticæ, quibus varia utriusque Teſtamenti loca expenduntur & illuſtrantur.

Lubecæ, ſumtu viduæ B. Jo. Chriſt. Schmidii, 1730, 8.
Alph. 2 pl. 5.

SOlenne jam diu viris fuit eruditis, ut, ſi quas ſeparatis temporibus publicæ luci expoſuerunt, minores ſcriptiones, quæ in paucorum manibus verſantur, eas demum, uno faſciculo incluſas, cum erudito communicarent orbe. Horum quoque veſtigia ſecutus eſt clariſſimus, quem modo honoris cauſa appellavimus, Autor, utpote qui duodeviginti ſeparatim antea editas, conjunctim jam exhibet meditationes, easque exegeticas, ſed nonnullis hinc inde acceſſionibus locupletatas.
p. 1—24. Ac I quidem integritatem vocis ἐπειράσθησαν, *tentati ſunt*, *Hebr. XI, 37*, tuetur, ita quidem, ut, exploſa eorum ſententia, qui eam aut emendandam, aut plane delendam cenſent, partim optimæ probatæque notæ Codicum Græcorum conſenſus, partim commoda, quam ipſa admittit, explanatio, in cauſæ advocetur patrocinium. Reſpicitur hac nimirum voce ad tortores, equuleos, & alia ſuppliciorum inſtrumenta, quibus veritatis divinæ teſtes atque martyres olim ſunt vexati, factis in ipſorum corporibus carnificinæ variæ experimentis.
25—59. Tum II examinat ſententiam *Sam. Basnagii* de vaticinio Jacobi, *Gen. XLIX, 10*, in Annalibus Politico-Eccleſiaſticis Tom. I §. 24 p. 21, ab eo propoſitam, qua Judæ poſteris ſceptri ablati reſtitutionem in Meſſia futuram hic promitti, exiſtimavit, hac uſus verſione: *Sceptrum legislatorve de Judæ ſanguine cretus, ab eo non recedet in perpetuum, quia veniet Silo.* Ubi, poſtquam evictum eſt, judaizantem hanc, atque periculoſam, falſisque fundamentis innixam eſſe interpretationem, & ipſa allata converſio cum

accen-

accentibus & Linguæ Ebrææ genio pugnare demonſtratur. Jam III חנוך ſive *de inſtitutione juventutis apud veteres Ebræos ad Prov. XXII, 6*, ex inſtituto agit. p. 60–97. Evolutis nimirum philologice ſingulis vocibus, hæc additur paraphraſis: *Inſtitue ita puerum & adoleſcentem, quem honeſtam in poſterum vitæ viam ire cupis, prout in eo ſe manifeſtat indoles & inclinatio, ut ad iſtud ſe applicet, ſive ad hanc vel illam virtutem, — ut eam ſemper magis magisque diſcat excolere, ſive ad hoc vel illud vitium, in quod proclivis eſt, ut id mature devitet. Hærebit hæc inſtitutio ad indolem ejus accommodata, isque in ipſa etiam ſenectute, imo usque ad finem vitæ, ejus fructus ſentiet, nec facile ab ea recedet.* His ita expoſitis, uberius declaratur, qua ratione, veteres inter Ebræos, non ſolum patres domi in rebus divinis ſuos erudiverint liberos, ſed quo etiam pacto præceptores in Synagogis ſive ſcholis publicis, juvenes, jactis veræ religionis ac pietatis fundamentis, liberales artes, principem inprimis linguam, eloquentiam, poëſin, hiſtoriam, genealogiam, geographiam, logicam, phyſicam, matheſin, morumque docuerint ſcientiam. In IV inquiritur, quid 98–142. & quinam ſint Ἀστέρες πλανῆται, *Jud. com. 13.* Poſtquam quatuor interpretum opiniones, qui vel ad *planetas*, vel *cometas*, vel ad *cadentes ſtellas*, vel *ignes fatuos* ibi reſpici, arbitrantur, prima & ultima præfertur, adeoque aut altera deligenda, aut utraque conjungenda. Hæretici antiqui, Simoniani, Gnoſtici, Nicolaitæ, Baſilidiani, aliique videntur peti. Exhibet V 143–168. *annotationum philologicarum in N. T. ex Plutarcho crutarum ſpecimen.* Illuſtrantur vero ſequentes loci: *Matth. I, 18, δὲ, VI, 7, πολυλογία, VII, 6, βάλλειν τοὺς μαργαρίτας ἔμπροσθεν τῶν χοίρων, XIII, 13, βλέποντες οὐ βλέπουσι, κ.τ.λ. XX, 23, βαπτίζεσθαι, XXVII, 5, ἀπάγχεσθαι, Marc. VII, 22, ἀσέλγεια, Luc. XVI, 19, πορφύρα, XXI, 34, κραιπάλη, Jo. IX, 21, ἡλικία, Rom. VIII, 7, φρόνημα, XI, 22, ἀποτομία, XIV, 12, λόγον δοῦναι, 2 Cor. III, 18, κατοπτρίζεσθαι, 1 Tim. III, 2, ἀνεπίληπτος, 2 Tim. III, 10, ἀγωγὴ, 16, ἐπανόρθωσις, Jac. II, 19, φρίσσειν, V, 15, κάμνειν, 1 Pet. IV, 3, κῶμοι & πότοι.* Meditatio VI 169–191. Verſionem Lutheri *Matth. I, 19*, vindicare conatur. Sequitur 192–206.

VII

VII *de anno coronato* ad *Psalm. LXV, 12,* inscripta, quo nomine, sensu quidem literali, unusquisque annus, beneficiis oeconomicis ornatus, indicari, e totius psalmi connexione ostenditur.
p. 207–244. Porro VIII *Jesum in Jesu Sirachide frustra quaeri,* contendit ad *Eccles. XLIII, 25,* ubi Biblia polyglotta Anglicana, quae alii Codices sequuntur: καὶ ἐφύτευσεν αὐτὴν Ἰησοῦς. Sed alii Codd. non Ἰησοῦς, sed νήσους, *insulas* habent. Vera lectio haec est: ἐφύτευσεν ἐν αὐτῇ νήσους. Sed librariorum culpa factum censetur, ut, altero ἐν omisso, ι ad sequentem Syllabam, ν vero ad praecedentem arcesseretur. Itaque μέγας Κύριος ex v. 6, 33, 34, 38, huc etiam pertinet. Verbum autem φυτεύειν de insulis rectius dici probatur,
245–371. aliaque lectu non indigna proferuntur. IX Dissertationem theologicam inauguralem, ad *Eph. II, 11, 12,* quam in Academia Rostochiensi A. 1725, solenni ritu clarissimus defendit Autor, continet. Ea tribus constat Sectionibus, quarum 1 exegetica,
372–430. 2 polemica, 3 moralis, multa erudita complectuntur. X exhibet Θεολογούμενα *ex inscriptionibus Biblicis,* quae sunt: *Joan. XIX, 29, Act. XVII, 23,* & ultima: Ἀποκάλυψις Ἰωάννου τοῦ Θεολόγου; has omnes pluribus illuminatas reperimus. Me-
431–445. letema XI *Legem Regiam, Jac. II, 8,* exponit, eamque ab universalitate & amandorum & amantium appellationem accepisse contendit, dicendi ratione ab Hebraeis, quibus דרך המלך
446–537. est via universalis, petita. In XII meditatione μυθολογούμενα, *quae in Actis Apostolicis occurrunt,* proponuntur, nimirum: *Act. XIV, 12, 13, XVII, 18, 23, XXVIII, 11, XIX, 24, 27, 28, 34, 35, XXVIII, 4,* quae loca singula ex antiquitate Graeca Romanaque
538–604. illustrata sunt. Commentatio XIII, *de sigillo mystico,* ad *Cant. VIII, 6,* tractat. Ineptis autem explicationibus rejectis, *Sponsam* ad Sponsum loquentem induci, ex affixis masculinis in לִבֶּךָ & זְרוֹעֶךָ demonstratur, & illustrata de sigillis materie, cum mysticae obsignationis actus, tum sponsi simul imago,
605–664. ex sanctiori disciplina erudite describitur. Medit. XIV de *Magdalii Jacobi laboribus Biblicis, corrigendae inprimis versioni Latinae vulgatae impensis* commentatur. Ex Correctorio ejus sequentia recitantur, notisque illustrantur loca: *Gen. I, 3,*

I, 3, II, 18. IV, 8, 10, 26, VI, 3, XI, 28, XXXIII, 19, XXXVI, 24, XLI, 45, Exod. III, 2, 14, VI, 3, XXXIV, 30, Deut. IV, 19, Esdr. II, 63, Psalm. CXXXII, 17, Es. IX, 6, Jer. VII, 18, Ezech. IX, 4, Matth. II, 23, VI, 13, Marc. V, 35, XV, 21, Luc. II, 2, X, 21, XII, 35, Jo. VIII, 19, XIX, 13, Act. I, 4, 15, IV, 36, V, 3, XXV, 16, XXVIII, 11, 1 Cor. XI, 10, 2 Tim. IV, 13, 1 Jo. V, 8. In
XV locus *Es. LXII, 5*, explicatur; XVI vero de *fortitudine in* p. 665–681.
Domino, ad *Eph. VI, 10*, theologice disseritur. In XVII *vindiciæ* 682–700.
conjugii secundi ex *Gen. XXV, 1, & aliis locis Biblicis, adver-* 701 – 733.
sus Tertullianum, continentur. Meditatio denique XVIII ea- 734 – 752.
que ultima *de salute sacerdotibus a Deo Psalm. CXXXII, 16, promissa* tractat, totumque Opusculum finit, si ab indicibus, qui sequuntur, discesseris.

Quod reliquum est, in spe sumus certissima, doctissimum Autorem ea, quæ jam collegit, reliqua varii argumenti minora scripta editurum, atque adeo, quæ in Præfatione dedit, promissa, quam primum potuerit, exsoluturum.

CHRISTOPHORI WOLLII, A. M. S. THEOL. Bacc. & ad D. Petri Catechetæ Lipsiensis, Schediasma Historico-Theologicum de Jesu Spirituali in Anglia redivivo, ubi de Historia, usu & abusu Allegoriarum Patristicarum in Exegesi sacra contra THOMAM WOOLSTONUM, *Anglum, ex instituto disseritur.*

Lipsiæ, ex officina Jo. Christiani Langenhemii, 1730, 4.
Plag. 9.

Etsi libertas sentiendi genuina debitisque limitibus circumscripta præcipuis ævi nostri ornamentis annumerari meretur: ea tamen, dici non potest, quam grandi, ut fit, abusui hodie sit exposita. Nusquam vero ampliorem illa campum, quam in Anglia, nacta est, ita quidem, ut & ipsa sanctissima Christianæ religionis mysteria a quibusdam luxuriantibus ingeniis loco moveantur. Ut alia jam documenta taciti prætereamus, abusum ejusmodi perinsignem, eumque atro lapillo notan-

tandum, in orbis Christiani scenam produxit, magnasque in Anglia turbas excitavit *Thomas Woolstonus*, Theologiæ Baccalaureus, Collegiique Sidnei Cantabrigiensis antehac socius, qui sex *Discursus super miracula Salvatoris* Anglicano sermone Londini CIↃ IↃCC XXIX, 8, edidit. Atque hos ipsos haud segniter perlectos sub examen revocavit præsentis Schediasmatis Autor, ea tractandi ratione usus, ut uno atque viginti paragraphis, critice, philosophice, atque historice, Allegorias Patristicas infirmet ac diluat, & Anglo supinam, in qua versatur, ignorantiam ubivis ob oculos ponat. In §. I nova statim sententia describitur, atque monstratur, *Woolstonum* literalem sacræ N. F. historiæ, qua miracula ab Opt. Max. Salvatore peracta continentur, explanationem, absurditatibus, contradictionibus, incredibilibusque rebus scatere semel, iterum, atque sæpius affirmasse, & allegoricas Patrum interpretationes revocare in or-
p. 8. bem voluisse. Ita, ut §. II docet, consilium iniit literalem atque carnalem explodendi, unicumque *spiritualem*, vel, si mavis, *allegoricum* commendandi *Jesum*, quem, cum ex verendis divorum Patrum cineribus, spinosistico conatu, ille excitaverit, *in Anglia redivivum* noster appellitavit Antagonista. Evolvit simul πρῶτον ψεῦδος, observatque, *Woolstonum*, historias miraculorum sacras fabulis accensentem, in Patribus κατ' ἄνθρωπον quæsivisse præsidium, Episcopalibus nimirum, seu Hierarchicis Anglicanis, apud quos ob divinam, quam inde repetunt, Episcopatus originem & ob antiquæ Ecclesiæ cærimonias, magna Patres autoritate valeant, glaucoma quoddam docto
10. hoc dolo ob oculos objecturum. Tum indicatur præsentis instituti ratio, quæ, ut ipsa Angli principia convellantur, tumque sua sponte, quæ hinc eliciuntur, consectaria corruant, per septem Axiomata fit, quæ singula demonstrantur, illustrantur & applicantur. Non erit abs re, hæc exscribere, & nonnulla sin-
10-12. gularia paucis commemorare verbis. Axioma I, §. III, "*Absurdum valde est, discernere inter Jesum literalem sive carnalem, atque spiritualem.* Cum Logica scilicet arte pugnat, a sensu, qui, sive literalis, sive allegoricus sit, nullam in re mutationem
12-14. efficit, divisionem aliquam petere. Ax. II §. IV *sine accurata*

sen-

ſenſus literalis & allegorici definitione confuſe res agitur. *Woolſtonus* ſenſum literalem & allegoricum definitione non explicavit, adeoque omiſſas has definitiones, utpote quæ ſunt conclusionum principia, hic ſuppeditatas reperire licet. Hinc p. 14-17.
§. V ambiguitas tollitur. Etenim cum & ſenſus literalis improprius jure ac merito *allegoricus* dicatur: hic tamen per *allegoricum*, quem & *ſpiritualem* vocat, ſenſum, non alium, quam *myſticum* ſeu *typicum* ab Anglo indicari, ex ipſis miraculorum, quæ vexavit, exemplis enarratis evincitur. Axioma 17.
III, quod §. VI legitur, ita ſe habet: *Patres priſci, miracula Chriſti explicantes, hiſtoricum ſive literalem ſenſum allegorico ſeu typico non oppoſuerunt, ſed utrumque conjunxerunt, non tam genuinam criticam, quam veterem philoſophiam, ſuique ævi ſecuti morem.* Id poſtquam ex ipſa Patrum hiſtoria evi- 18, 19.
ctum eſt, exinde §. VII concluditur, *Woolſtonum* Patrum, tamet- 19-21.
ſi videri velit, haud eſſe ſecutum veſtigia: hos ex præjudicio bonæ intentionis excuſatius peccaſſe, illum vero ex malæ intentionis præjudicio peccantem excuſari a nemine poſſe; Patres, etiamſi univerſa eorum caterva cum Anglo ſe conjungeret, non eſſe ipſam fidei analogiam, neque ipſorum effata, ſi a ratione ac cœleſti revelatione abhorreant, oraculorum habenda loco. At capitales ejusmodi errores Patribus non debentur. Itaque §. VIII in originem allegoriarum patriſticarum 25.
curatius inquiritur. Antiqui eccleſiæ doctores erant criticæ artis, & linguarum originalium ignari, & de doctrinæ Chriſtianæ propagatione, deque vita ad eam recte inſtituenda, magis, quam de criticis rebus, ſoliciti; quorſum adeo allegorica com- 28.
parata erat methodus. Cui etiam cauſam dedit Philoſophia priſci ævi ænigmatica, quam ex Ægypto *Plato*, cujus in verba, ante adſcitam Chriſti civitatem, Patres juraverant, ſecum attulerat. *Origenis* nimium Allegoriarum ſtudium ipſi reliqui Patres, *Epiphanius, Hieronymus, Baſilius, Chryſoſtomus, Auguſtinus*, aliique notarunt. Erat ille Catecheſium Alexandriæ 23.
Magiſter, inde a Judæis Alexandrinis allegorias acceperat tanto quidem facilius, quanto erat natura ad ingenii ludos propenſior. Hinc allegoriæ ideæ erant familiares, cerebro illius

nimis firmiter impressæ, & quavis adeo recurrentes occasione. Nomen adamantini Patris, & quicquid ex ejus schola prodiit, inter antistites tertii a C. N. seculi maxime orientis, augustum fuit & venerabile: quare mirum haud est, multos discipulos exemplo sui erravisse magistri. Ejusdem ingenii monimenta tantum eo tempore consecuti erant applausum, ut, quicquid etiam perverse traderet, doctrinæ propemodum publicæ existimationem obtineret. Ipsi præterea Judæi, allegoriarum amici, occasionem Patribus præbuerunt, multa de Christo ora-
p. 24. cula mystice interpretandi. *Origenes*, ejusque æmuli, easdem allegoricas regulas, quas Platonici Philosophi in fabulis de diis, horumque rebus gestis exponendis adhibebant, in explanandis sacris literis usurpare non verebantur. Adeo usitatæ tum erant mysticæ ἐξηγήσεις, ut literales periculo minus carerent; id quod *Theodori Mopsuesteni* memorabili docetur exemplo,
25. quem *Eusebius*, *Chrysostomus*, *Theodoretus*, *Theodorus Heracleotes*, & alii sequi renuebant, allegoriarum Origenianarum nimils amicis causam minime daturi invidiæ. *Henricus Wottonus* hac occasione quodammodo excusatur, quod Patrum auto-
27. ritati nimium tribuisse videatur, qua tamen & *Guilielmus Whistonus* ad *Arianam* hæresin inde confirmandam jam pridem abusus est. In §. IX probatur, has Patrum allegorias nævorum atque vitiorum haud temere imitandorum habenda esse nume-
28. ro. Mysticus sensus *innatus* ab *illato*, & ex ingenio, atque extra oleas vagabunda imaginatione confecto, caute discerni-
29-32. tur. Cujus & damna indicantur, &, si allegoriæ hodie valere deberent, cothurnatam hinc, & cum *Aristophanico* illo φλαττο-θραττοφλαττοθρατ comparandam exorituram Theologiam, ex
32. instituto demonstratur. In historico stilo nullas plane allegorias locum invenire, docet §. X. Cavendum enim in historia omni est opera, ne in ænigma evadat oratio. Idcirco *Ennadius* & *Ammi-*
33. *anus Marcellinus* notantur, contra vero ea *Cornelius Nepos*, *Li-*
34, 35, 36. *vius*, & *Julius Cæsar* laudibus sunt prosequendi. Hyperbolicæ *Curtii* & *Flori*, nec non *Barclaji*, descriptiones, quarum exempla recitantur, valde sunt improbandæ. At enimvero, licet vitium in stilo commiserint Historici, res tamen ipsa atque historia

ſtoria negatur a nemine. Fac igitur, divinos etiam ſcriptores hyperbolice locutos, ipſa tamen miraculorum hiſtoria idcirco neganda haud eſſet. Sic *Woolſtonus* probabilitatem hiſtoricam, quam & profana & critica ſibi vindicat, æſtimare non potuit. Quod vero etiam atque etiam inſtat, poſcit, atque adeo flagitat, res Chriſti geſtas nimis eſſe prodigioſas, ut non poſſint non omnem humanam ſuperare fidem, id quidem in ſequentibus confutatur. Cui rei Axioma IV inſervit: *A ſenſu literali, eoque proprio, in hiſtoriis miraculorum Chriſti explicandis, non eſt recedendum, cum nihil in eo improbabile, nihil incredibile, nihilque vere contradicens inveniatur.* Ubi inter phænomena hermeneutica *vere contradicentia*, quæ σιδηρόξυλα & ἀσύςατα a Logicis appellantur, & ἐναντιοφανῆ ſeu *apparenter talia* ac *difficilia* modo, cum cura diſtinguitur. Illa hiſtoriis ſacris ineſſe negantur, hæc vero in iisdem reperiri, conceditur. Eo conſilio omnia, quæ *Woolſtonus* detorſit, Chriſti miracula, §. XII, XIII, XIV, XV, XVI ſeparatim vindicantur. Quæ recenſere cum longum nimis foret, duo modo dubia, quæ *Woolſtonus* magni eſſe momenti putavit, qua ratione hic ſoluta inveniantur, edocebimus. Ad 1) quemnam ſcopum ſigillum lapidi Salvatoris impreſſum habuerit? reſpondetur, hac obſignatione introitum nemini non prohibitum fuiſſe, ipſique Chriſto exitum, *Apoc. XX, 3.* Ritus hic lapides oſtiis admotos obſignandi ex *Dan. VI, 17,* illuſtrandus. Ad 2) annon per priorem fraudem, qua pejor fieri poſſe altera *Matth. XXVII, 64,* dicitur, ipſa Lazari excitatio ſignificetur? reſpondetur, proverbialem hic loquendi rationem ſubeſſe, & Judæorum proceres, abeſſe invidiam verbis ſi jubes, hæc ſibi voluiſſe: *multa quidem adhuc edidit miracula Jeſus, quæ populum in ſtuporem conjecerunt, verum ſi idem, revera jam mortuus, e ſepulchro vivus prodiret, hoc ultimum eſſet majus omnium. Tum, eheu! cauſa caderemus noſtra.* Proverbium autem cum exploſum iverit, licet ſine omni ratione, Anglus, aliam addidit ſolutionem Antagoniſta. Per *primum* nimirum *errorem* Judæorum proceres illum intellexerunt, quo multi Jeſum, ob ſalutares doctrinas, atque ſtupenda miracula, divinitus ad homi-

p. 36–38. 38—54. 51, 52, coll. 68. 52. coll. 68, 69.

nes missum existimaverunt, *alterum* vero ipsam ejus resurrectionem voluerunt. Perspiciebant enim, hæc si explorata crederetur, Jesum Nazarenum verum esse המשיח, dubitatu um amplius neminem.

p. 54-58. Axioma V: *Miracula vere ac proprie talia ad Characteres Messiæ essentiales pertinere, cum ipsa sacra pagina diserte id urgeant, omni dubio caret, eamque ob causam allegoriæ procul hinc absunto.* Recitantur loci, *Matth. XI, 2 seqq. Joan. III, 2, II, 23, 24, VII, 31, Jes. XXXV, 5, Jo. II, 23,* ubi Joannis discipuli *vidisse & audivisse* Christi miracula perhibentur, indeque adeo infertur, ea non in spiritibus, animis, sed in corporibus miserorum hominum fuisse peracta. Additur *Jes. LXI, 11*, coll. *Matth. XI, 5, XII, 38, XVI, 1, Luc. XI, 16-29, Jo. IV, 48, 1 Cor. I, 21.* Provocatur etiam ad testimonium R. Isaac Abarbanelis & Judaici מדרש. Ubi & *Hos. XIII, 14 seq.* cum *Matth. XI, 5* comparatione instituta, hocce formatur

57. argumentum: quodcunque vidisse homines dicuntur, illud in historia relatum non allagorice, sed literaliter accipi postulat. Jam vero, teste historia sacra, Jesu & amici & inimici, maximo persæpe numero, viderunt cœcos, quibus oculorum lumina restituta erant, viderunt claudos, recto pede incedentes, viderunt surdos, amissa audiendi facultate rursus donatos, viderunt denique revera mortuos, e mortuis vere revocatos, &c.

58-63. Axioma VI, quod §. XVIII adducitur, hoc est: *Quicunque divorum Patrum allegoriis ad capitales errores propagandos, qui ipsis nunquam in mentem venerunt, abutitur, is fucum facit incautis, & Orthodoxus haud est.* Hoc nimirum nomine se ipse insignivit *Woolstonus*. Sed ipsæ Patrum, inprimis *Theodoreti*, quæ proferuntur, definitiones in eum non conveniunt, qui ipsum potius αἱρετικὸν & Apostatam, testibus *Theodoro Balsamone*, atque *Photio*, CP. Patriarcha, dicerent. Tum graviter urgetur, Patrum sententias apostolicæ haud esse opponendas doctrinæ, neque ex illorum levioribus nævis, aut incautis dicendi generibus, errores capitales colorandos. Apostolica dogmata primo esse loco collocanda, & tum demum ad Patrum consensum provocandum, ex ipsis *Basilii & Irenæi* elegantissimis commonstratur exemplis, & locus ex *Athanasio*, in

Wool-

Woolstonum apprime quadrans, recitatur. Axioma VII, idemque ultimum, §. XIX ita formatur: *Miracula Servatoris omnia, licet in corporibus miserorum hominum edita, ad spirituale tamen regnum suum erigendum pariter, ac propagandum, unice fuerunt comparata.* Hic reliquæ ambiguitates *Woolstonianæ* e medio tolluntur, ejusque *Jesus Spiritualis*, quem & *Spinozam* jam diu statuisse probatur, ultimo ictu prostratus jacet, res vero ipsa cum in hoc ipso, tum in sequente §. XX ex sanctiori disciplina uberius demonstratur. Tandem in §. XXI hominibus, qui variis ineptarum dubitationum procellis huc illuc agitantur, utilia hinc semet expediendi consilia suppeditantur. p.63–65. 65—69.

Verum his ipsis, quæ attulimus, curiosos modo lectores ad ipsum perlegendum schediasma excitare volumus, utpote quod exemplo esse poterit, in minima interdum scriptione majorem variæ doctrinæ apparatum, quam in vasto contineri volumine.

JOACHIMI OPORINI HISTORIÆ CRITICÆ Prodromus, primis lineis exhibens recensionem caussarum, fundamentorum & rationum Historico-Philosophicam doctrinæ de natura & vita animorum perenni, id est, de animi humani essentiali a corpore differentia & immortalitate.

Hamburgi, literis Piscatoris, 1730, 4.
Plag. 7.

EA est doctrinæ de animi humani immortalitate excellentia, ut illa negata omnis evertatur religio; ea autem admissa ad pietatem non possimus non provocari. Quod quidem cum perpenderit Clariss. Autor; argumenta, quibus omnis ætatis Eruditiss. Viri animæ humanæ immortalitatem aut defenderunt, aut negare sunt annisi, dedita opera ex momento suo ponderavit; eo consilio, ut in *Historia*, quam meditatur, de hac materia *Critica*, quid superficiarii aut veri penes doctrinæ hujus vindices, quid falsi penes ejusdem hostes deprehendatur, erudi-

eruditorum oculis exponat. *Prodromum* majoris hujus Operis jam edit, quo judicia celebriorum virorum de suo instituto exploret. Cum inibi doctiss. Autor propositum suum verbosius recenseat; summatim tantum commemorabimus, quæ B. L. ad ipsius Prodromi lectionem invitare poterunt.

Cap.I.p.4,5. De sententia itaque Cl. *Operini* omnium mortalium in eo est consensus conspirans, immortalitatem animi humani esse sperandam. Cujus quidem concentus causa neque cum *Tolando* ex levitate animi in credendo, neque cum *Cowardo* ex invento
Cap.II. p. 5. pagano, sed ex traditione communi, omnibus paganorum
6. 7. monumentis antiquiori, & ipsa naturæ voce, quæ per desiderium immortalitatis se exserit, derivari debet. Huic enim
8. desiderio adscribendum est, quod Philosophi nonnulli, si systematibus suis consensissent, nihil de immortalitate animæ potuissent dicere; naturæ bonitate victi eam admiserint. Ei-
Cap. III. dem connato desiderio tribuendum, quod *Moses* antiquissimus
p.10-13. scriptor doctrinam de I. A. ut dudum cognitam supponat; & dubiis tantum, quæ circa eam moveri poterant, occurrat. *Pa-*
Cap.IV. *gani Philosophi* naturæ voce permoti I. A. crediderunt; licet
p.14. eandem argumentis admodum infirmis probaverint. Etenim tantum non omnes animam non *a* Deo sed *ex* Deo profectam esse putabant. Idcirco vel perennitatem tantum ipsius Dei,
15. non autem hominum, adstruebant, vel cum *Aristotele* de I. A.
16. vere dubitabant, vel I. A. ex instituto impugnabant. Quibus quidem paganorum erroribus occasionem præ ceteris aperuerunt Ægyptiacæ superstitiones. Unde Sinarum quoque sapientia manavit. Id quod accuratius demonstrabitur ex iis, quæ vir Celeberr. *Sebast. Kortholtus*, Kiloniens. Professor, cum Cl.
Cap.VI. Autore communicavit. Ab hisce corruptelis paganis, quæ
p.18-20. successu temporis etiam Judæorum animos occupaverant, doctrina de I. A. vindicabatur per Salvatorem nostrum *Christum* Jesum. Is non solum ipse resurrexit e mortuis; sed & nobis resurrectionem animæ & corporis sancte pollicitus est; ut adeo I. A. spes non tam natura animæ quam una Dei omni-
Cap.VII. potentia & veracitate nitatur. Christi doctrinam sequeban-
p. 21. tur *primi Doctores Christiani*. Cum enim doctrinam suam

con-

contra Paganorum præjudicia defenderet; sibi studiose cavebant a divinitatis animorum somnio & similibus. *Henricus* igitur *Dodwellus* sententiam de naturali animorum interitu Patribus
perperam tribuit. Merita Patrum sunt magna in refutandis p. 23.
Hæreticorum de I. A. erroribus. Quisque enim pro captu suo Scripturæ sacræ convenienter ad quæstionem de I. A. respon-
debat. Et modo quoad summam rei cum Scriptura conspi- 24.
raret; sinistras sententiæ suæ consecutiones parum curabat.
Ipsam autem A. I. vel κατ' ἄνθρωπον contra *Platonicæ* Philo- 25.
sophiæ faventes ex intellectu puro, ex vita animæ substantiali &c. vel κατ' ἀλήθειαν ex immaterialitate animæ probabant.
Quam *Gregorius Thaumaturgus* & *Augustinus* præcipue ex op- 27.
positis materiæ & animæ viribus adstruebant. Aliam sed non me- Cap. VIII.
liorem faciem præ se ferebat doctrina de I. A. cum ἐντελέχεια p. 28.
Aristotelis plurimis arrideret. Quam quidem ἐντελέχειαν li- 29.
cet *Aristoteles* non per se separatim existentem, sed cum materia conjunctissimam finxerit; Scholastici tamen eandem ut formam substantialem describunt; unde separatam animæ a corpore existentiam non sine petitione principii deducunt. Ne-
que etiam solidum est aliud Scholasticorum argumentum: 31.
Quicquid est immateriale, illud est absolute immortale; atqui anima &c. E. Majorem ille tantum admittet, qui cum *Platonicis*
omne immateriale pro particula naturæ divinæ habet. Mino- 32.
rem Scholastici non probabant, provocando ad puras intellectus operationes. In hac vita enim operationes animæ omnes a
conditione pendent materiali. Qui *Aristotelis* mentem recti- 34.
us intelligebant, illi cum *Scoto, Cajetano, I. C. Scaligero* negabant posse I. A. ex ratione, sive, quod tum temporis idem erat,
ex *Aristotele* demonstrari. Et sane ἐντελέχεια *Aristotelis* uti- 35.
que evertit I. A. Temeritatis tamen est, cum *Angelo Rocca* aliisque arma *Aristotelis* adversus I. A. prius capere, quam confutatum sit alibi ab *Aristotele* solide stabilitum; non esse in oculo,
quod videamus. Recentiores Philos. *Eclectici*, Scholasticorum Cap. IX.
erroribus medelam allaturi, ipsi nonnunquam a recta via ab- p. 36.
errant. In iis *Cartesius* ex essentia animæ inextensa *a priori* cognita essentiæ corporis extensæ opposita differentiam animæ

p. 39. a corpore male probat. *Henr. Morus* autem, *Jo. Raphsonus* & *Andr. Rüdigerus Cartesium* emendaturi, essentiam extenso-spi-
41. ritualem æque erronee substituunt. *Leibnitius* & socii ad I. A. præter indestructibilitatem etiam statum idearum distinctarum & ordinatarum requirunt. Quorum licet circa hanc doctrinam merita sint maxima; perperam tamen precariæ suæ Har-
42. moniæ præstabilitæ I. A. committunt, & animam a priori sibi cognitam esse sibi persuadent. Optimam, opinione Cl. Auto-
Cap. X. ris, viam ingrediuntur Philos. *Eclectici*, qui I. A. demonstratu-
p. 43 sq. ri, prius *a posteriori* probant, operationes animæ ita esse compa-
C. XI. p. 46 s. ratas, ut ex solis materiæ proprietatibus oriri nequeant. Omni autem fundamento destituuntur, qui, vita improba & præjudiciis moti, cum *Collino, Spinoza* aliisque defendunt, animam humanam esse harmoniam quandam ex virtute mechanica resultantem. Atque hæc est summa eorum, quæ Clariss. Autor in Historia doctrinæ de I. A. Critica XI Capitibus uberius demon-
C. XII. p. 50. strabit. Cap. XII *Prodromi* exponit, quomodo emendare ve-
51. lit argumenta hactenus de I. A. in medium prolata. Videlicet tuetur, fundamenta, quibus I. A. innititur, ab argumentis arbitrariis solicite esse distinguenda. Per *fundamenta* autem intelligit congenitum omnibus mortalibus immortalitatis desiderium, &, quæ huic innititur, communem traditionem. *Argumenta arbitraria* illi sunt, quæ pro diversitate systematis di-
52. versimode e natura animorum petuntur. Illa his multo esse
53. anteferenda, contra Celeberr. *Bülfingerum* propugnat. Ex illis enim constare, dicit, vitam animorum certo esse futuram, ex his autem tantum sequi, immortalitatem animæ esse possibilem.
54. Præterea monet ex animæ humanæ natura non aliter sequi ejus immortalitatem, nisi ab animæ operationibus in hac vita semper impuris ad ejus immaterialitatem, & inde ad immortalitatem concludas.

REMPHAH ÆGYPTIORUM DEUS, AB Israelitis cultus, nunc ex Lingua & Antiquitate Ægyptiaca erutus & illustratus a PAULO ERNESTO JAB-

JABLONSKI, *S. Theol. Doctore & Professore in Ecclesia & Academia Viadrina.*

Francof. & Lipsiæ, apud Jo. Godofr. Conradi, 1731, 8.
Plag. 13.

CUm Lingua Ægyptiaca, inter Orientales veneranda antiquitate superbiens, illustrandis quamplurimis vocibus, apud Autores non profanos solum, sed & in ipso Hebræo Codice occurrentibus, ac tabulis velut quibusdam e naufragio servatis, conducere visa sit, abstrusi illius, & a reliquarum Orientalium genio multum discedentis sermonis arcana solicite perscrutari, jamdudum haud infimæ caveæ eruditi cœperunt. At vero vel præjudicio quodam de origine ejus Hebraica abrepti, vel duces minus fidos, ceu ignes fatuos, secuti in tenebris, non potuerunt non in præcipitia delabi, & sæpe nubem pro Junone amplexi sunt. Ex quo facile est ad judicandum, quanto illos intervallo S. R. & doctissimus Autor noster post se relinquat, dum ante plures annos, præeunte Excell. *Crozio*, Consiliario & Antiquario Regis Borussiæ, cui & tanquam Magistro suo, in hujus linguæ cognitione incomparabili, Opus hoc dicavit, eam excolere cœpit, ac perlecta non solum Codicis sacri Ægyptiaca versione, sed & dein aliis, in itineribus, quæ per Belgium, Angliam & Galliam suscepit, Manuscriptis Ægyptiacis perlustratis, mirifice peritiam suam locupletavit. Et cum olim jam egregia Dissertatione de Lingua Lycaonica, aliisque ad Theologiam pertinentibus, Reipubl. literariæ innotuisset, nunc raræ hujus doctrinæ suæ specimen denuo edidit, electo argumento sat splendido, quod clarissimorum eruditione virorum ingenia magnopere torsit. Ac primo quidem p. 4 verba prophetæ Amosi & Cap. V v. 25, 26, ubi Numinis hujus mentio fit, cum Græca septuaginta seniorum confert, & in his transpositionem quandam observans, ejus causas rimatur. P. 9 seqq. cultum illius verum & externum fuisse, contra Viros quosdam eruditos probat. P. 12 seqq. prolixe disquirit, num Græci illi interpretes veteres Hebraicam vocem כיון, perperam pro ea legentes ריון, in *ῥηφαν* aut *ῥεμφα* mutando, corruperint, ac præter alios Celeb.

 Vitrin-

Vitringam, hoc asserentem, gravibus argumentis refellit. P. 29 seq. vocabulum ῥεμφα vere Ægyptiacum esse demonstrare conatur, ac p. 32 seq. illorum rejiciens sententiam, qui Remphin Ægyptiorum Regem vestigia hujus Numinis præ se ferre putant, mox p. 35 Lexicon Copticum ab *Athan. Kirchero* editum, ubi ῥηφαν per stellam Saturni explicatur, sub examen vocat, & cum tot viri docti ad illud certatim provocarint, illius autoritatem solidis rationibus destruit, ac p. 41 de Linguæ Ægyptiacæ & Copticæ indole ac differentia quædam inspergens, Planetarum in Lexico *Kircheriano* nomina ex versione LXX seniorum Græca derivata esse perquam acute conjectat, p. 51 veram lectionem hujus vocis ῥεμφα vel ῥομφα esse, eamque Ægyptiace Regem cœli, i. e. solem notare, ostendit, idemque vocem כיון hoc loco in textu Hebraico significare, ex quorundam doctorum consensu stabilire p. 64 annititur. Hanc opinionem p. 67 in majori luce collocare pergit, adductis in medium nominibus *Osiridis* & *Isidis*, quæ explicat, & simili cœlestis hujus inter astra regis cultu, apud alias Africæ gentes usitato. P. 74 dubium aliquod de silentio profanorum scriptorum removere contendit, & quædam alia veterum Numinum Ægyptiacorum nomina rarius in illis commemorari, ut Neith, Minervam, & Athor, Venerem, monstrat, immo in Remphi Ægyptiorum rege, & Rompe Ægyptiace annum notante, memoriam ejus Numinis asservari concludit, quod cum reliquis anni temporibus, divino honore affectum esse, p. 83 seqq. ex pluribus monimentis veterum firmat. Equidem nonnulla se offerunt dubia, quibus acutissimi *Vitringæ* rationes adstrui posse videntur, sed Cl. Autorem nostrum, simili ἀγχινοίᾳ, qua eas oppugnavit, novas illas objectiones diluere posse, facile, ut credamus, adducimur. Nec tamen ulli eruditorum, qua est modestia, sententiam hanc venustam admodum & ingeniosam obtrudit.

THE HISTORY OF THE PARTHIAN EMPIRE,

h. e.

HISTO-

HISTORIA REGNI PARTHORUM, AB Arsace Monarchiæ Conditore ad illius usque occasum, XXIX Regum continua successione deducta, Autore THOMA LEWIS, A.M.

Londini, apud Samuelem Illidge & Joh. Hooke, 1728, 8. Alph. 1 pl. 3.

SI eadem cura ac perspicuitate, quemadmodum de Græcorum & Romanorum rebus factum est, *Parthorum Historia* scriptis posteritati tradita, aut, si tradita, ad nostram ætatem servata fuisset, haberent certe, quo delectarentur impense, antiquarum rerum studiosi. Etenim amplam satis commentandi atque legendi materiam præbuisset populus tanta bellicæ virtutis fama inclitus, tantisque rerum successibus florens, ut Cyri atque Alexandri victorias æmularetur, ac maximam Imperii Persici partem sub obsequii jugum mitteret, ipsi denique Romanorum virtuti quandoque formidabilis evaderet. Jam vero pauca admodum iniquis fatis ad nos transmissa sunt, unde *Parthorum* gentis notitia aliqua hauriri queat, & hæc fere ex Græcorum Romanorumque fragmentis summo cum labore decerpenda. Nulli igitur dubitamus, gratam operam præstitisse civibus suis antiquæ historiæ curatius addiscendæ studiosis Clariss. *Lewisium*, dum illa, quæ de rebus *Parthorum* Græcis Latinisque Commentariis latius diffusa inveniuntur, quam ut breviter cognosci possint, modico voluminis ambitu comprehensa, vernaculo ipsis sermone proponere voluerit; ut adeo novisse illas desiderantibus longæ inquisitionis labor abesset, & quæ obscuriora erant passim apparitura, jam dilucidiora legentium oculis sisterentur. Laudem etiam meretur, quod factorum simplicitatem, siccam licet interdum atque adeo minus amœnam, sectari magis voluerit Autor eruditus, quam conquisitis ornamentis varii generis Romanensis potius fabulæ quam veræ historiæ speciem libro suo induere. Ignoramus interim, num probaturi sint inter lectores universi, quod omiserit noster in factis enarratis per tempora determinandis simul ad Olympiadum atque conditæ urbis calculos attendere,

quos quidem maximo lectorum commodo, uti in exteris rebus ab eruditis fieri fere consuevit, appositurus fuisset. Mirati etiam sumus, præstantissimum *Joannis Foy Vaillantii* Opus, quod *Arsacidarum Imperium, sive Regum Parthorum historiam ad fidem numismatum accommodatam*, inscripsit, nobisque A. MDCCXXVI, mense Majo p. 193 seq. recensitum atque laudatum est, aut Autori nostro plane incognitum, aut certe non in subsidium adhibitum fuisse, ex quo tamen non contemnenda lux, intelligentium quorumvis judicio, *Parthorum* res gestas indagaturis potest commodari.

Tangermündische Antiquitäten rc.

hoc est,

ANTIQUITATES TANGERMUNDENSES, quibus continentur 1 CASP. HELMERICI Annales Tangermundenses, 2 ANDREÆ RITTNERI Historia Tangermundæ ab A. 1618 ad A. 1651, & 3 Memorabilia Tangermundensia, e vetustis Documentis & Diplomatibus conscripta; Autore GEORGIO GOTHOFREDO KUSTERO, Gymnasii Fridericiani Berolinensis Con-Rectore & Societatis Borussiæ Scientiarum Socio.

Berolini, prostant Lipsiæ in officina Blochbergeriana, 1729, 4. Alph. 2 pl. 7 Tab. æn. 1.

TRes Libros sistimus simul editos, quorum priores duos, quippe jam pridem ante condita hæc Acta editos, & nunc demum ob singularem raritatem cura Cl. *Küsteri* recusos, non est, ut hoc loco recenseamus. De tertio tamen, qui ipsius Editoris industriæ debetur, nonnihil nobis dicendum erit. Consistit is Capitibus XII, quorum *primo* Scriptores recensentur, qui Tangermundanæ urbis historiam investigarunt, *Helmericus* inprimis & *Rittnerus*, qui modo iterum prodeunt, ambo Tangermundenses. Ille Poeta laureatus Cæsareus & Consul Tan-

Tangermundanus fuit, anno 1665 rebus humanis exemtus: ſcripſit Annales carmine vernaculo, parum quidem compto, ſed notis quibusdam utiliſſimis inſtructo, & Magdeburgi quondam ac Serveſtæ editos. Hic vero Conſul itidem Tangermundæ, natus A. 1609, animum primum ad Theologiam appulit, mutato autem conſilio jurisprudentiæ ſe addixit, quod in Oratione quadam ſermone Græco recitanda parum feliciter progrederetur. Hiſtoriam ſuam, quam in curia aſſervari volebat, tandem amicorum ſuaſu publici juris fecit; de qua ita quidem cenſet Cl. Editor, quod multa quidem notatu digniſſima contineat, *Enzelio* tamen majorem, quam fas ſit, fidem habeat Autor, multa quoque, quæ ad rem minus faciant, afferat & ordinis leges ſubinde negligat. Commemorantur præterea hic alii Scriptores hiſtoriam Marchiæ illuſtrantes, inter quos *Eliam Læckelium* & *J. Chriſt. Beckmannum*, quorum Opera nondum edita ſunt, allegaſſe ſufficiat. *Secundo* Capite nomen, ſitus, & ætas urbis Tangermundanæ inveſtigatur, cumque ad oſtium Tangræ fluvii ſita ſit, inde nominis cauſa non immerito deducitur, deque Angrivariis, qui has regiones quondam incoluerunt, nonnulla adduntur, ſimulque colligitur, urbem hanc inter antiquiſſimas Germaniæ eſſe referendam. Capite *tertio* in eo eſt Cl. Autor, ut inquirat, an Druſus in Marchia veteri caſtella exſtruxerit, necne? quod quidem negat, Albim victoriarum Druſi terminum arbitratus. *Quarto* Capite inquiritur, ad quem pagum Tangermunda quondam ſpectaverit, cum in duos pagos veteris Marchiæ Eccleſias diſpertitas fuiſſe conſtet, quorum alter Bardengoæ, alter Beleſemi nomine innotuit. *Quintum* Caput ædes ſacras, inter quas, quæ D. Stephano ſacra eſt, primo loco notatur, & monumenta ſepulchralia commemorat. *Sexto* Capite renovatur illorum memoria, qui urbem rexerunt, ut *ſeptimo* illorum, qui divinarum literarum monumenta illic ſunt interpretati, ex quo quidem Capite nonnulla delibare juvabit. Cum *Georgius Lybius* in vivis eſſet, ut verbi divini miniſtri imberbes eſſent, veſtibusque non adeo longis uterentur, lege cautum eſt, cui *Lybius* hæc verba adſcripſit: *Decanus erat imberbis, ergo omnibus conveniens eſſe, non eſſe majoris autoritatis, autumabant,*

bant. Cum *Joachimus Assenburgius* antistitis munere fungeretur, sacer quidam conventus a viris Theologis Marchiæ & Saxoniæ Tangermundæ est habitus, anno 1571, in quo deliberatum fuit, qua ratione illi etiam, sive Principes, sive mystæ, qui Concordiæ Formulæ nomina sua nondum dederant, ad idem faciendum impelli possent, quo de negotio *Hutterus* & *Hospinianus* in *Concordia concorde & discorde* conferantur. Idem ille *Assenburgius* regulas quasdam Pastoribus Synodi Tangermundensis observandas præscripsit, quæ, & illæ quidem laude dignissimæ, hic integræ repetuntur. Ritus quoque in Ecclesia servandi, quorum Autor *Georgius Gigas* est, hoc loco exhibentur, qui maximam partem hodienum observantur. *Laurentius Prætorius*, qui primum Diaconi, deinde Inspectoris munus ornavit, præ multis aliis dignus est commemoratione, cum varios casus, & molestias non paucas subierit, dignus sane, cujus memoria adhuc hodie vigeat, inprimis ob infractum plane animum, quem in maximis turbis, ipsoque bello tricennali, exhibuit. Fatetur ipse *Prætorius* in vitæ curriculo a se consignato, quod fuerit tenellus orphanus, pauper scholasticus, electoralis alumnus, egenus academicus, famulus, æditunus, campani pulsor, pedotriba, scriba civilis, Pastor ruralis, Diaconus & Inspector urbanus, compastor cathedralis, tandemque electoralis Superintendens. Quantis præterea laboribus fuerit defunctus, & quot periculis ipsius etiam vitæ fuerit obnoxius, pluribus verbis ipse refert, quæ integra Nostro exhibentur. *Octavi* Capitis argumentum schola est, illique, quorum ope juventus studiosa literarum studiis est imbuta. Recensentur hic omnia illorum nomina, qui a temporibus sacræ *Lutheri* ministerio sacrorum emendationis operam suam scholæ huic addixerunt, e quibus *Enzelium*, & *Frid. Conovium* allegasse satis est, quorum hic museo suo hæc verba inscripsisse fertur: *Gratis pœnitet esse diligentem*. *Sequenti* Capite de arce regia, deque sacello olim ibi exstructo exponitur, cujus conditorem Carolum M. reparatorem autem Carolum IV fuisse constat, qui omne studium in id contulit, ut Tangermundam redderet florentiorem. Nulli igitur castellorum Germaniæ cedebat hæc

arx

arx, quæ ex ruderibus suis demum a Friderico I Borussiæ Rege restaurata perhibetur. Inde Capite *decimo* de pago Tangermundæ vicino *Calbau*, quem Carolus IV condidisse & privilegiis donasse fertur, Cap. *undecimo* de pagis aliis Tangermundensi præfecturæ subjectis, Cap. *duodecimo* de oppido *Arneburgo*, & Cap. *ultimo* de aliis memorabilibus Tangermundensibus hactenus prætermissis, inscriptionibus inprimis sepulchralibus, traditur.

Die vernünfftige Gewißheit der Hebräischen Accentuation.

h. e.

ACCENTUATIONIS HEBRAICÆ CERTA ratio, qua est ars characteristica, ad quam textus originalis ordinate & distincte legendus, intelligendus, & interpretandus, qua nova methodo addisci & defendi possit, exposita a M. CHRISTIANO FRIDERICO BAUERO.

Lipsiæ, impensis Johannis Christiani Martini, 1730, 8.

Plag. 12¼ cum fig. æn.

CUm alii eruditorum accentuationem Hebraicam clament incertam, confusam, & impune posthabendam; Rev. Autor evincere conatur, illam esse artem characteristicam, in qua omnes accentus perpetui & nunquam turbandi ordinis sint characteres, qui rite instituendæ lectioni & interpretationi inserviant, & licet nostris signis distinctivis v. g. puncto, colo, semicolo, commatique non respondeant, ejusmodi tamen essent signa lectoria & hermeneutica, quorum constans per omnia ordo & symmetria ex inductione omnium accentuatorum versuum in apricum poni possit. Seponens igitur methodum accentuationis allegoricam, qua sub schemate imperii, accentus distinctivi ab aliis ut Imperatores, Reges, Duces, Comites, Barones Toparchæ & Dynastæ designantur, convenientiorem ordinis inter accentus conspicui explicationem ex systematica

ipsorum symmetria seu arte combinatoria tradit, & accentus prosaicos, ut signa ordinis, ad Mathematicam certitudinem revocare tentat. Sic enim accentuum distinctivorum ordinem explicat, ut universalem numerorum & mensurarum harmoniam etiam accentibus distinctivis inesse credat. Qualis mensurarum harmonia in linea seu canone mensorio ipsi per figuras Arithmeticas $\frac{1}{2}$, $\frac{1}{4}$, $\frac{1}{8}$, $\frac{1}{16}$, $\frac{1}{32}$, item $\frac{1}{3}$, $\frac{1}{6}$, $\frac{1}{12}$ designatur; talis omnium verborum & partium, omnium conceptuum & rationum magnitudo & symmetria, & sic totius versus analysis & synthesis ipsi patescit per accentus. Nam sicut in Arithmeticis totum est cohæsio partium, & in Mathesi linea est cohæsio punctorum; sic in accentuatione Autori pasuc seu versus est cohæsio systematicorum conceptuum. Habet igitur Silluc cum Soph Pasuc :ֽ pro statore seu finitore versus concipiendi seu pensi systematica consideratione comprehendendi, & vocat (das Ende-Zeichen) signum finis, ubi non quidem absolutæ orationis, attamen systematicorum conceptuum finis sisteretur, seu ubi systema accentuum ut mensurarum harmonia finiretur. Inter reliquos autem accentus distinctivos non alius daretur ordo, quam ars combinatoria & constans διχοτομίας seu bipartitio suppeditat, qua omnis hemistichiorum compositio & resolutio fundata est. Quare in combinatione accentuum distinctivorum ea haberetur ratio, quæ in combinatione $\frac{1}{16}$ & $\frac{1}{16}$ ad $\frac{1}{8}$ porro $\frac{1}{8}$ & $\frac{1}{8}$ ad $\frac{1}{4}$ & $\frac{1}{4}$ cum $\frac{1}{4}$ ad $\frac{1}{2}$ & duorum dimidiorum ad unum totum. Sequentem vero constructionem canonis accentuatorii format:

:ֽ finitor versus, seu signum systema mensurarum & partium finiens, & totum seu cohæsionem indicans.

֑ $\frac{1}{2}$ Dimidiator seu dimidiorum stator, halbirer.

֔ $\frac{1}{3}$ Tripartitor, britter.

֕ $\frac{1}{6}$ Semitripartitor seu sextor.

֗ ֒ $\frac{1}{12}$ Semisextor seu undecimator.

֓ $\frac{1}{4}$ Quadrator major.

Semi-

$\frac{1}{8}$ Semiquadrator major seu Octator major.

$\frac{1}{4}$ Quadrator minor.

$\frac{1}{8}$ Semiquadrator minor seu Octator minor.

$\frac{1}{16}$ Sedecimator.

$\frac{1}{32}$ Semisedecimatores.

Hunc canonem accentuatorium fusius explicat *Cap. I & II*, ubi de vera accentuationis Hebraicæ indole agit, & figuras accentuum ut boni ordinis notas explicat. *Capite tertio* insignem accentuationis usum exemplo comprobat, explicando *Jes. LIII, 8, 9*, ita, ut *Actor. VIII, 32, 33*, respondeant, & uterque tam *Jesaias* quam *Lucas* describant processum, quo Messias ad mortem rapiatur, ubi animadvertatur *v. 8* Messiæ captura, ut sistatur idem judicio, seu Synedrio, a quo non audiatur, sed ut ovis ad perpetiendam violentam mortem jam destinatus sit, quare, rebus sic se habentibus, nec aperiat os suum. Hanc injustam inquisitionem *v. 8* descriptam sequi, ostendit, violentam executionem seu raptum Messiæ ad mortem *v. 9*. Ex judicio & custodia Pilati rapi eum ad mortem, causante id populo Judaico tempore Christi vivente, cujus malitiam quis satis describat! Sensum vero Prophetæ & Apostoli ita concordare: *Jesaias* dicit, *Jesum etiam ex custodia & judicio*, (quæ innocentibus tamen præsidio magis, quam nocumento & proditioni forent) *ad mortem raptum iri.* Apostolus vero, *Christo in humili statu & conditione sua*, Κρίσιν αὐτοῦ (sein Recht) *justa causæ cognitionem & innocentiæ vindicationem seu justum judicium denegatum iri.* Ubi unius positio sit alterius explicatio, & in verbis quidem diversis res tamen ad unum sensum redeat. *Cap. IV* rejicit accentuationem prosaicam irregularem, quam ejusmodi ars Characteristica non admittat, & accentuatoribus, qui perperam permissas distinctionum notas credunt, non suffragatur. Quare etiam *Johannis Franckii* novam versionem accentibus conformatam in Kohelet modeste notat p. 108, & meliorem promittit, qua vacillans Hebraicorum verborum interpretatio, alienum intrudens sensum, solicite evitetur. *Capite V* controversias de punctorum & ac-

p. 1–50. 50–100. 101. 113.

centuum origine, valore & autoritate ita expedit, ut ex effectu, seu a posteriori evincat, incredibile esse, alios, quam autores Bibliorum sacros ipsos accentus apposuisse, quod de Salomone in Kohelet c. XII, 10, ex כָּתוּב יֹשֶׁר, de Mose in *Deut.*
p. 158. *XXXI, 24*, ex הַכְּתוּבָה עַד תֻּמָּם & ex *Neh. VIII, 8*, probare studet. Quibus subjungit deductionem historicam, qua ratione codices non punctati pro punctatis surrogati, & punctorum & accentuum autoritas elevata fuerit. *Capite sexto*, de revocanda Hebraicæ linguæ certitudine agit, & ad quæ principia Ecclesiasten Salomonis sit elaboraturus, prodit. Nos optamus, ut hic liber pari luce, quam dicto *Jesaiæ c. LIII, 8, 9*, hic affudit, ab Autore collustretur.

AD OPUS DANUBIALE ILLUSTRISS. ALOYSII FERD. Comitis MARSILII Supplementa duo.

Conf. Acta Erud. 1727, Mens. Julio, pag. 295.


NOn displicuisse Excellentissimo Operis Danubialis Autori cum cetera, quæ in recensione istius libri attulimus, tum ea quoque, quæ de defectu quarundam observationum ab eo promissarum sunt commemorata, partim ex ipsius humanissimis literis, partim etiam nunc eo magis inde colligere potuimus, quod Massilia in patriam redux, cum varia sua schediasmata, manu exarata, atque ad laudatissimum illud Opus quodammodo pertinentia denuo pervolvisset, & inter ea duas potissimum observationes invenisset, quæ deesse libro impresso viderentur, istas continuo ad nos mittendas curavit, ut Actis nostris, tanquam supplementa egregii Operis insererentur. Quod facere hoc loco eo minus dubitavimus, quo certius persuasi sumus, lectoribus istarum rerum curiosis id fore quam gratissimum. Et altera quidem harum observationum, quam deesse nominatim significavimus in recensione nuper facta, ad declinationes pertinet quatuor diversarum acuum magneticarum, in diversis locis A. 1696 repertas. Altera est observatio eclipsis sola-





TAB. V.

p. 158.



solaris, quæ habita est in Croatia, d. 23 Sept. A. 1699, eo tempore, quo de pace inter Cæsarem & Turcas tractabatur, in aperto campo, & loco inter castra Cæsarea & Ottomannica fere medio, inspectante inprimis ipso Turcarum Plenipotentiario, multisque militibus ex utrisque castris ad tam novum spectaculum confluentibus. Hanc observationem simul cum loco, ubi facta est, tractuque terrarum vicino, juxta delineationem nobis transmissam, tabulæ æneæ incidendam, atque inde exprimendam curavimus. Illam vero priorem sequens exhibet tabella. TAB. V.

TABULA DECLINATIONUM diversarum quatuor acuum magneticarum, in Occid. Anno 1696.

Ordo lapidum & fricatarum iis acuum.		I.		II.		III.		IV.	
		Grad.	min.	Grad.	min.	Grad.	min.	Grad.	min.
Declinatio in diversis locis:	VIENNAE	11.	30	11.	15	12.	30	11.	0
	BUDAE	9.	45	9.	30.	11.	15	9.	30
	BAIAE	9.	45	10.	30	11.	0	10.	0
	Ad CONFLUXUM	9.	45	10.	30	11.	0	9.	45
	SEGEDINI			10.	0			10.	0
	In CASTRIS			9.	30			9.	15
	SOLNOCI			9.	0			9.	30
	AGRIAE			9.	30			9.	30

 EXCER-

EXCERPTUM EX EPISTOLA LONDINI d. 14 Mart. 1729 scripta, e Gallico sermone in Latinum translata.

RAtio dissidii inter Cl. *Moivræum* & *Pembertonum* gloriæ concursus est. Forsan legisti librum *Cotesii*, cui titulus: *Harmonia mensurarum.* Extat ejus recensio in Actis Lipsiensibus. In libro isto continetur methodus perpulchra reducendi integrationem plurium differentialium ad divisionem circuli in partibus æqualibus. Sed hæc propositio ibi absque demonstratione proponitur. Cl. *Moivræus*, cum demonstrationem non modo facillimam, quemadmodum prætendit, verum etiam talem invenisset, qua methodus ipsa fœcundior redditur, fundamentum ejus modo satis ænigmatico & absque demonstratione in peculiari quadam scheda publicabat. Paulo post *Pembertonus* publici juris fecit demonstrationem suo more conceptam, id est, talem, quæ vix intelligi potest, in libello, cui titulus: *Epistola de Cotesii inventis*, ubi ostendere conatur, inventum *Cotesii* idem prorsus esse ac illud, quod *Newtono* jam fuerat perspectum, & ab eo Tractatui suo *de quadraturis* insertum. Enimvero postquam schedam Cl. *Moivræi* viderat, *Appendicem* adjecit, in qua, quemadmodum contendit, demonstrationem theorematum *Moivræanorum* dedit. Cl. *Moivræus* se offensum existimans, quod alius ipsum presso pede sequatur, præstiturus se virum, Dissertatiunculam Transactionibus Philosophicis de *Sectione anguli* inseruit, quæ additionem magni momenti ad methodum suam continet. Sed *Pembertonus* causam destituit, nec voluit, aut non potuit dare demonstrationem. Præterea jam ante, quemadmodum opinor, non satis sincera erat eorum amicitia, propterea quod Cl. *Moivræus* major est calculator & magis versatus in methodo analytica, quam synthetica ad morem veterum, seu *Newtoniana* in Principiis, ex adverso *Pembertonus*, qui methodum hanc posteriorem melius intelligere videtur, analysin & calculos summopere contemnit. Ex eo hac de re judicare potes, quod de Trajectoriis reciprocis dedit, & puto me tibi dixisse, quo cum

cum ſucceſſu (ſcilicet!) methodum ſuam ſyntheticam adhibuerit in eo, quod de figura veſicularum muſcularium dedit. Ecce tibi exemplum aliud ex novo ipſius libro, unde cognoſcere poteris, quo judicio methodo iſta utatur. Notandum, quod ſibi propoſuerit in iſto Opere Philoſophiam *Newtonianam* ad captum eorum tradere, qui mathematum prorſus ſunt rudes. Explicanda iisdem eſt regula *Kepleri*, quæ communiter ita enunciatur: Quadrata temporum periodicorum ſunt ut cubi diſtantiarum. Primum *Pembertonus* rejicit hanc enunciationem, quod termini ortum trahant ex analyſi, & poſt *Newtonum* eam ſic proponit: Tempora periodica ſunt in ratione ſeſquiplicata diſtantiarum, & phraſin hanc explicaturus, quatuor jubet fieri progreſſiones geometricas, duas priores trium & duas poſteriores quatuor terminorum: Quod unitas ſit primus

1.	T.	A	terminus in omnibus quatuor progreſſionibus;
1.	t.	a	quod tempora periodica T & t duorum plane-
1.	D.	B. C	tarum, quæ inter ſe comparantur, ſint termini
1.	d.	b. c	ſecundi duarum priorum progreſſionum, & A

atque a termini ultimi: quod D & d diſtantiæ duorum planetarum ſint termini ſecundi duarum poſteriorum progreſſionum, & B, b tertii, atque C, c quarti termini. Deinde A, inquit, erit ad a, ſicuti C ad c. Judica, quæſo, de ſumma facilitate, qua homo, qui librum mathematicum nunquam inſpexit, idem comprehendet. Riſum teneatis amici!

Hiſtoriſche Nachricht von den Nürnbergiſchen Mathematicis und Künſtlern.

hoc eſt,

HISTORICA NARRATIO DE MATHEmaticis artificibusque Noribergenſibus, qui per tria ſecula præter ceteros, & ſcriptis & opera, exercendo illuſtrarunt artes Mathematicas, Partibus II, cum Annotationibus edita a JOANNE GABRIELE DOPPEL-

PELMAYR, Imperialis Leopoldino-Carolinæ Academiæ N. C. Regiæque Scientiarum Borussicæ Membro & Mathematum P. P.

Norimbergæ, apud Petr. Conr. Monath, 1730, fol. Alph. 4 & Tabb. æn. 15.

Occasionem scribendæ historiæ Mathematicorum Noricorum sibi natam esse perhibet Autor Celeberrimus, quod inde a *Joanne Regiomontano*, qui primus urbi intulit studia Mathematica, eorum excolendorum principes exstiterint Noribergenses, latius eadem per Italiam Galliamque proferentes. Noricorum autem nomine comprehendit tum eos, qui originem ex ea urbe ducunt, quamvis extra patrium solum istis artibus inclaruerint; tum eos, qui, sive ortu, sive domicilio essent Noribergenses, domi istas exercuerunt. Deinde ex toto Opere in unum colligit nomina Mathematicorum, ordine artium disposita, ut uno quasi obtutu perspicias, quid quantumque in omnibus Matheseos partibus præstiterint Noribergenses. Breviter strictimque initio quidem enumerat bene meritos de veterum Mathematicorum Operibus in lucem protrahendis: tum recenset scriptores & scripta, illustrantia Mathesin in genere, Arithmeticam, Algebram, Geometriam, Opticam, Astronomiam, Geographiam, Chronologiam, Astrologiam, Gnomonicen, Architecturam civilem & militarem: denique præstantiores commemorat magistros in arte musica, in arte scalpendi, pingendi, cælandi, fundendi typos, excudendi libros, ornate scribendi, fingendi e cera, incidendi in ferrum, vitrum, gemmas, lignum, & qui Mechanicarum artium fuerunt peritissimi. Opus ipsum est bipertitum: singulæ autem partes in duos itidem libros divisæ. In partis prioris libro priori vitas Autor describit Mathematicorum; in libro posteriori fautores prædicat studii mathematici, & eos, qui quacunque id ratione juvarunt. Partis posterioris librum I dicavit artificibus varii generis; & librum II mechanicis. In vitarum descriptione duos maxime scopulos vitavit, tum ne sicca & jejuna esset, tum ne series dicendorum, excitatis autorum verbis, veluti emblematis

matis distincta, sæpius interrumperetur. Quo autem omnium cupiditatem omnino expleret, satis amplas & copiosas, easque eruditissimas annotationes in extrema paginæ parte adscribendas curavit, quibus historiæ Mathematicorum literariæ conscribendæ facem præfert, ac præterea variarum rerum inventionem civibus suis vindicat. In vitarum recensione merita tantum collaudavit ea, quæ ex Mathematum cultura quisque sibi comparaverat: reliqua, tanquam a scopo aliena, consulto præteriit, ut tamen lectorem moneret, unde & ista essent cognoscenda. Et satis constat, vitas *Regiomontani*, *Pirkheimeri*, *Camerarii*, *Prætorii* & plurium, quas alii ante ipsum exornarunt laudibus, luculentis ab eo accessionibus esse collocupletatas. Denique & catalogos scriptorum diligentissime texuit. Legas & inibi plurium vitas Mathematicorum insignium, quorum etsi vivi omnium celebrarentur ore, tenuis tamen adhuc exstabat notitia, in quorum numero sunt *Conradus Heinfogel*, *Christianus Heyden*, *Lucas Brunn*, *Andreas Goldmaier*, *Georgius Christophorus Eimmart*, aliique. Celebriores sunt: *Joannes Regiomontanus* (quo Mathematico Noriberga non minus gloriatur, judice *Petro Ramo*, quam Tarentum *Archyta*, Syracusæ *Archimede*, Byzantium *Proclo*, Alexandria *Ctesibio*) *Joannes Wernerus*, *Joannes Schonerus*, *Georgius Hartmannus*, *Joachimus Camerarius*, *Joannes Prætorius*, *Daniel Schwenterus*, *Georgius Philippus Harsdörferus*, *Abdias Treu*, *Joannes Franciscus Griendelius*, *Joannes Christophorus Sturmius*, *Joannes Philippus de Wurzelbau*, & alii. Sed gustum dedisse ex Opere præstantissimo, non injucundum erit. Enumerat Cl. Autor instrumenta p. 7.
Mathematica & Astronomica, in officina *Joannis Regiomontani* parata, in quibus erat automaton astrarium, mirabile opus, quod cursum siderum oculis spectandum subjiciebat: itemque amusia, (Compasse,) quorum conficiendorum artificium Norici velut peculium per longissima sibi annorum intervalla servarunt, adeo ut soli per Europam id exercerent. Primam quoque *M. Manilii* editionem ab eodem *Regiomontano* circa A. 1472 vel 1473 esse curatam, observat. E *Mæstlino* vero de 8.
illo ipso *Regiomontano* refert, primum eum fuisse, qui A. 1472,

cujus principio stella crinita erat exorta, parallaxes cometarum artificiose numerare, & ex istis veram illorum a terra altitudi-
p. 32. nem magnitudinemque computare docuerit. Idem perhibetur primus, qui inter Germanos artem rei & census, ita *Algebram* nominant, e *Diophanti* Arithmetica exceptam excoluerit.
25. *Bernhardus Waltherus*, *Regiomontani* discipulus, traditur, partim *Alhazeni* & *Vitellionis* autoritate, partim experientia confirmatus docuisse refractiones siderum Horizonti vicinorum; quam doctrinam post eum recentiores plane perfecerunt.
27. *Martino Bohemo*, testimoniis confirmatam indubiis gloriam vindicat inventarum insularum Flandricarum, quas ab accipitre *Azores* vocant, itemque freti Magellanici totiusque Brasiliæ: æri porro incidendum curavit globum terrestrem, ab eodem A. 1492 descriptum, cujus diameter est 20 digitorum; ut, quam tenuia fuerint hujus studii initia, & quæ deinde sumserit incre-
57. menta, unicuivis pateat. De inventis *Georgii Hartmanni* disserens notat, quod A.1538 deprehenderit, magnetem declinare 10 gr. 15 min. orientem versus, indeque solaria & pyxides horarias nauticasque emendare voluerit: ante ipsum vero *Petrum Adsigerium* A. 1269 quinque graduum declinationem observasse. Idem *Hartmannus* primus confecit instrumentum instar radii sive regulæ, (Caliben-Stab) quo pondus examinatur globorum ferreorum, plumbeorum, lapideorum, quos machinæ
781. bellicæ emittunt. Observat etiam, *Rudolpho* cuidam Mechanico, qui vixerat circa A. 1409, acceptas esse ferendas machinas, quibus ferrum in fila diducitur: eamque artem cum pater studiose celaret, communicatam esse cum aliis a filio, ingratiis parentis, quem ea res adeo male habuerit, ut, nisi fuga salutem
286. quæsivisset filius, mortem ei minaretur. Laudat *Petrum Hele*, qui, teste *Jo. Coclæo*, ex ferro parva & subtilia admodum A. 1510 fabricabat horologia, plurimis digesta rotulis, quæ sine ullo pondere & monstrabant & pulsabant horas XL, etiamsi in marsupio continerentur. Unde patet, Argentinensium *Isaacum Habrechtum*, qui seculi elapsi initio claruit, nequaquam, sed potius Noribergensium *Petrum Hele*, autorem esse ingeniosis-
288. simi horologii portatilis (der Sack-Uhr). Quæ de fera Salo-

monis,

monis, quæ Germanis dicitur Zanck-Eisen, quasi dicas *ferrum jurgatorium*, constante quodam systemate annulorum inexplicabilium, instar nodi *Gordii*, ejusdemque inventione habet, apud ipsum legantur.

Denique & de Notis, quas fusas universo Operi adspersit, judicabit lector humanissimus, si meminerit, in illis, quibus *Regiomontani* vitam illustravit, mentionem fieri de *Georgio Purbachio, Bessarione, Claudio Ptolemæo*, & Commentariis *Theonis Alexandrini* in ejus Almagestum, de *Georgio Trapezuntio, Gerardo Cremonensi, Joanne Blanchino, Alfragano, Nicolao Cusano*, de tabulis *Alphonsinis*, de *M. Manilio, Jacobo Angelo, Euclide, Proclo Diadocho, Julio Firmico Materno, Leopoldo de Austria, Antonio de Montulmo, Archimede, Vitellione, Menelao, Theodosio Tripolita, Apollonio Pergæo, Sereno, Herone, Jordano Nemorario, Aristotele, Julio Hygino*, insuperque disquiri, quale fuerit *Ptolemæi* meteoroscopium: atque exinde conficiet, plura in hoc libro contineri scitu dignissima, quam frons & inscriptio pollicetur. p. 18.

O ENGENHEIRO PORTUGUEZ DIVIDIDO em dous Tratados, &c.

h. e.

MACHINARUM BELLICARUM ARTIfex, seu Architectus militaris Lusitanicus, duobus Tractatibus comprehensus, quorum primus Tomus docet Geometriam practicam, in charta & terra, usum instrumentorum necessariorum, & modum designandi machinas bellicas, cum Appendice de Trigonometria rectilinea; alter Tomus fortificationem regularem & irregularem, oppugnationem & defensionem urbium, & usum instrumentorum bellicorum tradit; Autore EMANUELE DE AZEVEDO FORTES, *Academico Regio Academiæ historiæ Lusitan. &c.*

Tomi II.

Ulyssipone Occid. apud Eman. Ferdinandum de Costa, T. I 1728, T. II 1729, 4.

T. I Alph. 3 pl. 3 Tabb. æn. 12.

T. II Alph. 2 pl. 18 Tabb. æn. 22.

Mathematicas etiam artes cum historicis studiis jungere Lusitanos, easque præclare excolere, Autor noster, in utilissimis Matheseos partibus, nempe Geometria & Architectura militari exercitatissimus, ostendit, & ejusmodi librorum Lusitanice scriptorum defectum, de quo in Præfatione conqueritur, egregie supplet. Ac primo quidem Tractatu Geometriam practicam tribus libris comprehendit, quorum primus Longimetriam, seu mensuram distantiarum, octo Capitibus, secundus Planimetriam seu mensuram superficierum, duodecim Capitibus, tertius Stereometriam seu mensuram corporum solidorum decem Capitibus explicat. In Planimetria modum superficies metiendi novis regulis docet, ut operationes breviores, faciliores & exactæ magis fiant, ac peculiari Capite p. 144 seqq. annexo divisionem camporum, quæ Geodæsia vocatur, monstrat. In Stereometria calculo Arithmeticæ vulgaris laborioso rejecto, breves & accuratas regulas suppeditat, & ad facilem proportionem reducit, quibus usum instrumentorum mathematicorum subjunxit, ac in appendice Trigonometriam rectilineam methodo clara & concisa p. 455 sq. tradit. Problemata ac propositiones, quæ peculiarem excussionem artis hujus studiosorum merentur, sigillatim recensere, nostri instituti non est.

Secundus Tomus in octo libros divisus est, in quorum primo de Architectura militari seu Fortificatione in genere ejusque principiis fundamentalibus, locisque ad illam maxime idoneis, & primis autoribus, qui antiquas illius formas immutarunt, agitur. Secundus, tertius, & quartus liber fortificationem regularem triplici methodo *Antonii de Villa*, Comitis de Pagan & Galliæ quondam Mareschalli, Domini de Vaubau, exponit, & Anonymi cujusdam, tribus his innixi, vestigia premit. Liber quintus fortificationem irregularem, sextus effectivam, ut loquitur, seu ipsas munimentorum fabricas delineat. Septimus

mus & octavus fortificationem defensivam & offensivam commonstrat. Appendix armorum & tormentorum bellicorum formas & usum complectitur.

NOUVELLES PENSÉES SUR LE SYSTEME de M. Descartes.
hoc est,
COGITATIONES NOVÆ DE SYSTEMATE Cartesii & modo hinc deducendi orbitas & Aphelia Planetarum, præmio condecoratæ A. 1730 ab Academia Regia Scientiarum; Autore JOANNE BERNOULLI, Mathematum Professore Basileensi & Membro Academiarum Regiarum Scientiarum Gallicæ, Anglicæ & Borussicæ.

Parisiis, apud Claudium Jombertum, 1730, 4 ch. aug.
Plag. 5, Tab. æn. 1.

PRoblema ab Academia Scientiarum Regia pro A. 1730 propositum, quod hic solvit ingeniosissimus *Bernoullius*, huc redit: *Quæ sit causa figuræ ellipticæ orbitarum planetarum, & cur axis major istarum ellipsium mutet positionem, cur earum Aphelia seu Apogæa successive diversis cœli punctis respondeant?* Supponit Vir celeberrimus systema Copernicanum, quod phænomenis omnibus simul solum satisfacit, & vortices *Cartesianos*, rejecta attractiva facultate & vacuo *Newtoni*. Quoniam *Newtonus* in *Principiis lib. 2 prop. 51 & 52* demonstratam a se gloriatur impossibilitatem vorticum; Noster ostendit, prætensam demonstrationem, quam tantopere crepant sectatores ejus, esse purum sophisma idque manifestum, utpote duabus suppositionibus falsis innixum. Earum prima est, quod impressiones orbium contiguorum, in quos fluidum vorticosum resolvit *Newtonus*, in se mutuo factæ, consistant in resistentia, quam causatur affrictus in separatione superficiei convexæ orbis unius a superficie concava proximi, cum constet resistentiam pendere unice a vi, qua superficies una premitur adversus alteram, minime autem a magnitudine superficierum se mutuo contin-

 gen-

gentium, quemadmodum experimentis docuit *Amontonus* in Commentariis Acad. Reg. Scient. A. 1699. Altera est, quod *Newtonus* negligat actionem vectis, cujus consideratio hic sit absolute necessaria, cum constet, eandem vim applicatam secundum tangentem peripheriæ rotæ majoris majorem efficaciam habere in illa convertenda circa axem, quam si applicetur simili modo ad rotam minorem, etsi orbes illos concentricos consideret tanquam rotas solidas circa centrum convertibiles. Miratur *Bernoullius*, quod hos errores non adverterit tantus Geometra, & multo magis, quod eos non animadverterint ejus sectatores, tanto zelo in verba magistri jurantes. *Newtonus* duplicem vorticem considerat, alterum cylindricum, alterum sphæricum. Cylindricus gignitur, si cylindrus solidus infinite longus in fluido uniformi & infinito circa axem positione datum uniformi cum motu revolvitur, & ab hujus impulsu solo fluidum in orbem agitur: sphæricus autem, si sphæra solida simili modo revolvitur, & ab hujus impulsu solo fluidum in orbem agitur. In priori casu ex suppositionibus erroneis deducit, tempora periodica partium fluidi esse ut ipsarum distantias ab axe cylindri; in posteriori autem eadem esse ut quadrata distantiarum a centro. *Bernoullius* vero ex principiis veris, calculo instituto, demonstrat, tempora periodica partium fluidi esse ut radices cubicas biquadratorum seu quartarum potentiarum distantiarum ab axe cylindri in casu priori; sed in altero ut radices cubicas potentiæ quintæ distantiarum a centro sphæræ. Apparet autem, principiis veris usum non tanta facilitate ad scopum pertingere, quemadmodum *Newtonus* per erronea ad eum sibi pervenisse visus est. In vortice cylindrico *Newtonus* peccat in defectu; in sphærico autem in excessu, atque ea ratio est, cur ipsi regula *Kepleri*, juxta quam tempora periodica sunt in ratione sesquiplicata distantiarum a centro, cum vorticibus non consentire deprehensa fuerit, cum tamen proportiones temporum periodicorum in vorticibus *Bernoullianæ* ad regulam *Keplerianam* satis appropinquent. Quod vero non prorsus consentiunt, hinc esse colligit *Bernoullius*, quod figura solis neç cylindrica sit, neç sphærica, sed sphæroidica, ad sphæram

pro-

proxime accedens, quemadmodum Astronomi ac Physici recentiores contendunt. Jam quod planetæ diversam sortiantur a sole tanquam centro vorticis, in quo natant & circa solem circumferuntur, distantiam, diversæ densitati vorticis tribuit, quam *Newtonus* neglexit, & diversæ densitati planetarum, vi cujus unusquisque eum obtinet locum, ubi densitas ipsius conveniens densitati vorticis. Qualis autem densitas vorticis esse debeat, ut regula *Kepleri* exacte in revolutione circa solem observetur, calculo analytico inquirens, reperit, densitatem vorticis reciproce esse debere sicut radicem quadratam distantiarum a centro, in qua ratione etiam sunt celeritates. Removet deinde dubium, quod oriri poterat ex eo, quod materia circa centrum vorticis densior sit, quam in locis ab eodem remotioribus. Vorticibus *Cartesianis* hoc pacto ab objectionibus liberatis porro ostendit, quomodo orbitæ ellipticæ *Keplerianæ* in hypothesi vorticum subsistant. Quomodo prodeat linea a circulari diversa, facile ostenditur. Etenim si ponamus, planetam initio fuisse collocatum in vortice, ubi densitas ejus diversa a densitate vorticis; cum extra locum æquilibrii sui constituatur, vel ascendere, vel descendere debet in recta per centrum vorticis & centrum ipsius ducta. Enimvero quoniam eodem tempore motu circulari materiæ cœlestis circa centrum vorticis revolvitur; motus inde compositus oritur, quo diversa utique a circulari describi debet linea. Indicat deinde, quomodo ex reciprocatione ascensus & descensus planetæ atque circulatione orbium vorticis deducatur, quod figura orbitæ sit ellipsis, etsi evitandæ prolixitatis gratia calculum non apponat. Concipit adeo quasi perennes oscillationes planetæ, quales in pendulo observamus & quarum vi planeta dato tempore ab orbe quodam vorticis remotiori a centro ad propiorem descendit, iterumque ab hoc ad illum ascendit interea temporis, dum circa centrum revolvitur. Quodsi tempus oscillationis esset æquale tempori periodico seu revolutionis, linea apsidum foret fixa. Quamobrem causam mutationis positionis ejusdem conjicit in inæqualitatem temporis oscillationis & revolutionis. Prodit autem ex hac hypothesi motus Aphelii æquabilis

bilis & secundum successionem in planetis primariis. Observationes Astronomorum nondum adeo certæ sunt, ut quantitatem temporis determinare liceat, quo datum spatium conficit Aphelium. Quare nihil ea de re definit, nihilque certitudinis inesse iis ostendit, quæ *Newtonus* ea de re tradit. Lunæ tantæ sunt irregularitates, ut vix ad regulam revocari possint. Id quidem inde provenit, quod Luna tanquam satelles Terræ, dum circa terram revolvitur, una cum eadem circa Solem circumfertur. Ostendit itaque Noster, hinc non prodire posse ellipsin, sed prodire debere figuram ab ea diversam. Ex sua tamen hypothesi præcipuorum phænomenorum rationem reddit, quæ circa motum Lunæ observantur. Sub finem denique experimentum proponit, quo mediante pendulo genesis orbitarum planetarum & progressus Aphelii oculis quodammodo subjici possit.

CHIETI, CENTURIA DI SONETTI ISTORICI &c.

h. e.

TEATE, CENTURIA SONULORUM HIstoricorum, Sacratissimæ Maj. Imperiali & Catholicæ dedicata; Autore FRIDERICO VALIGNANO CEPAGATTI *Marchione, inter Arcades* Nivalgo Aliarteo.

Neapoli, e Typogr. Felicis Muscæ, 1729, 8.
Alph. 1 pl. 2 & Icon. 2.

SI Illustris Autoris iconem huic Operi præmissam intuearis, statim animum ejus generosum & bonis literis, Poesi inprip. 342. mis, probe excultum agnosces. Postquam is Dialogum, Canticum & amatoria quædam dedit, tantum in eo valuit patriæ amor, ut Teaten *Panegyrico Historico-Poetico* (ita enim ipse Poema suum vocat p. 346) inprimis decorandam sibi sumeret. Etenim non defuere urbi celebratissimæ Scriptores, quos inter
313. eminent *Lucius Camarra*, vir doctissimus, qui sermone Latino, ad *Sallustii* & *Taciti* genium composito, *de Teate antiquo* Libros III Romæ 1651 conscripsit, & *Hier. Nicolinus*, qui dedit librum

brum *Storia di Chieti*, Neapoli A. 1657 editum, Chronologiæ quidem, ut Noster testatur, minus curiosus, nimiumque credulus subinde, qui tamen collegerit non ubivis obvia. At laudes urbis, origines factaque civium illustria carmine celebrare ausus est hactenus nemo præter Ill. Marchionem *Cepagatti*, Patritium Romanum & Teatinum, qui tam pulchre miscuit utile dulci, ut non possit non poema hoc summa cum voluptate legi, maxime cum notas illi subjecerit Autor doctas atque elegantes, quibus, quæ ad antiquitates & historiam literariam spectant, illustrantur, quædam etiam indicantur, in quibus alios Poetas imitatus est, sed paucissima, cum se a servili imitatione
testetur alienissimum. Ita quid coloniam, quam *Tacitus* se- p. 168.
dem vocat servitutis, & municipium, tum quid cohortem & le- 173.
gionem Romanorum intersit, docet, & de oraculis veterum, de- 222.
que nominum veterum origine ex animalibus & leguminibus 227.
similibusque aliis differit. Historiam præterea patriæ per Gothorum, Longobardorum, Saracenorum & Normannorum tempora ad modernum Regem & Imperatorem gloriosissimum
erudite deducit. De Latinitate medii ævi observat e *Sfortiæ* 301.
Pallavicini Tractatu elegantissimo *de stylo*, quod non parum traxerit ex Arabismo, donec *Petrarcha* & *Boccatius* sub Roberto inprimis Rege puritatem æque Latinæ ac Italicæ linguæ resti-
tuerint. Excurrit etiam in laudes fœminarum Neapolitana- 214 sq.
rum cum doctrina & Poesi tum genere illustrium, quas inter nominat *Therésiam Grillo* Principem Pamphiliam, *Petronillam* Massimi Marchionem, *Faustinam Marutti-Zappi*, *Franciscam Gallone Castromediano*, *Morciani*, *Isabellam Mastrilli*, *Marigliani*, & *Auroram Sanseverino-Gaetani*, *Laurenzani*, Duces, *Beatricem de Tocco*, ex regio sanguine ortam, Aquavivæ Principem, & *Hippolytam Cantelmo-Stuart*, Ducem Bruzzani & Principem Roccellæ, quæ omnes fere Arcadum Academiæ ad-
scriptæ fictis nominibus inclaruere. Nec prætermittit Colo- 343.
niam Arcadum Teatinam, inprimis Autoris nostri, qui & hodie præsidet, auspiciis institutam, doctosque Academiæ huic adscriptos recenset. Utque aliarum familiarum illustrium Teatinarum subinde meminit; ita nec propriæ obliviscitur, e qua pas-

ſim memorat viros ſummis honoribus conſpicuos prodiiſſe, inprimis de *Diomede Valignano* obſervans, quod jam A. 1120 tenuerit Arcem Valignanam.

FRANCISCI MARIÆ CÆSARIS EUGEnius, ſeu Mariæ Virginis per Eugenium trophæa, nuper de innumeris Turcarum relata, copiis fœda clade profligatis, atque ex Dacia Mœſiaque ejectis; cum Argumentis AGNELLI DE AMATO.

Neapoli, ex officina Dominici Roſelli, 1724, 4.
Alph. 2 pl. 11 Tabb. æn. 14.

NEapolitani Regni civi, carminis Etruſci autori, jungimus Poetam Neapolitanum Latinum, cujus Poema heroicum etſi paulo ſerius ad nos pervenerit, non omittendum tamen duximus, ut Neapolitanos cives adhuc in utroque carmine excellere doceamus. Quam materiam ſibi ſumſerit Cl. *Cæſar*, in titulo indicatur; quibus vero ornamentis eam diduxerit, quam ſcite quæſiverit occaſiones, *Carolum VI* Imp. aliosque Principes ac Duces bellicos paſſim laudibus exornandi, nunc non attinet referre. Ne vero ſpecimen deſit ex Opere, ea, quæ de Au-
p. 303. guſtiſſimo Rege noſtro *Friderico Auguſto*, cujus jam Libro IX his verbis meminerat:

Auguſtus - - Rex inclytus ille,
Qui modo Sauromatas facili ditione tuetur, &c.

309. deque ipſa Lipſia noſtra ſub finem Libri X commentatur, hoc loco deſcribemus. Ita vero ille:

Tum memores Turcæ & veſtigia dira legentes
Acceptæ cladis, luco quam fortis in illo
Intulit Iſmaritis quondam Fridericus, *ibidem*
Immotis ſimiles hæſerunt: arma remiſſis
E manibus dilapſa fluunt, tremor occupat artus
Concuſſos: revocant ergo ſua ſigna, fugæque
Se dedunt; ſiquidem Fridericum *incurrere rurſus,*
Et gladio ſibi ſternere iter, rurſusque per arma,
Perque nemus, perque objectos terno agmine vallos

Illum

Illum obluctantem, debellantemque videntur
Aspicere, & parvo numero magna agmina Thracum
Sternere: ceu quondam luco cum clausus in illo,
Aggere vel tectus triplici, spissisque lacunis
Rex Ciconum haud potuit Friderici *avertere fulmen*
Ingenti a Thracum numero; cum pene quaterni
Saxonas adversus ferrent fera bella Geloni.
Felices populi geminas aptate columnas,
Quæ duplices referant inscriptæ hoc carmine palmas:
Saxonis hic pubes Geticos bis contudit hostes:
Græcia nec vobis certet, nec martia Sparta
Thermopylas jactet; siquidem ne plurima turma
Exiguam obrueret, fecere angusta locorum.
Hic vero hic juvenum virtus montem exhibet illum;
Nec qui sustentet, sed qui radice revulsus
Ex ima Ciconum proculcet, & obruat agmen;
Robore jam Spartam, studiis jam vicit Athenas
Lipsia, quæ turmas, quæ direxisse Senatum
Scit bene: cui lauri frondes non decutit ensis
Vulnifici fulmen, nec Pegasis unda furorem
Belligerum extinguit: quæ cincta togaque sagoque
Et tonat arma rotans, & leges sancit, & inter
Bellantes Aquilas resonos demittit olores.

SAXONUM LEGES TRES QUÆ EXTANT antiquissimæ, ætate Caroli M. confectæ. Notis illustravit D. CAR. GUIL. GÆRTNERUS, in Acad. Lips. Jur. Antec. Accessit Lex. Frisionum cum Notis SIBRANDI SICCAMÆ.

Lipsiæ, apud hæredes Lanckisios, 1730, 4.
Alph. 1 pl. 20.

QUemadmodum omnes linguas Septentrionales, ita etiam jura omnia veteris ævi tam admirabili inter se concentu conspirare intelligimus, ut antiquissimis mortalium in Europa fuisse *unum Grammaticum, unum Legislatorem*, non minus ele-

gan-

ganter, quam vere dixerit Ill. *Ludwigius* in Præf. T. VII Rel. MSS. p. 48, & exemplis docuerit *Jo. Disney* supra p. 415 a nobis laudatus. Ingenia populi ac seniorum ejus vulgo quidem ex rebus gestis, sed multo certius ex priscis legibus cognoscuntur, quod nullæ ibi regnant artes & falsitates, omnia sincera sunt & aperta. Major usus earum in Jurisprudentia hodierna. Ætas parentum ac nostra multum quidem a majorum institutis, sed non ita defecit, ut nova omnia fecerit, nihilque moris pristini retinuerit. Servant enim consuetudines singularum provinciarum Germaniæ insignes reliquias juris pristini, quas nemo rectius animadvertit, nemo studiosius a peregrinarum legum confusione defendit, quam antiquitatis patriæ bene peritus. Quas ob causas non inanem operam ea in re collocarunt Viri doctissimi, *Schilterus*, *Ludwigius*, & (de quo nunc præcipue dicendum est) Consultiss. *Gærtnerus* noster. Hic vero totus id agit, ut antiquiori Jurisprudentiæ Saxonicæ lucem accendat, eoque consilio Speculi Saxonici, Juris Feudalis & Weichbildici novam, ad vetustissimos MSS. Codd. collatam & proxime prodituram editionem adornavit. Cui instituto nunc præmittere voluit tres Saxonum Leges antiquissimas, easque docto Commentario illustravit. Non abutitur ingenio, ac sibi solus sufficit, ut plerique JCtorum, qui ejusmodi argumento forte manum admoverunt, sed meditatus ubique incedit, ipsos fontes haurit, & propterea in consuetudinum originibus rerumque vocabulis explicandis feliciter versatur. Exemplo sit pag. 16 not. m. origo compositionis judicialis, p. 42 not. r. derivatio vocum *placiti* & *Ding*, p. 60 vocabuli *Pfalz*. Potissimum vero Cons. Autor illud sibi in observationibus proposuit, ut convenientiam recentioris juris consuetudinarii cum veteri ostenderet, & monstra errorum, quæ progenuit sæpe errantium doctorum interpretatio, profligaret. Itaque p. 75 usumfructum, quem in Saxonia mariti hodieque in bonis uxorum habent, ab usufructuariis veterum Germanorum tutelis derivat; & p. 80 sqq. pluribus disputat, morem antiquum, quo dos uxori a viro constituebatur, etiam hodie superesse, nec Romanorum instituta quadrare; quam opinionem *Schilterus*, *Gundlingius* &c. etiam defenderunt.

Cete-

Ceterum Legibus his Saxonicis ob affinitatem & communes utriusque populi mores adjecta est *Lex Frisionum*, cum notis *Sibrandi Siccamæ* A. 1617, 4, separatim edita. In hac vero iterata editione id solum præstitum fuit, ut innumeris mendis, quibus Franequerana scatuit, purgaretur, & annotationes *Siccamæ*, in Lectoris commodum, ipsi textui subjicerentur. Ex quibus notamus obiter errorem ab eodem p. 17 commissum, ubi homines, qui de potestate sua exibant, & in mundiburdium alicujus domini se tradebant, fuisse olim dicti putantur *unmundlinge*; nempe vox illa, quæ in Diplomatibus Ottonum frequens est, rectius *Jamundlinge* legitur. Reliquæ observationes *Siccamæ* satis testantur de viri hujus etiam in antiquitatibus Germanicis peritia eruditionisque apparatu, atque ita omnibus placent, ut notis, quas in *Statuta Opstalbomica*, A. 1323 in Ordinum comitiis condita, se scripsisse profitetur, ægre admodum careamus.

Geistreiche Gedichte.

hoc est,

CARMINA SACRA, PARTIM E CLARISsimis Poetis electa, partim nunc primum edita ab ADAMO HENRICO LACKMANNO.

Hamburgi, apud viduam T. C. Felgineri, 1730, 8.
Alph. 1 pl. 21½.

POesin inflammandis ad pietatem animis dicatam esse, cum jam olim sapientissimus quisque τῶν ἔξω agnoverit; laude carere non potest consilium Cl. Editoris, satis magnam carminum Christianæ pietatis plenorum syllogen proferendi in publicum. Huic præmittendam duxit Præfationem longiusculam, in qua ostendit perdocte, jam olim ethnicos sacris usos esse canticis; ipsum Deum religionis Israeliticæ partem fecisse carmina, & in primis Davidem fuisse poetarum cantorumque sacrorum principem; etiam ab Apostolis jussos esse Christianos pia edere cantica testatioremque eo modo facere suam pietatem; primamque Ecclesiam in concionibus publicis canendo celebrasse cœlestia beneficia. Commemorat igitur & doctores

veteris ecclesiæ, quorum supersunt sacra carmina, & autores piorum canticorum ævi medii, nec illaudatum dimittit *Lutherum* nostrum. Nec vero nisi nobilissimorum poetarum sacros fœtus hic exhibet, *Amthorii, Beccavii, Besseri, Bostelii, Bredeloi, Brokesii, Canitzii, Corvini, Crameri, Franckii, Gryphii* utriusque, *Guntheri, Hanckii, Heinii, Heræi, Hunoldi, Lackmanni*, (qui ipse est hujus Operis editor,) *Logavii, Lohensteinii, Menckenii* nostri, *Muhlpforti, Neudeckeri, Neukirchii, Neumeisteri, Opitii, Rambachii, Richey, Schlotti, Schœnemanni, Stockhusii, Trilleri*, & *Zesenii*, triumque poetriarum illustrium, *Gersdorfiæ, Ziegleriæ*, atque *Kuntschiæ*. Hos canere hic sive videas sive audias laudes Dei matutinas pariter & nocturnas, laudes Christi nascentis, morientis, resurgentis, meditationes in S. Cœnam, in mortalitatem humani generis, in æternam & felicitatem & miseriam. Hos admireris tristes voces edentes hominum post peccata admissa pie dolentium Deique veniam ardenter implorantium; psalmos item Davidis Germanicis verbis recitantes, & alias quascunque captantes occasiones religiosam reddendi suam poesin.

DISSERTATIO SÆCULARIS DE ERNESTO, Duce Brunsuicensi & Luneburgensi, Principe sapiente, pio, forti, felici, Augustanæ Confessionis assertore & vindice, publice proposita ab HENRICO PHILIPPO GUDENIO, S. Theol. D. & Prof. Prim. Regiæ Maj. Brit. in Consistorio Hannoverano Consiliario, Ecclesiarumque in urbe & Ducatu Gottingensi Superintendente Generali.

Hannoveræ, apud Fœrsteros, 1730, 4.
Plag. 19.

INter eos Germaniæ Principes, qui Augustanæ Confessioni nomina subscripserunt sua, agnitæque post diuturnas religionis tenebras veritatis professores se præbuerunt fortissimos in concione illa augustissima, tertium tenentem locum *Ernestum*, Ducem Brunsuicensem & Luneburgensem, singulari libro dum celebrat Autor Summe Reverendus, ejusque in novam Ecclesiam meri-

merita studiosissime persequitur, facit utique, quod sua dignum est persona, fungens quippe Theologi utriusque cathedræ munere in terris Augustissimæ posteritatis Ernestinæ subjectis imperio. Cui cum ad scribendam hancce historiam & libri suppeterent, etiam longe rarissimi, & monumenta MSta, facile intelligitur, certiora & ampliora vix a quoquam alio prodi potuisse memoriæ. Præmissa igitur (§.3) ceterorum Illustrissimæ domus Luneburgensis *Ernestorum* mentione, indicatoque (§. 4 & 5) natali *Ernesti Confessoris* & anno & die & loco, juxtaque adjecta (§. 6) parentum ejus ac majorum recensione, docet, (§.7) educatum eum solerter fuisse in aula *Friderici* Sapientis, Saxoniæ Electoris, avunculi sui, magistroque usum *Georgio* illo *Spalatino*: hinc in Academia Wittebergensi animum excoluisse optimis ac Principe dignis literis, ibique *Lutherum* & vidisse & audivisse; postea (§.8) diutius commoratum esse in Regis Galliæ, Francisci I, aula splendidissima. Suscepto hinc (§.9) A.1521 patriæ regimine, patris pariter ac fratris natu majoris permissu, statim is (§.10) Evangelica luce beare suos cives annisus est. Jam quidem (§.11) A.1524 Cellæ, quæ sedes erat *Ernesti*, medicus quidam, *Wolfgangus Cyclops* nomine, (cujus libelli hic memorantur,) acriter invaserat in monachos: sed cum & violentior esset & in doctrina de S.Cœna staret a partibus *Carolostadii*, dimissus, & in ejus locum suffectus est *Godschalcus Crusius*, Theol.Doctor, vir *Luthero* carissimus: cui successor datus *Henricus Bockius* (§.12) collegas habuit idoneos *Mylovium* & *Joannem Matthiæ*. Initio quidem Dux *Ernestus*, sapientiam avunculi, *Friderici* Electoris, imitatus, permisit magis, quam adjuvit reformationem sacrorum: illo vero *Friderico* mortuo, sine mora suam autoritatem accommodavit emendationi Ecclesiarum, & inter maxima pericula in pio hoc negotio progressus est, Consiliariis usus optimis & purioris religionis studiosissimis, *Ascanio Crammio, Jo. Furstero*, & *Balth. Clammero*. Quid per singulos annos pro salute Ecclesiæ fecerit *Ernestus* ad mortem usque, quæ in annum 1546 incidit, hic legere licet accuratissime & copiose expositum. Ex his unum alterumque indice quasi digito monstrabimus nostris lectoribus. Nimirum §.21 & 22 pluribus edisserit S.Rev. Autor, quam fortiter ac prudenter se gesserit *Ernestus* in comitiis Augustanis A.1530. §. 23 enarrat, quæ *Urbanus*

Regi-

Regius (*Ernesto* Duci quovis thesauro carior Theologus,) cum egerit, tum scripserit auspiciis *Ernesti* ad emendandam ornandamque Ecclesiam. *§.25* exponit *Martini Buceri* studia, id agentis, ut per *Ernestum* Ducem componeret controversiam Evcharisticam. *§.36* observat, *Ernestum* in eo paria fata cum *Luthero* habuisse, quod humanis rebus ereptus sit prius, quam bellum illud exardesceret, quo pæne oppressi fuerunt fœderati Smalcaldici. Addit, singulari Dei beneficio inter maximas Germaniæ tempestates pacem durasse in terris Luneburgicis, ac ne ob rejectam quidem formulam *Interim* quicquam calamitatis accepisse Luneburgicos. E *§. 19* discimus, patrem hunc *Ernestum* esse omnium, qui supersunt, Principum Brunsuicensium & Luneburgensium. Observamus quoque ex nota quadam *§ 9* subjecta, *Seckendorfii* in manus non venisse *Hamelmanni Historiam renati Evangelii*, illius scilicet ætate quam rarissimam. Cetera mittimus solito brevitatis studio, id unum monentes, totam Reformationis hic illustrari historiam. Auget præclarissimæ operæ pretium Appendix luculentissima, exhibens Orationem *D. Henrici Paxmanni* (cujus & vita hic paucis describitur,) de vita Ducis *Ernesti* Wittebergæ A. 1557 habitam, & quatuordecim Epistolas componendæ controversiæ Evcharisticæ causa A. 1530 & 1531 exaratas a *Bucero, Luthero*, Duce *Ernesto*, ipsiusque Cancellario *Forstero*, ac Senatu Argentoratensi. Ac *Paxmanniana* quidem Oratio jam olim edita est inter *Declamationes Melanchthonis*. Epistolarum vero illarum irenicarum duæ duntaxat jam publicatæ fuerunt, & altera quidem in Opere quodam rarissimo. Ceteras Noster primum nunc edit e Bibliotheca Ecclesiæ Cellensis. Ac facile intelligimus, iis, quibus cordi est historia Reformationis, dolori fore, quod, cetera monumenta in hac Dissertatione promissa quo minus e MSS. hic annecterentur, obstiterit Brunsuicensium nundinarum propinquitas. Hos vero sperare jubet S. R. Autor, ea a se publicatum iri alio tempore. Confirmare enim possumus rerum sacrarum seculi decimi sexti studiosis, eum plura hujus generis jam ad ultimam usque manum composuisse, & in primis Bibliopolam boni publici studiosum exspectari a Viri Summe Reverendi *Historia Ducatuum Grubenhagensis & Gottingensis ecclesiastica*, itemque a *Notitia ordinis Eremitarum Augustinianorum in duos libros divisa, quorum primo viri præstantes, qui inde ab initio ordinis usque ad tempus Lutheri floruerunt, secundo juxta Lutherum, qui eundem in reformationis ecclesiasticæ negotio adjuverunt, recensentur, ex idoneis scriptoribus & rerum monumentis eruta.*

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Decembris Anno MDCCXXX.

BURCARDI GOTHELF STRUVII, JCTI, Serenissimis Saxoniæ Ducibus Lineæ Ernestinæ, & Serenissimo Marchioni Brandenburgico-Culmbacensi a Consiliis Aulicis, Historici Saxonici, Professoris Juris & Historiarum in Academia Salana Ordinarii, Corpus Historiæ Germanicæ, cum variis observationibus & figuris æneis.

Tomi II.

Jenæ, sumtibus Jo. Felicis Bielckii, 1730, fol. Alph. 19, Tabb. æn. 8.

DUm Historiæ patriæ excolendæ singulari cum studio incumberet Vir Celeb. in lucem emiserat A. 1712 *brevem de Imperii German. mutationibus Notitiam* vernaculo sermone, v. Act. Erud. A. 1712 p. 240; hinc ut provectioribus prodesset, multo cum labore & ex Disputationibus maxime juvenum Nob. certa themata ipsius præsidio tuentium, concinnavit *Syntagma Historiæ Germanicæ* A. 1716, avide ab eruditis exceptum, & in Actis Nostris A. 1717 p. 127 merito collaudatum. Illud idiomate Germanico paullo post vulgavit Cl. *Jo. Ehrenfried Zschackwiz* (v. Act. Erud. A. 1720 p. 549); Autori autem placuit, bina hinc sermone patrio conscribere *Compendia*, copiosius alterum, A. 1724 prelo liberatum, alterum brevius, A. 1725 impressum. His veluti principiis innititur *Corpus* hoc *Historiæ Germanicæ*; quapropter jam ante de *Syntagmate* Autoris nostri dicta huc repetere opus non erit, sed

brevibus indicare, in quo præstet *Corpus Syntagmate*, satius fuerit. Et primo quidem ordinem *Syntagmatis* servat, atque adeo Historiam German. in X Periodos distribuit, quarum I res priscas Germanorum, II sub Romanis, III sub Francis, IV sub Carolingis, V sub Saxonicis, VI sub Francicis, VII sub Suevicis Imperatoribus, VIII miseram Interregni faciem, IX Habspurgico-Luxenburgicos inprimis, & X Austriacos Imperatores sistit. Ordinem rerum gestarum modus Annalium hic adhibitus commendat; unde clarissime perspicies, quæ ad ortum, vitam, gesta civilia, ecclesiastica, bellica, familiam & mortem Principum pertinent. Ne vero dictis deesset autoritas, cuncta testimoniis scriptorum optimorum, Diplomatum & Actorum publicorum abunde videbis probata, nec scripta nondum edita, quæ fidem facere dictis possunt, hic desiderantur. Utilitatem quoque Lectori haud vulgarem affert *Bibliotheca Scriptorum German.* diligenti labore Viri Cl. *Christian Gottlieb Buderi*, J.U.D. & Præfecti Bibliothecæ Academiæ Jenensis, adornata, & huic Operi præmissa, quam etsi nolit Autor haberi pro tali, quæ sit omnibus numeris absoluta, & omnis generis Historicos Germaniæ comprehendat, (neque enim singularum Germaniæ provinciarum scriptores coacervandi erant) fatendum tamen est, illos, qui historiam Germaniæ universæ illustrant, Antiquarios permultos, Corpora inprimis & Collectiones Scriptorum German. ut & singulares Autores, qui vitam resque cujusvis Imperatoris gestas scriptis enarrarunt, eadem contineri. Figuræ æneæ sigilla Imperatorum inde a Carolo Magno ex Autoribus haud sublestæ fidei ob oculos ponunt. Adjectæ sunt sub calcem Operis Dissertationes binæ sub Cel. *Struvii* Præsidio quondam defensæ, altera *Notitiam Sueviæ Antiquæ*, altera *Synodum Francicam A. 742 sub Carolomanno habitam* illustrans. Sequitur *Index* locupletissimus, ita comparatus, ut singulæ materiæ quærentibus se facile offerant. Ipsum *Corpus Historicum*, si respicias *Syntagma*, altera ferme parte auctius apparet, licet non negemus, annotationes uberrimas typis paullo majoribus fuisse expressas. Augmenta præstantissima præbuerunt non solum fidelissima gestorum recentiorum ad annum usque præsentem enarratio, sed etiam tot egregia Volumina & Collectio-

ctiones Scriptorum, quæ indefesso Virorum Cel. studio inde ab A. 1716 certatim prela exercuerunt. Paucissima ex his loco speciminis delibasse sufficiet. De faceto Rudolphi Habspurg. ingenio, ex *Variloquo Erfurdiano*, in *Scriptor. Saxon. Menckenii Nostri Tom. II* refert, quod *iste Rex, solatii causa quodam die vitrum habens magnum in manu cum cerevisia, clamaverit: Hol ein, hol ein, ein gut Erfurtish Bier, hat Er Siffrid von Buttstadt uffgethan.* Diplomata quædam circa litem inter Rudolphum I & Ottocarum Bohemum alleganttur ex *du Mont Corps diplomatique T. I p. 237.* In enodandis rebus ab Adolpho Nassovio in Thuringia & postea gestis uberiorem illustrationem suppeditarunt *Ludewigii reliquiæ MSCtorum*, & *Tenzelii historia Friderici Admorsi, Chronicon MSCt. Thuringiæ, P. Saxii Pontificium Arelatense*, & plura a *Menckenio* nostro in *Scriptoribus Saxonicis* nuper primum vulgata. In rebus Helveticis Alberti I majori fide tradendis adducitur *Waldkirch Eydgenossische Bund-und Staats-Historie*; de ipsius morte, ut & de bellis intestinis, inter Ludovicum Bavarum & Fridericum Pulchrum multa suppeditarunt *P. Pezii Scriptores Austriaci.* Quantam ipsi lucem sub Matthia & Ferdinando II affuderint *Khevenhilleri Annales Ferdinandei*, pluribus dicere non attinet. Res Leopoldi ex *P. Wagneri Historia Leopoldi* variis modis collustrantur. Sed hæc saltem ideo subjungere lubuit, ut deliciarum historicarum gnaris certius constaret, Opus hoc eximie auctum atque adornatum prodiisse. Ceterum Autori Cel. sanitatem viresque vegetas apprecamur, quo Patriæ Historiæ commodis pro ardore sibi connato ulterius invigilare queat.

p. 514. 522. 537. 550. 551, 571 sq. 1004.

RERUM ALAMANNICARUM SCRIPTOres aliquot vetusti, ex Bibliotheca MELCHIORIS HAIMENSFELDII GOLDASTI. Editio tertia, prioribus emendatior, Præfamine, vita ac scriptis Autoris & Editoris, & nonnullis aliis auctior, cura HENRICI CHRISTIANI SENCKENBERG, Mœno-Francof. J. U. L. & Advoc.

Tomi III.

Francof. & Lipsiæ, impensis Jo. Frid. Fleischeri, 1730, fol. Alph. 6 pl. 14.

CUm Collectiones rerum Germanicarum præcipuæ, quæ hactenus rarius prostabant, intra annos non multos virorum doctorum opera, *Freberiana* nempe Argent. A. 1717 & *Pistoriana* Ratisb. 1726, utraque cum Notis *B. G. Struvii*, tum *Reuberiana* Francof. eodem anno cum *Ge. Christiani Joannis* augmentis prodierint; non minus bene de literato orbe meritus est Consultiss. *Senckenbergius*, qui *Goldastianam* hanc, bis licet antea A. 1606 & 1661 Francofurti editam, sed jam pridem ex officinis librariis exulantem, denuo prelo subjecit. Notis quidem aut Supplementis onerare librum insuper habuit; præmisit tamen Præfationem luculentam, qua dum usum ostendit Scriptorum, quos *Goldastus* collegit, nonnulla simul varia eruditione illustrat, tum vitam quoque paullo curatius, quam alii Biographi consuevere, exposuit, adjutus inprimis nonnullis Epistolis *Goldasti* MSptis, a Celeb. *Struvio* aliisque communicatis, & opera ejus, majora, minora, sive vero, sive falso, aut nullo nomine præposito edita, recensuit sexaginta sex. Mireris vero vitam hanc evolvens, scriptorem tam fœcundum cum summa paupertate conflictatum, fassum quippe, se aliquando per novem dies continuos solo pane vesci & aquam bibere coactum. Bibliothecam tamen libris impressis & manuscriptis instructissimam reliquit A. 1635 decedens, cujus Catalogus sexennio post Francof. in 4 impressus prodiit. Cum vero Bibliothecam Bremæ asservari Noster putet, dubitans quidem, num integra eo pervenerit, quandoquidem nonnulla etiam Holmiam perlata esse cum *Tenzelio* fatetur; non possumus non hoc loco monere, Bibliothecarios Bremenses de comparata Bibliotheca *Goldastiana* omnino gloriari, sed graviter simul dolere, pleraque Manuscripta a Christina Regina Sueciæ, cui nihil negare tum urbs poterat, mutuo petita, nunquam reddita fuisse, eoque se carere ex illo tempore thesauro fere inæstimabili. Ceterum gratulamur diligentissimo Editori de opera mature satis & ma-

gno

gno eruditorum fructu in exornanda Historiæ Germaniæ mediæ & Juris publici doctrina collocata, cujus rei & aliud specimen hoc ipso anno dedit sub titulo: *Fabula Judicii Palatini in Cæsarem, Juris publici doctoribus hactenus credita, dilucide explicata & destructa rationibus, testimoniis historicis & usu moderno,* promittens propediem *conjecturas de familiis Francica & Suevica Augustis, harumque conjunctione in Ludovico Barbato,* quæ jam prelo subjectæ sunt.

SEMICIRCULUS PENE VERTICALIS per ventum e nubibus albis conflatus, quem observavit Germendorfii d. 4 Martii A. 1728 G. W. WEGNERUS, Pastor.

Die 4 Martii anni 1728, hora sexta matutina, postquam animi gratia me in hortum conferebam, illico mihi in conspectum veniebat Semicirculus quidam ex albis nubibus constans, cujus duæ extremitates Horizonti insistere videbantur. Una extremitas quam proxime in regione Aquilonis consistebat, altera autem in regione Africi. Ipse Semicirculus fere verticalis erat, paululum modo plagæ orientali, quam occidentali, propior. Propter suam claritatem aspectu jucundus erat, & admirationem illis, quibus eum monstrabam, injiciebat. Constabat e nubibus candidissimis, & ab uno latere, quo nempe Euro-Austrum respiciebat, perfecte lævis erat, ita ut eminentias in illo latere observare haud liceret. Prope hoc latus nil nisi cæruleum apparebat. Latitudo Semicirculi fere unius gradus erat. Ab altero latere, quo Circium respiciebat, non adeo planus erat & lævis, sed a multis aliis nubibus albis circumseptus, quæ eum immediate tangebant, ut finis ejus vix dignosceretur. Distinctus erat ab his nubibus hac ratione, ut partes, ex quibus Semicirculus constabat, secundum ejus longitudinem oblongæ & maxime coarctatæ apparerent; partes vero, quæ ceteras albas nubes conficiebant, disseminatæ & quasi punctatæ essent. Quoniam eodem tempore Euro-Auster flabat tam in superiori, quam inferiori aeris regione, cui Semicircu-

 lus

lus erat directe oppositus, ventum istum statim pro causa efficiente hujus Semicirculi reputabam; præsertim cum animadverterem, alium ejusmodi Semicirculum, quamvis non tam perfectum, in regione Euro-Austri, 30 fere ab Horizonte gradibus, formari, qui cum priori parallelus erat. Tempestas hoc die & aliis insequentibus erat serena, amœna & calida, cum antea propter aliquale frigus & nubilum cælum tempestate minus commoda usi essemus.

A VINDICATION OF THE DEFENCE OF Christianity from the Prophecies of the Old Testament in answer to the Sheme of literal prophecy &c.

h. e.

VINDICIÆ APOLOGIÆ PRO RE CHRIstiana, ex vaticiniis Vet. Testamenti concinnatæ, quibus Autori Schematis vaticiniorum secundum literam explicatorum respondetur a Viro Summe Rev. EDUARDO, *Episcopo Conventriæ & Lichfeldiæ.*

Tomi II.

Londini, sumptibus Jacobi & Joh. Knapton, 1728, 8 maj. Alph. 1 pl. 16.

Cum non exiguus eorum in Anglia numerus sit, quibus omnis religio sordet, mirum non est, quod Summe Reverendus Autor, *Eduardus Chandlerus*, edita ante non ita multo Apologia pro re Christiana mox Adversarium invenerit, *Schema explicandi vaticinia Veteris* inprimis *Testamenti* ipsi opponentem. Hunc enim titulum libro præposuit, quo exemplum dare voluit argumentorum, quæ Apologiæ huic objici queant, illa maxime impugnans, quæ Noster ex Daniele pro confirmanda certitudine adventus Messiæ, Augusti Romanorum Imperatoris temporibus, adduxerat. Cum vero Adversarius animum religioni Christianæ vehementer infensum satis prodiderit, ut spes non sit, hominem quantocunque rationum pondere ad saniorem mentem revocatum iri; fatetur, responsionem

nem hanc non tam in ipsius, quam proborum hominum gratiam a se vulgari, qui veritatem unice quærentes, scrupulos omnes, qui incautis forte imponere possent, in re Christiana accurate tolli optant. Adversarium enim vix dignum judicat, in cujus objectionibus explodendis multum operæ insumatur, siquidem malam fidem prodat, gravissimos errores, citando loca autorum, committat, sententias ipsorum detorqueat, aut extra contextum fraudulenter verba ipsorum adhibeat, & cavillis præterea, criminatione ac sarcasmo intempestivo passim utatur, quæ arduo, de quo quæritur, fidei momento minime conveniant. Miratur autem Adversarii impudentiam, qui eorum numero S. R. Autoris nomen adscribere ausus sit, quorum castra ipse sequitur, cum nemo non videat, homines illius furfuris se suaque longe clementius excepturos, imo in laudibus suis prolixos futuros fuisse, si ad partes suas pertinere Virum tanti nominis vel suspicari potuissent. Sed frivolis his Adversarii artibus omissis, hoc inprimis Opusculo S. R. Autor Danielis vaticiniorum atque genuinæ eorum secundum literam explicationis vindicias scribere instituit, inprimis cum rerum, quæ Messiam spectant, veritas ita connexa sit cum autoritate Prophetæ hujus, ut hac probe stabilita ac confirmata, dubia, quæ contra tempus adventus, patriam, personam Messiæ, & quæ reliqua sunt, objiciuntur, omnia confestim evanescant. Argumentum hoc in duos partitus est libros, quorum primo demonstrat, Judæos, republica ipsorum ad ruinam jam inclinata, quo tempore verus Salvator mundi comparuit, Daniele inprimis judice, Messiam anxie expectasse; altero, multis quoque aliis inter paganos per orbem universum populis, obscurius licet, innotuisse evincit, temporibus hisce heroem amplissimæ dignitatis nasciturum. Opus vero hoc suum lecturos, inprimis eos, qui jam prono sunt in hostes rei Christianæ eorumque scripta animo, obtestatur, ne, quod plerique faciunt, satyras hominum male feriatorum tam avide excipiant, existimantes, se in illis non, quod pueri in faba, reperturos, quæ vero a meliori parte respondentur, contemnant vel attenta saltim mente legere dedignentur; at rerum divinarum prorsus imperitos, ne vehementer pro novis opinionibus depugnent, amice rogat.

rogat. Cum enim veritatis dignitatem, & generis humani commoda contra religionem pugnantes ut plurimum prætexant, quærit, quid emolumenti tandem ad publicam rem inde accessurum sit, si vera omnia atque ex tripode dicta essent, quæ Autor *Schematis* protulit? Noster itaque libro primo autoritatem Prophetiæ Danielis asserturus, *Capite 1* antiquitatem ejus, divinam originem, &, quod ab alio Danieli supposita non sit, demonstrat, quo ipso varias Adversarii objectiones eadem opera diluit. *Capite 2* argumentis tam externis quam internis evincit, quod vaticiniis Danielis non modo inter se, sed cum aliorum quoque Prophetarum vaticiniis optime conveniat. *Capite 3* denique in ea inquirit, quæ de LXX hebdomadibus commentus erat Adversarius, ut scopum earum explicaret. Etenim probare coactus est Adversarius, hæc non edita esse a Daniele isto, qui Nebucadnezaris & Cyri temporibus vixit, sed ab alio ejusdem nominis, Maccabæorum temporibus res non futuras canente, sed pridem gestas sub Prophetiæ schemate narrante, cui adeo in rebus Antiochi Epiphanis, sub cujus imperio ipse vixerit, necessario subsistendum fuerit. Temporum rationem errori suo incrustando primum sumit, cum Ezechiel de Daniele illo priori, qui Jehojakimi tempore vixit, tanquam viro decrepitæ ætatis, & ipse Daniel in libro suo de se, tanquam admodum juvene Jehojakimi temporibus, loquatur. Noster vero Ezechielem de Daniele, tanquam viro ætatis admodum provectæ, locutum, diserte negat, atque, subducto temporum calculo, demonstrat, quod, quæ Ezechiel de Daniele tradit, cum iis, quæ ipse Daniel consignavit, nulla ratione pugnent. Objecit porro Adversarius, quod Daniel, scriptor libri divini, supponatur in aula Regum Babyloniæ ac Persiæ commoratus, & in numerum principum ac optimatum, quibus regni habenæ concessæ fuerint, cooptatus fuisse. In libro autem Danielis superstite nomina regum Orientis eo tempore viventium male confundi aut false adduci; ubi inprimis ad exemplum Darii Medi, cujus mentionem Propheta facit, provocat, quem ex rebus gestis, quæ ipsi adscribuntur, alii Cyaxarem II Persarum regem, alii Nabonidum, Chaldæis imperantem, esse conjiciunt.

ciunt. Credibile autem non esse, virum vel in aula Regum istorum viris primariis adscriptum, vel certe proxime ab illorum temporibus viventem, erroribus ejusmodi obnoxium fuisse. Optime vero concipi posse, hominem, qui ingenti annorum intervallo a Regibus istis remotus vixerit, atque res gestas illorum ex aliorum fide retulerit, in eosdem errores incidisse. Respondet ad hæc Noster, Græcos, qui miro inter se ipsos dissensu in enarrandis rebus populorum Orientis suspectam admodum fidem suam reddiderint, iis, quæ Daniel narret, derogare nihil posse. Et licet disertis verbis mentionem Darii illius Medi scriptores Græci haud faciant, memoriam tamen ejus in nummis diligenter esse conservatam. Loquitur enim *Xenoph. V* de certi generis moneta, quam Δαρεῖκοι vocat, quæ primo Persarum ejus nominis Rege multo antiquior est, cum Cyrus ejusmodi nummos militibus distribuerit diu ante Babylonis obsidionem, & regni Assyrii eversionem. Præterea Reges Orientis in more habuisse, ut alia nomina vel sub regni auspicium vel in Deorum suorum honorem adoptarent, paternumque aut gentilitium nomen, additis aliis, sæpe augerent, pluribus exemplis demonstrat, atque ita fieri facile potuisse concludit, ut iidem Reges a diversis autoribus aliis aliisque nominibus designarentur. Denique nec pugnare historiam Græcorum cum iis, quæ Vates divinus refert, contendit, cum Danieli propositum non fuerit, integram regnorum illorum historiam condere, atque omnium Regum seriem contexere, sed, quæ ad vaticinia sua spectant, tantum decerpere quasi ac commemorare. Licet itaque Daniel referat, Darium aliquem Medum occupasse regnum ignavi illius ac voluptatibus immersi Belsazaris, non tamen ideo negari ab ipso, quod plures inter Belsazarem hunc atque Darium, quem Daniel Medorum Regem vocat, imperaverint sibique successerint Reges. Invertit denique Adversarii argumentum, quo antiquitati librorum Danielis detrahere instituit, demonstrando, quod si Maccabæorum tempore autor illorum vixisset, instructus plurimis Chaldæorum & Persarum, qui diu post Danielis fata vulgabantur, scriptis, Berosi inprimis, cui antiqua sacerdo-

tum monumenta patebant, Regum illorum nominibus non facile sibi imponi passurus, multoque felicius sibi prospecturus fuisset. Explodit quoque Adversarii objectionem contra ea, quæ a Daniele de Nebucadnezare, multo tempore cum bestiis in agro sub jove frigido vivente, referuntur. Nihil enim absurdi in eo esse demonstrat, quod Rex ille propter fastum mentis deliquio a Deo punitus dicatur, atque morbum hunc eundem esse conjicit, qui a Medicis Lycanthropia vocatur, graphice ac poetico fere stylo a divino vate descriptum. Arguit porro Adversarius Græcas voces, aut ex illis derivatas, quæ in Danielis libris occurrunt, quas *Grotius* jam curiose notavit. Græcorum vero linguam ante stabilitum in illis terris ab Alexandro M. Græcorum imperium, Orientis populis ignotam plane fuisse, atque Danielem multis seculis ætatem Alexandri præcedere, contendit. Noster vero usum terminorum technicorum per mercaturam, quæ inter Græcos & omnes Orientis populos Tyriorum maxime & Phœnicum longinquis per mare itineribus exercebatur, a Græcis ad Chaldæos & Persas facile propagari potuisse, ostendit. Sunt enim Græca illa, quæ in libro Danielis occurrere dicuntur, vocabula maximam partem Musica; præterea nonnullorum ex illis originem *Grotius* male a Græcis repetiit, cum re vera potius Chaldaica sint. Græci vero æque ac Orientis illorum temporum Reges ingens Musicæ arti pretium statuebant, e quavis terra arcessentes, ac opibus & honore mactantes, quos in arte illa excellere arbitrabantur. Hæc occasionem S. R. Autori suppeditant, multa de antiquissimo Musicæ statu, ipsius dignitate apud veteres atque instrumentis musicis commentandi, quæ frustra alibi quæsieris, quæque famam amplissimæ doctrinæ, qua erudito orbi diu jam innotuit, optime tuentur. Sed pergimus ad alia argumenta, quibus autoritatem scriptorum Danielis infringere molitur Adversarius. Objicit, Danielis vaticinia cum aliis S. Codicis libris a LXX Interpretibus in Græcam linguam conversa non esse, sed textum Græcum ex *Theodotionis* versione Vet. Test. in linguam Græcam, altero post Christum natum seculo con-

cin-

cinnata, transsumtum esse; ea, quæ Daniel refert, clara nimis ac aperta esse, ut adeo vaticinii speciem sustinere non possint; cum in Ecclesiastico Prophetarum sacrorum nomina & numerus recenseantur, Danielem ibi prorsus omitti, certo satis argumento, ejus temporibus Danielis librum inter canonicos relatum haud fuisse; Jonathanem, qui brevi ante Christum tempore Paraphrasin Prophetarum Chaldaicam vulgavit, Danielem omisisse, adeoque non idem, quod aliis Prophetis, pretium eidem statuisse videri; imo *Maimon.* Mor. pag. 219 diserte testari, scripta Danielis communi Judæorum consensu non in Prophetarum, sed Hagiographorum numerum olim relata fuisse; multos ex Judæos arbitrari, non ipsum Danielem, sed virum Synagogæ magnæ libri autorem esse; aliosque, eum Prophetam dici non posse, eo argumento contendere, quod vaticinia illa per somnium ipsi fuerint revelata. Argumenta hæc Adversarii S. R. Autor maximam partem invertit, demonstrando, jam Christi temporibus omnino extitisse Græcam Danielis versionem, eodem, quo aliorum Prophetarum versiones, in pretio habitam, atque adeo a LXX Interpretibus concinnatam. Immo cum ex Prologo Ecclesiastici constet, versionem hanc Græcam jam ante Ptolemæi Evergetis II tempora innotuisse, necessario sequi, textum Hebræum longe adhuc antiquiorem, adeoque vaticinia Danielis, lingua sacra edita, æque canonica esse, ac alia Scripturæ S. volumina. Testatur quoque diserte *Hieronymus*, antiquam Danielis versionem Græcam, quæ non nisi LXX virorum est, Patrum quorundam arbitrio repudiatam, atque *Theodotionis* versionem, cui cum Textu Hebræo melius convenire putabant, in locum ejus substitutam fuisse, & plurimas lectiones variantes ex antiqua illa versione annectit, quibus illa tum a *Theodotionis*, tum ab *Aquilæ* & *Symmachi* textu discrepat. *Origenes*, cum, *Theodotionis* versionem LXX virali comparando, in Daniele inprimis nævos hujus deprehenderet, primus videtur autor fuisse, ut rejecta prorsus LXX virorum versione, universa Biblia sacra ex versione *Theodotionis* in ecclesia legerentur. Cum denique certis constet ar-

gumentis, Latinos diu ante *Origenem* atque *Theodotionem* versionem S. Scripturæ habuisse; non modo Hebraicarum literarum illis temporibus ignorantia, sed convenientia quoque Latini textus cum Græco testatur, illam ex LXX virali versione translatam fuisse. Nec derogat autoritati librorum Danielis, quod vaticinia ejus nimis plana atque evidentia Adversario videantur, omnesque rerum gerendarum circumstantias accurate nimis recenseant, cum omniscientiæ divinæ limites poni nequeant, & exempla ejusdem evidentiæ in Esaia, Jeremia, Ezechiele aliisque Prophetis passim occurrant, ut res gestas potius narrare, quam futura canere videantur. Ceterum paradoxum valde est, vaticiniorum evidentiam Prophetæ exprobrari, cum alii, quibus nulla religio placet, ex reconditis vatum divinorum sermonibus autoritatem ipsorum divinam impugnare soleant. Quod vero Autor Ecclesiastici Danielem numero Prophetarum, quem iniit, haud adscribat, ex eo nondum evincitur, scripta ipsius temporibus illis nondum extitisse; nec satis constat, an non librariorum incuria Danielis nomen in primis statim Codicibus perierit. Præterea Autor Ecclesiastici nec Esræ aut Jobi mentionem facit, quos tamen nemo propterea ex canonicorum librorum numero expungeret. Posthumum hoc Ecclesiastici scriptum in Ægyptum primum delatum, & a nepote autoris demum editum est, unde mira illa inter Codices adhuc superstites discrepantia, quæ, Danielis nomen oscitantia scribarum facile excidere potuisse, æquis rerum arbitris persuadet. Et cum Autor *Schematis* testetur, Danielis libros a Judæis non in Prophetarum, sed Hagiographorum numerum relatos fuisse; mirari non debebat, cur Jonathan non æque Danielem ac reliquos Prophetas in Chaldaicam linguam transtulerit; siquidem nec Esræ nec Nehemiæ scripta in linguam istam conversa sint, licet de eorundem apud Judæos illius ævi autoritate nemo propterea dubitet. Atque ab illo Jonathane Targum in Danielem editum haud fuisse, quod parvi oracula ejus faceret, aut quod nulla eorum inter Judæos dignitas fuisset, vel inde apparet, quod ipse ille Jonathan sæpius ad confirmanda aut illustranda aliorum Pro-

phe-

phetarum vaticinia Danielis verbis utatur. *Maimonides* vero, qui ex communi Judæorum sententia Danielem inter Hagiographos relatum testatur, male reticet, quo tempore opinio hæc inter Judæos invaluerit. Certe primis post Christum natum seculis scripta Danielis inter prophetica ab ipsis Judæis lecta fuisse, antiquissimorum monumentorum fide adstruitur. Sub finem denique primi Operis hujus Tomi studiose inquirit in id, quod cavillationum Adversarii caput fere ac fons est, quasi Daniel non vaticinatus esset, sed rerum sub Antiocho Epiphane afflictarum in Judæa historiam retulisset; ubi, comparando verba Danielis cum temporum illorum historia, secundum fide dignos scriptores profanos, accurate demonstrat, neque per temporum, neque aliarum circumstantiarum rationem temere hoc affirmari posse.

Sed pergendum nobis jam est ad Tomum alterum, quo S. R. Autor demonstrare instituit, non Judæos modo, sed alias quoque gentes, tempore adventus Jesu Christi in mundum, magnum Heroem brevi nasciturum expectasse. Sigillatim itaque ostendit, nonnullos ex Sadducæis sectam scribarum sive Karaitarum universam, Samaritanos, Arabes, Græcos ipsos & Romanos spem illam tunc temporis aluisse. Caussatur quidem Adversarius, ex Annæ Christum infantem in templo ulnis amplexatæ verbis constare, ipsam locutam esse ad omnes, qui redemtionem Israelis præstolabantur: neque adeo omnium Judæorum in universum hanc sententiam & expectationem fuisse: Sadducæos inprimis ac Karaitas, explicationem S. Scripturæ secundum literam urgentes, spem de Messia in terris apparituro habere non potuisse; sed Noster, quam detorta sit illa verborum Annæ interpretatio, quam male de Sadducæis, Epicureorum principia sequentibus, adeoque omnem Dei providentiam negantibus, afferatur, quod ex literalis sensus studio spem de adventu Messiæ abjecerint, & quam mala denique fide Karaitis exprobretur, quod literali sensui inhærentes, Messiam non nisi carnalem expectare potuerint, uberius demonstrat. Equidem illo argumento, quo contra gentium illius ævi expectationem Sospitatoris alicujus pugnat,

multum gloriatur Adversarius, inprimis asserens, quod famosus ille *R. Hillel*, tertio post Christum seculo, eminenti apud Judæos titulo Principis captivitatis ornatus, diserte testatus sit, frustra Israelitas Messiam expectare, cum tempore Ezechiæ Regis Judæorum in terris ille jam comparuerit, nec a Rege hoc, in quem omnia divinorum vatum oracula rite quadrent, diversus sit. *Rich. Simonium* quoque in subsidium vocat, observantem, persuasionem de Messia venturo *Hillelis* illius tempore a Judæis inter fidei articulos relatam non fuisse, donec illam demum seculo XI *Maimonides* iisdem inseruerit. Provocat quoque ad ipsum *R. Albo*, qui disertis verbis testatur, *Hillelem* apostatam non esse, etiamsi Messiam jam venisse, huncque Regem Ezechiam fuisse docuerit, cum hic non sit fundamentalis religionis Judaicæ articulus, sed a Patrum saltim traditione pendere censeatur. Respondet ad hæc S. R. Autor, male confundi recentiorem *R. Hillelem*, ignobilem scholæ Tiberiensis magistrum, cum veteri illo *R. Hillele*, qui non multis ante natum Christum annis celebris, luculento illo Principis captivitatis titulo mactatus fuerit. Nec satis probari a *Simonio*, quod recentior ille *R. Hillel* jam suo ævo non a communione Judæorum exclusus, & in apostatarum numerum relatus sit. Certe *R. Josephum* acerrime in ipsum invehi, atque propter doctrinam hanc ipsum diserte damnare, quod salutis genti Judaicæ per Messiæ adventum promissæ solus particeps non sit futurus. Suspicatur denique, hunc *R. Hillelem* eundem esse cum *R. Ellele*, qui titulo Patriarchæ Judæorum Constantini temporibus Tiberiensi scholæ præsidebat, atque clam Christianorum sacris initiatus, in mortis agone tandem sacro lavacro tinctus est. Judæi enim, conversionem ipsius indignati, ut scholæ suæ honorem servarent, subdole rumorem vulgasse videntur, quod duntaxat in Messiam, qui jam in mundo comparuit, & ab Ezechia Judæorum diversus non sit, crediderit, ne, Christo ipsum nomen dedisse, in scholæ suæ ruborem fateri cogerentur. Certe schola Tiberiensis post fata ejus plane desiit, quasi contagione quadam magistri profanata, neque de aliis doctoribus, qui in Palæstina ipsi successerint, quicquam constat. Sectione

ne II Capitis I de Samaritanorum in Meſſiam fide S. R. Autor commentatur. Adverſarius, cum evidentia illa fœminæ Samaritanæ apud Johannem Cap. IV teſtimonia de gentis illius ſpe venturi Meſſiæ negare aut detorquere non poſſet, ut ipſam narrationem hanc ſuſpectam redderet, animum induxit. Cauſatur enim, locis illis a Samaritanis dici, Meſſiam Salvatorem totius mundi fore, cum tamen Judæi ipſi Soſpitatorem duntaxat Iſraeliticæ gentis expectaverint, ita ut Apoſtoli quoque jam poſt mortem Chriſti errorem hunc ægre exuerint. Noſter multa erudite circa objectionem hanc monens, diſerte tandem reſpondet, abſurdum illud non eſſe, ſi dicatur, Samaritanos magis defæcatam atque claram Meſſiæ notitiam habuiſſe, quam Judæos; cum horum doctores ſacra vaticinia figmentis multis obſcuraſſe conſtet. Et graviter denique vindicat, quæ de *Doſitheo, Simone Mago*, & *Menandro* narrantur, qui Samaritanis pro Meſſia ſe obtrudere inſtituerint, manifeſto argumento, populum hunc Meſſiam jam illo ævo expectaſſe. Immo ex monumentis, quæ de Samaritanorum noſtri temporis religione ad nos perlata ſunt, hos quoque in Meſſiam mundi Servatorem credere, ejusque adventum adhuc præſtolari, demonſtrat. Capite II de notitia Meſſiæ ad gentiles derivata agit, & primo loco hiſtoriam magorum ſtella duce ad Chriſtum recens natum deductorum, quam omnibus artibus Adverſarius ſuſpectam reddere molitur, vindicat. Quæ de tempore nativitatis Chriſti Evangeliſtæ tradunt, mirum in modum ab Adverſario detorta, adſtruit, & uberius confirmat, quam ante jam in Apologia aſſeruerat, notitiam multorum ex paganis de adventu ipſius, atque univerſalem fere ſeculi illius exſpectationem magni Herois mox naſcituri. Adduntur appendicis loco *Joh. Maſſoni* ad S. R. Autorem literæ de infanticidio Bethlehemitico, quod *Matth. II, 16*, refertur, & ſuſpecto *Macrobii* Chriſtianiſmo. Autor *Schematis*, ut veritatem hiſtoriæ infanticidii illius ſuſpectam redderet, ſe valde mirari ſimulaverat, cur coævi Herodi autores, inprimis *Joſephus*, non paraſitus Regis, ſed alia peſſima facinora ipſius animo infenſo omnium oculis exponens, mentionem tamen deteſtandi hujus mandati regii haud

fece-

fecerit, *Macrobii* testimonium, historiam hanc confirmans, in alium longe sensum detorquere conatus. *Massonus* igitur, varias silentii hujus *Josephi* rationes promit, & *Macrobium* eo loco, quo refert, Augustum, accepto nuncio, quod inter infantes bimulos Herodis quoque filius jussu parentis trucidatus fuerit, respondisse, meliorem esse porci Herodis, quam filii conditionem, omnino Bethlehemiticum illud infanticidium respexisse, evincit. Subjicit denique Cl. *Massonus* scriptum, quo protestatur, quod a Celeberr. *Chandleri* explicatione Eclogæ IV *Virgilii* non dissentiat, quod persuadere aliis Autor *Schematis* molitus erat, rationes consensus hujus uberius exponens, atque spem simul faciens edendæ mox a se Sibyllarum historiæ.

ILDEPHONSI CATELINOT, PRESBYTERI & Monachi Ordinis S. Benedicti e Congregatione S.S. Vitoni & Hydulphi Epistola ad Collectores Actorum Eruditorum.

ACta anni 1729 more meo dum evolvo, Eruditissimi Viri, in eum locum incidi, in quo, postquam præclare de Lexico Biblico Rev. admodum D. *Augustini Calmet* Abbatis Senonensis, nuper cura D. *Mansi* Latine reddito, scripsistis, mentionem de meo Bibliothecæ sacræ compendio perquam honorificam injecistis. Vide Acta Erud. A. 1729 M. April. p. 168. Quod de hac mea opella tulistis judicium, sicut mihi gratum accidit, ita ingens opus super eodem argumento jam diu meditanti plane propitium. Si enim æquissimis rerum æstimatoribus tenue illud specimen placuit, spes est, non placiturum minus opus integrum, jam pene absolutum & prelo maturum. Hujus vero brevem quandam velut imaginem hic delineare juvat, ut vel ex ea pernoscatis, ecquid spei sit reliquum, posthac quam tentabo, longior opera spectanda & approbanda, an excludenda sit vobis prius.

Longianam Bibliothecam Gallice redditam, pluribusque numeris auctam illustrare, utilioremque reddere animus est; istud ut efficiam, in quinque Partes omnem dispertior materiam.

am. Prima continet Præfationem generalem totius Operis, dein quatuor Tractatus historico-criticos in Bibliothecam sacram; quibus subjiciuntur nomina Autorum, quotquot in ea laudantur, ordine alphabetico disposita, cum breviori eorum vita & sincero de illis judicio. Hæc prima Pars subsequentibus prolusionis loco est, & primum Volumen forma majori constituet. Secunda, quæ II Volumine continebitur, exhibebit Tractatus Isagogicos seu Dissertationes, Exercitationes, Prolegomena & id genus Opera critica, quæ a primo Ecclesiæ seculo & nostra potissimum ætate in sacros Codices generatim vulgata fuere; de nativa sacrarum scripturarum indole, literis, versionibus & editionibus, de Critica sacra, Philologia, interpretandi modo, de Historia sacra, cultu sacro, Politia sacra Hebræorum &c. Tertia & quarta Pars sistent omnes Commentatores tam Veteris quam Novi Testamenti, antiquos & recentiores, sive editos, sive MSS. cujuscunque idiomatis, religionis, communionis & gentis. Claudet Opus quinta & ultima pars de Lexicis & Grammaticis Hebraicis & Græcis, ac aliis libris ad ediscendas linguas Orientales necessariis. Tres illæ Partes in tertium & ultimum Volumen convenient.

Ea est, Eruditissimi Viri, quod molior, Operis ratio ordoque. Ex arbitrio vestro totum pendet; si e re Christiana futurum judicaveritis, ut evulgetur, prodibit incunctanter; alioqui in scriniis meis otiosum quiescet. Valete, & ad rem literariam locupletandam novos in dies animos assumite. Dabam in Mediano Monasterio XVII Calendas Octobris anni MDCCXXX.

MEMOIRES POUR SERVIR A L'HISTOIRE &c.

h. e.

COMMENTARII HISTORIÆ CELEBERrimorum in Rep. literaria virorum inservientes. Accedunt Catalogi librorum a singulis scriptorum, de iisque judicia.

Tomus VIII & IX.

Lutetiæ Parif. apud Briaffonium, 1729, 8.

Tomus quisque habet plagg. 18 & totidem pl. dim.

SEquitur *Niceroniani* Operis *Tomus octavus*, in eoque Vita literaria *Theophili Folengi*, qui notior eft nomine *Merlini Cocaji*, (cujus in primis celebratur Opus *Macaronicorum*, quo contineri Nofter ait fatyras, easque laude dignas, ac fimul varias ejus editiones commemorat,) m. A. 1544 d. 9 Decembris; *Caroli Sammarthani*, m. 1555; *Scævolæ Sammarthani*, m. 1623 d. 29 Martii; *Abelis Sammarthani*, m. 1652; *Abelis Sammarthani* junioris, m. 1706 d. 30 Nov. *Scævolæ & Ludovici Sammarthanorum*, gemellorum, quorum prior m. 1650 d. 7 Sept. pofterior d. 29 Apr. 1656; *Petri Scævolæ Sammarthani*, m. 1697 d. 9 Aug. *Abelis Ludovici Sammarthani*, m. 1697 d. 7 Apr. *Claudii Sammarthani*, m. 1690 d. 11 Oct. *Ludovici Pontici Virunii*, viri vulgo parum cogniti, licet polygraphi, A. 1467 nati, A. 1520 mortui, poftquam pluribus in locis Italiæ humaniores tradiderat literas, & multos Commentarios ediderat in præcipuos autores, cum Latinos, tum Græcos; *Davidis Blondelli*, m. 1655 d. 6 Apr. *Nicolai Hartfoekeri*, m. 1725 d. 10 Dec. *Caroli du Fresne*, m. 1688 d. 23 Oct. *Thomæ Gatakeri*, m. 1654 d. 27 Jun. *Emerici Bigotii*, m. 1689 d. 18 Dec. *Leonis Allatii*, m. 1669 menfe Jan. *Jo. Henr. Hottingeri*, m. 1667; *Nicolai Calliachi*, m. 1707 d. 8 Maji; *Joannis Donnei*, (qui librum fcripfit *de autochiria nonnunquam licita*,) m. 1631 menfe Martio; *Joannis Gallois*, fcriptoris Diarii literarii, quod infcribitur *Journal des Scavans*, m. 1707 d. 19 Apr. *Jacobi Cujacii*, m. 1590 d. 4 Oct. *Joannis Mariæ de la Marque de Tilladet*, m. 1715 d. 15 Julii; *Joannis Cocceji*, m. 1669; *Bartholomæi Platinæ*, m. 1481; *Sebaftiani Vaillant*, m. 1722 d. 26 Maji; *Jacobi Sannazarii*, m. 1530; *Joannis Joviani Pontani*, m. 1503 menfe Aug. *Jacobi Palmerii de Grentemesnil*, m. 1670 d. 1 Oct. *Joannis Gravii*, m. 1652 menfe Oct. *Guilielmi Poftelli*, m. 1581 d. 6 Sept. cujus de ineptiis copiofe agitur, erraréque docetur eos, qui centenario majorem obiiffe eum credunt, omiffa tamen mentione libri ab *Ittigio* noftro diligentiffime confcripti & A. 1704 editi *de Poftelli vita fcriptisque*; *Caroli Verardi*, m. 1500 d. 13 Dec. *Stephani*

phani Rasficodii, m. 1718 d. 17 Mart. *Cassandræ Fidelis*, m. 1567; *Guilielmi Budæi*, m. 1540 d. 23 Aug. *Claudii Fleury*, Confessionarii hodierni Regis Galliæ, m. 1723 d. 14 Julii anno ætatis 83; denique *Lazari Andreæ Bocquilloti*, m. 1728 d. 12 Sept.

Tomo nono exstat Vita *Baptistæ Fulgosi*, vel potius *Fregosi*, cujus annus mortis est ignotus; *Antonii de Solis*, m. 1686 d. 19 Apr. *Joannis Morini*, m. 1659 d. 28 Febr. *Joannis Andreæ Schmidii*, m. 1726 d. 12 Junii; *Antonii Panormitæ*, m. 1471 d. 6. Jan. *Antonii Augustini*, m. 1586 d. 31 Maji; *Gabrielis Naudæi*, m. 1653 d. 29 Jul. cujus controversia de vero autore libri *de imitatione Christi p. 98–107* recensetur; *Joannis Beverovicii*, m. 1647 d. 19 Jan. *Claudii Joly*, m. 1700 d. 15 Jan. anno ætatis 93; *Poggii Bracciolini*, m. 1459 d. 30 Oct. De quo cum diligentius agatur, multique scribentium errores notentur, libet repetere potiora. Natus videlicet *Poggius* est in agro Florentino A. 1380. Septem Pontificum Secretarius fuit per quadraginta annos, factus deinceps Secretarius Reip. Florentinæ. Missus in Concilium Constantiense A. 1414, multos veteres autores e tenebris revocavit in lucem. Primus enim in lucem produxit *Tertullianum*, *Quintilianum*, *Asconii Podiani* notas in *Ciceronis* Orationes, *Lucretium*, *Silium Italicum*, *Ammianum Marcellinum*, *Manilium*, *Valerium Flaccum*, *Caprum* & *Eutychum* & *Probum*, (tres Grammaticos,) sex Orationes *Ciceronis*, ejusdemque libros *de finibus* & *de legibus*, *Frontinum* denique *de aquæductibus*. Filios reliquit quinque, doctos omnes majorem in modum. Ipse referendus est inter instauratores Latinæ eloquentiæ & literarum humaniorum. Vitia pariter ac virtutes ejus hic recensentur accurate. Maxime in invectivis suis est maledicentissimus, & abundat conviciis atrocissimis petulantissimisque: id quod tamen tribuendum videtur illius ævi genio. Opera ipsius conjunctim sunt edita A. 1510, 1511, 1513, & 1538, sed semper mendosissime. Contra librum ejus *de nobilitate* scripsit *Laurus Quirini*, Nobilis Venetus, itemque *Leonardus Chius*, cujus liber adhuc MS. latet in Bibliotheca Cl. *Facciolati*. Quatuor ipsius *Invectivis*

contra *Laur. Vallam* editis adjungi quinta potest, quæ MS. est in Bibliotheca Reverendiss. *Fontanini*. *Facetiæ Poggii* maximo sunt exceptæ applausu, earumque editiones vix numerari queunt, licet id Opus detestati sint *Gesnerus*, *Trithemius*, atque *Erasmus*, propter obscœnitates. Inter Opera ejus eminenti loco poni solet ac debet *Historia Florentina*, quam Latino sermone primus edidit A. 1715 *Jo. Bapt. Recanatus*, a nobis recensitam *Supplem. T. VI p. 337 sqq.* ubi quæ diximus de vita & scriptis *Poggii*, ex iis, quæ modo protulimus, augeri possunt. Addimus, a *Nicerono* nostro postremo loco recitari ac refelli falsas *Varillasii* de *Poggio* narrationes, nec omitti mentionem Operis *Poggiani de varietate fortunæ*, Lutetiæ A. 1723 primum editi. Cujus editionis historia cum Cl. Autori nostro videatur incognita, paucis eam libèt exponere. Reperiebat scilicet Collega noster diligentissimus, Cl. *Heumannus*, totum hoc Opus manu, eaque elegantissima, in membrana scriptum in Bibliotheca Medici Gottingensis, *Georgii Erici Barnstorfii*, qui eum Codicem secum attulerat ex Italia, ubi fuerat Medicus Serenissimæ Ducis Mutinensis e domo Hannoverana. Nitor & pulchritudo Codicis facile persuadebat *Heumanno*, hoc ipsum esse exemplar, quod *Poggius* Nicolao V Papæ (huic enim Opus dicatum est,) in manus tradiderit. Cum igitur recordaretur, non ita pridem *Sallengrium* & *Infantium*, viros celeberrimos, publice optasse, ut *Poggianum* istud Opus ex aliquo Italiæ angulo protraheretur in lucem, suasor erat *Barnstorfio*, ut Bibliopolæ cuipiam permitteret id publicare & doctorum hominum jam inveterato desiderio satisfacere. Annuente *Barnstorfio*, descriptionem hujus Codicis statim confecit, eamque inseri curavit *Novis literariis Lipsiensibus Latinis A. 1720 p. 85 sqq.* addito cujusque libri (sunt enim quatuor,) & exordio & epilogo. Acceperant hujus rei notitiam Itali e *Bibliotheca Germanica*, quæ illo tempore edi cœperat Amstelodami sermone Gallico, Tomi secundi *p. 189 sq.* suarumque potius partium esse rati, tanti sui popularis Opus emittere, statim in animum induxerunt perficere, quod jam aliquot annis ante non solum molitus erat, reperto hujus Operis Codice MS. in Bibliotheca *Petri Ottoboni* Cardinalis, *Leo-*

nardus

nardus Adamus, Cardinalis *Imperialis* Bibliothecarius, sed primum jam librum Operis typis exscribi curaverat. Successor igitur *Adami*, A. 1719 mortui, *Dominicus Georgius*, ei se operæ accinxit strenue, & quidem jussu domini sui, *Imperialis*, atque annotationes in id Opus composuit pereruditas. Nec vero Romæ id edidit, sed (fortasse quod non licebat edere Romæ Opus acrioribus Pontificum Romanorum reprehensionibus haud vacuum,) *Joanni Olivæ* id tradidit describendum a typographo quopiam Parisiensi. Quæ res feliciter successit, favente præsertim Cardinale *Rohanio*, *Olivæ* hero, qui *Oliva* ante editionem & doctissimos aliquot viros Lutetiæ consuluit, eorum ut auxilio traderetur orbi hoc Opus, quam fieri posset, emendatissimum. Prodiit itaque Opus hoc Lutetiæ A. 1723, & in his *Actis* recensitum est *A. 1725 p. 220 sq. Heumannus* noster, accepta hac editione, non solum gavisus est, eam plus habere splendoris, quam daturus fuisset typographus Germanus, sed continuo ipsam contulit, & quidem quam diligentissime, cum *Barnstorfiano* Codice, deprehenditque, multa rectius scripta esse in *Barnstorfiano*, multa vicissim in *Ottoboniano*, adeoque alterum ex altero emendari debere, eoque facto edi illud Opus posse perfectum & vix ullo nævo insigne. Defunctus isto labore, in his *Actis A. 1725 p. 223 sq.* exhibuit *Emendationes libri primi*, ac paullo postea in *Poeciles* suæ *Tomo II p. 96—109*, *libri secundi, tertii, & quarti correctiones*, quibus & loca interseruit Pontificibus haud honorifica, quæ non habet editio *Olivæ*, simulque rogavit *Menckenium* nostrum, ut novam jam curaret editionem, futuram omnibus absolutam numeris. Sed ex hoc diverticulo in viam redeamus. Sequitur in Opere *Niceroniano* vita *Bartholomæi Scalæ*, m. 1497; *Martialis d'Auvergne*, m. 1508, e cujus notissimo & sæpius edito, & tamen hodie perraro libro, *Les Arrets d' Amour* inscripto, specimen quoddam luculentum exhibetur lectoribus; *Guidonis Pancirolli*, m. 1599 d. 1 Junii; *Olai Wormii*, m. 1654 d. 31 Augusti; *Jacobi Savary*, & filii ejus cognominis, A. 1716 d. 22 Aprilis exstincti, cum pater, qui e septendecim liberis, quos ex uxore susceperat, reliquit moriens undecim, diem suum obiis-

ſet A. 1690 d. 12 Octobris; *Ludovici Caſtelvetri*, m. 1571 d. 21 Febr. *Jacobi Lenfant*, m. 1728 d. 7 Julii; *Marci Antonii Oudineti*, m. 1712 d. 12 Jan. *Joſephi Gazolæ*, Medici, m. 1715 d. 14 Febr. *Samuelis Butleri*, poetæ Angli, m. 1680; *Dionyſii de Sallo*, qui A. 1665 edere cœpit nobile Opus, *Journal des Scavans* Inſcriptum, m. 1669; *Henrici Cocceji*, m. 1719 d. 18 Aprilis; *Barnabæ Briſſonii*, m. 1591 d. 15 Nov. *Jacobi Auguſti Thuani*, m. 1617 d. 17 Maji, de cujus *Hiſtoriæ* editionibus ac verſionibus copioſe hic & accuratiſſime agitur, inſertis quoque honorificentiſſimis de ea judiciis eruditiſſimorum hominum, nec mentione neglecta libri a *Joanne Machault*, Jeſuita, adſcito nomine *Jo. Bapt. Galli*, adverſus *Thuani* Hiſtoriam editi, ac ſtatim Lutetiæ publice combuſti; *Joannis Mery*, Chirurgi, m. 1722 d. 3 Novembris; *Nicolai Perotti*, m. 1480; ac denique *Jani Gruteri*, m. 1627 d. 20 Sept.

JOH. DANIELIS SCHOEPFLINI, IN Argentor. Acad. Hiſt. & Eloq. Prof. & Regiis Galliæ & Angliæ Societatibus adſcripti, Tractatus de Apotheoſi ſive conſecratione Imperatorum Romanorum.

Argentorati, ſumtibus J. R. Dulſeckeri, 1730, 4.
Plag. 16 cum figuris.

QUatuor ſive libellis ſive Capitibus eruditiſſimus hic liber abſolvitur: quorum primo *Apotheoſis* conſideratur generatim. Obſervat ſcilicet Cl. Autor, ob beneficia mortalibus tributa antiquiſſimis temporibus cum Reges, tum & alios, factos fuiſſe Deos. Animadvertit deinde, excepto Romulo ejusque nutrice Acca Larentia nullum reperiri apud Romanos exemplum hominis inter Deos relati ante Julium Cæſarem. Quod enim *Cicero* legitur conſecrare filiam ſuam voluiſſe, quodque interdum Proconſulibus provinciales ſcribuntur templa exſtruxiſſe, id ita capiendum cenſet, ut non ipſi, ſed ipſorum virtutes conſecrarentur, & viris magna virtute præditis ſtatueretur monumentum publicum. At ortis Imperatoribus Romana adulatio progreſſa eſt ad faciendos Deos, fueruntque in eorum numero,

mero, qui jam in hac vita dici credique vellent Dii. Neque ideo mirum, *Principes nonnullos, vix exequiis dignos*, ut ait *Aur. Victor, relatos fuisse in numerum cœlestium.* Speciatim hinc & prolixe agitur de consecratione, sive, ut utamur *Tertulliani* verbo, *deificatione* & adoratione Romuli, ostenditurque, non heroicos, sed plane divinos honores ei tributos fuisse.

Cap. II recenset Cl. Autor Imperatores, Imperatrices, ac Cæsares, Romæ olim consecratos, &, quæ in priscis monumentis supersunt de eorum consecratione, accuratissime congesta exhibet. Ut unum hinc alterumque excerpamus, *p. 25 sqq.* explicare aggreditur admirandum illum achatem Sanctæ Capellæ Parisiensis, qui maximis antiquariis, *Peirescio, Tristano, Rubenio, Le Roi, Harduino*, & *Montefalconio* tantum facessivit negotii. Noster, suo usus judicio, statuit, refutatisque aliorum opinionibus verosimile facit, figuram ibi sedentem esse Augustum; eum, qui equo insidens ad superos evehitur, esse Drusum, Tiberii filium; illum denique, qui postremo loco apparet clypeum præferens, esse Julium Cæsarem. *P. 35 sq* exponit infamem illam consecrationem Antinoi. *P. 48 sq.* nummum exhibet, in quo Imp. Constantinus M. sistitur velatus in curru, dextram tendens versus aliam dextram e cœlo porrectam, quæ ipsum ad superos receptare videtur. Docet vero, hic non significari veram consecrationem, etsi in imo nummo legatur *Cons.* id est, *consecratio*; sed innui beatum Constantini excessum ex hac vita & transitum in cœlum; nec alio sensu capiendum censet vocabulum *Divi*, quoties id Christianis tribuitur Imperatoribus.

Cap. III Consecrationis ceremoniæ repræsentantur, ac ducibus *Dione Cassio* & *Herodiano*, quorum ille copiosius descripsit Augusti atque Pertinacis, hic Septimii Severi consecrationem, per partes ordine describuntur. Qua occasione & ceteros ritus illustrium sepulturarum Romanarum eruditissime persequitur Cl. Autor, & inter alia refellit communem antiquariorum sententiam de vasculis lacrymalibus, quæ in sepulcbris Romanorum nulla fuisse docet. Ad rationem quod attinet, qua dignosci potuerint cineres & ossa mortuorum hominum, qui p. 74 sq.

qui cremabantur, a cineribus & ossibus ceteris, docetur hic
p. 78 sqq. adversus *Kirchmannum*, omnino corpora fuisse involuta linteo incombustibili. Eam quoque, quam ingenti Volumine propugnavit *Fortunius Licetus*, de lucernis in sepulchro semper ardentibus sententiam, dignam putavit, quam luculenter refelleret.

Cap. IV de notis agit & characteribus, qui consecratis solebant tribui. Contemplatur igitur titulum *Divi Divæ*que, refutatis iis, qui, etiam viventibus Imperatoribus nonnullis istum titulum fuisse tributum, existimant. Hinc de mutatione nominis disserit. Solebant enim consecrati alia nomina accipere, e. g. Romulus *Quirini*, Livia *Junonis*. Tum de statuis aureis, quæ poni consecratis consuevere, verba facit, deque ce-
112 sq. teris ad ultimum hoc Caput pertinentibus. Colophonem huic tractationi imponit descriptione anaglyphicarum in stylobate columnæ Antoninianæ figurarum, multa ἀποθεώσεως symbola conjunctim exhibentium.

D. EBERHARDI DAVIDIS HAUBERI
Gedancken und Vorschläge rc.
hoc est,
CONSILIA DE HISTORIA GEOGRAPHIÆ concinnanda, deque instituenda Societate Geographica, &c.

Wolfenbuttelii, apud J. C. Meisnerum, 1730, 8.
Plag. 9.

HUnc libellum, cujus edendi occasionem præbuit Cl. *Gottschlingius*, læsum se ratus in illo S. R. Autoris libro, quem supra *p. 236* recensuimus, non duximus negligendum ob varia, quæ continet ad historiam pertinentia literariam. *Pag. 14 sqq.* de mappis geographicis eorumque confectoribus amplam impertit notitiam harum rerum curiosis. *P. 96 sqq.* observat, a *Gottschlingio* & *Melissante* in libellis suis Geographicis laudari Anglum quendam earum concinnatorem, nomine *Is Humble*, ejusque erroris originem aperit. Scilicet Anglus ille suæ map-

mappæ hæc verba subscripserat: *To y honorable Sr. Lyonel— — this Mapp IS HUMBLY dedicaded.* Ita novum accepimus Autorem, similem *Articulo Smalcaldico*, hæretico Lutherano. *P. 103* dicit, se non posse promissam quondam historiam Geographiæ pertexere ob susceptum munus sacrum, idque negotiosissimum, sed se tamen paratum esse, magnam suorum collectaneorum molem tradere viro cuipiam docto, qui sese huic labori sit accincturus. *P. 106* laudat *Maternum* quendam, natione Hungarum, medicinam nunc facientem Halberstadii, ob eximiam peritiam rei Geographicæ. Simili ac pari eruditione præditi viri, *Augusti Bruzenii la Martiniere*, laudes offendimus *p. 107 sqq.* Describit quippe ejus in Hollandia hoc tempore versantis fata & libros, in quibus eminet *Grand Dictionaire Geographique & Critique.* Hic & *p. 111 sqq.* aperit causam, cur *Martinierius* ille in Opere illo suo magnopere contemserit mappas Geographicas *Homannianas*, quibus non minimum tribui pretium oportere Noster judicat. Scilicet *Homannianæ* illæ chartæ lucrum interverterunt, quod antea Bibliopolæ Batavi capiebant e venditione mapparum in Belgio exaratarum. Horum igitur commodis consulturus autor ille officiosum committere non dubitavit mendacium. *P. 122* promittit Noster editionem *Sylloges libellorum Geographiam sacram illustrantium*, rogatque eruditos, ut parvos hujus generis libellos, immerito alioqui perituros, ad se mittere ne graventur. Promittit item *p. 123*, ceteris partibus historiæ Geographicæ omissis, elaboraturum *Historiam Geographiæ sacræ & ecclesiasticæ.* Docet quoque *p. 129*, viros quosdam doctos secum jam iniisse *Societatem Geographicam*, aliosque ad eandem invitat: cujus rei fructum non contemnendum speramus rediturum esse ad orbem literatum. Ultimo loco possumus ac debemus liticulam hanc *Gottschlingio-Hauberianam* referre inter ea exempla controversiarum, quæ imitari debent dissentientes in argumentis literariis. Adeo hic mista est dissensioni humanitas.

INDEX AUTORUM,
quorum Libri aut Inventa hoc Volumine recensentur.

I Libri Theologici & ad Historiam Ecclesiasticam spectantes.

Maji

II Libri Juridici.

III Libri Medici & Physici.

IV Libri Mathematici.

V Libri Historici, Geographici &c.

De

VI Libri Miscellanei.

Episto-

INDEX RERUM NOTABILIORUM.

Algebraicæ

Burgra-

Cheli-

Coitus

Con-

Danie-

Erfur-

Horo-

univer-

Mon-

Newtoni

Physicæ

Raph-

Soli-

 vermis

Visus

ERRATA.

Pag. 69 lin. 32 pro *salivi* lege *sativi*; p. 93 l. 2 lege: *in tali*; pag. 249 l. 34 lege *Heimreich*; p. 265 lin. ult. lege גלגל הנשמות; p. 416 lin. 15 lege *atteruntur*; pag. 446 lin. 3 pro *are* lege *aere*; p. 456 l. 6 lege *moralitatem*; p. 470 l. 25 lege *Coislinianus*; pag. 472 lin. 12 lege *non antiquiorem censendam.*



